F. MAVRITII CENTINI

ASCVLANI PICENI

VIRI PATRITII

OLIM IN FERRARIENSI VNIVERSITATE

Sacræ Theologiæ Professoris, Ordin. Min. Con.

NVNC VERO

MILETENSIS EPISCOPI GALATRI BARONIS &c.

DE INCARNATIONE DOMINICA

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ

Ad Mentem Scoti.

EMIN. PRINCIPI F. M. CARDINALI BVRGHESIO DICATAE.



MESSANAE, Apud Viduam Ioan. Francisci Bianchi. MDC.XXXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

F. MAVRITII CENTINI
ASCVLANI PICENI
VIRI PATRITII

OLIM IN FERRARIENSI VNIVERSITATE
Sacræ Theologiæ Professoris, Ordin. Min. Con.

NVNC VERO
MILETENSIS EPISCOPI GALATRI BARONIS &c.

DE INCARNATIONE DOMINICA
DISPVTATIONES THEOLOGICÆ
Ad Mentem Scoti.

EMIN. PRINCIPI F. M. CARDINALI BVRGHESIO DICATAE.



MESSANAE, Apud Viduam Ioan. Francisci Bianchi. MDC.XXXVII.
SVPERIORVM PERMISSV.


FRANCIS VITELLIVS ARCHPI'S
THESSALONICÆNSIS

AVCTORVM

qui in hoc opere citantur

CATALOGVS

Abulensis.
Adamus Tannerus.
Adunnanus.
Alexander Alensis Min.
Alexander Pesantius.
Almainus.
S. Ambrosius Episcopus.
Ambrosius Catherinus.
Ambrosius Ausbertus.
Andreas Victorellus.
Angelus Vulpes Min.
S. Anselmus.
Antonius Andreas Min.
Antonius Sireti Min.
S. Antoninus Episcopus.
Antonius Tuberta Min.
Arculfus.
Aristoteles.
S. Athanasius Episcopus.
Auerroes.
Augustinus Eugubinus.
Auicenna.
Aulus Gellius.
Bartholomæus Cassaneus
Bartholomæus Carranza
Bartholomæus Medina.
Basilius Legionensis.
S. Basilius Magnus.
Beda.
S. Bernardus.
Boetius Seuerinus.
S. Bonauentura Card. Min.
S. Bernardinus Min.
Canisius.
Cantapetrensis.
Cæsar Card. Baronius.
Ciacconus.
Cicero.
Conimbricenses.
Cyrillus Alexandrinus.
Cyrillus Hyerosolymitanus.
Cabrera.
Cato.
Didacus Aluarez.
Diegus Alarcon.
Dominicus Sotus.
Durandus.
S. Dyonisius Areopagita.
Epiphanius.
Epimenides poeta.
Erice.
Eusebius.
Elias Cretensis.
Euthimius.
Ferrariensis.
Franciscus Albizola Min.
Franciscus Collius.
Franciscus Contarenus.
Franciscus Lichetus Min.
Franciscus Mattonus Min.
Franciscus Mendozza.
Franciscus Piccolomineus
Franciscus Suarez.
Franciscus Toletus Cardinalis.
Franciscus Titelmanus.
Franciscus Vallesius.
Franciscus Victoria.
Ferdinandus Salazar.
Gabriel Biel.
Gabriel Vasquez.
Galenus.
Genebrardus.
Gottifredus.
Granado.

Gregorius Ariminensis
S. Gregorius Magnus.
S. Gregorius Nazianzenus.
Gregorius de Valentia.
Gulielmus Ockamus Min.
Gulielmus Rubion Min.
Gulielmus Varro Min.
Gregorius Nissenus.
Henricus.
Herueus.
Hesichius.
S. Hilarius.
Hugo Card.
S. Hieronymus.
Hippocrates.
Jacobinus Bargius Min.
Iacobus Billius.
Iacobus Zabarella.
Iacobus de Valentia.
Ioannes Bacconius.
Ioannes Capreolus.
Ioannes de Bassolis Min.
Ioannes Canonicus Min.
Ioannes Paulus Nazarius.
Ioannes Driedo.
Ioannes à Lugo.
Ioannes Lorinus.
Ioannes de Magistris.
Ioannes Maior.
Ioannes de Neapoli.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes Baptista Platina.
Ioannes Rada Min.
Ioannes Scotus Min.
S. Ioannes Damascenus.
S. Irenaeus.
S. Isidorus.
S. Iustinus Martyr.
Ioannes Buteran.
Lactantius Firmianus.
S. Leo Magnus Papa.
Ludouicus Viues.
Luisius Turrianus.
Ludouicus Molina.
Magister.
Martinus Becanus.
Martinus Fonacina.
Marcus Antonius Zimara.
Marsilius Ab inguen.
Mauritius Hibernicus Min.
S. Maximus.
Melchior Canus.
Naucle[illegible]us.
Nicera.
Origenes Adamantius.
Ouidius.
Paulus Emilius.
Petrus Aureolus Card. Min.
Petrus Galatinus.
Petrus Diaconus.
Petrus Lorca.
Petrus de Palude.
Petrus Tararetus Scotista.
Philippus Bergomas.
Philippus Faber Fauen. Min.
Picus a Mirandula.
Plato.
Proclus
Plotinus Platonicus.
Porphirius.
Puteannus.
Raymundus Lullius.
Richardus à mediavilla Min.
Richardus a S. Victore
Ruardus Tapper.
Rupertus Abbas.
Ruuius.
Salas.
Salmeronus.
Seneca.
Stephanus Burlifer Min.
Syluester Prieras.
Theodoretus.
Terentius.
Tertullianus.
S. Thomas de Aquino
Thomas dè Argentina
Thomas Caiet. Card.
Velasquez.
S. Vigilius Papa
Vincentius Zirinensis.
Virgilius Poeta.

INDEX

Disputationum, & Capitum, quæ in hoc opere continentur.

An

DISPVTATIO IX.

De natura, & partibus assumptis a Verbo

CAP. I.

DISPVTATIO X.

De communicatione Idiomatum.

CAP. I.

DISPVTATIO XI.

De Gratia habituali Christi.

CAP. I.

DISPVTATIO XII.

De Gratia Capitis in Christo.

CAP. I.

Approbatio Operis, & facultas impressionis eius per Reuerendiss. Dom. Generalem Vicarium Messanen. eiusque deputatos, &c.

DE Verbo æterno carnem assumente, deq; Virgine eius Matre eam illi ministrante, accurate, & eleganter nimis ad mentem subtiliss. Doctoris computat in hoc præclaro volumine Illustrissimus, & Reuerendissimus Miletensis Ecclesiæ Præsul F. Mauritius Centinus: admirandum sanè opus, non castigandum putaui, cuius singula verba florida, concinna, & sententijs redundantia Catholicam redolent doctrinam. Promulgari itaque potest, optatam que lucem videre, tam fœlix fœcundissimi huius ingenij partus, si ita tibi videbitur Perillustris, & Reuerend. Domine G. Messan. Eccles. V. benemerentissime.

Vincentius Riccius Abbas Monast. S. Nicolai S.T.D. & Prothonot. Apost.

PErillustris, ac Reuerendissime Domine, vidi tuo iussu Opus Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini Episcopi Miletensis, de incarnatione Dominica, Opus sane egregium, tantoq; Auctore dignum, Ingenium, Pietatem, Religionem, Catholicam Doctrinam & Ecclesiasticam eruditionem omnia redolens, dignissima propterea, quod Typis mandentur, multum enim in eis emolumenti, non solum sacrarum litterarum Professores, sed omnis Christiana Religio feliciter hauriet Messan. die 1. Aprilis 1637.

Alphonsus Raya.

Imprimatur.

D. IOSEPH STAGNVS VIC. GEN.

Errata potiora sic corrigito

Primus numerus paginam, secundus columnam, tertius lineam designat.

ERRATA	*EMENDATIO*
p. 5 c. 1 lin. 23 habtudine	*habitudine*
11. 2. 23 aduersitatem	*ad veritatem*
29. 2. 39 inanimis	*inanima*
31. 1. 45 per acta	*peracta*
32. 1. 27 inhumanaitionem	*inhumanationem*
42. 1. 31 elicitns	*elicitus*
ibid. 2 52 infinitum	*infinitum*
44. in margine Collectaria	*Confectaria*
55. 2. in marg. Reponsio	*Responsio*
62 2 31 impendet	*impendit*
91. 2. 4 distintus	*distinctus*
91. 1. 40 adaliquid	*ad adaliquid*
98. 2. in marg Opino Fabri	*Opinio Fabri*
112. 1. 7 nihil	*nihili*
ibid 2 in marg secundu	*secundum*
175 2 27 nihi ò	*nihilò*
176. 2. 12 rattotiocinationes	*ratiocinationes*
179 1. 2 perficitur	*perficitur*
182 2 2 suppofitis	*suppositis*
184. 1. 22 Kesponsio	*Responsio*
185. 1. 40 adequaquate	*adequate*
ibid 52 seorsim	*seorsim*
190. 2. 50 inferins	*inferius*
230. 2 in marg separaum	*separatum*
247 2 in marg non est habens acquisitur	*non est habitus acquisitus*
264. 1. in marg assumptus	*assumptos*
ibid. probatur primo probatur primo	*probatur primo*
272. 1. in marg dilectars	*delectari*
272 1 in marg quæ sit	*quæsiti*
274. 1 in marg exponitur articulis	*exponitur Aristoteles*
ibid. 2 in marg affrigens lib fundamēto diuiso	*affirmans licet fundamēto diuerso*
ibid in marg. Articulis	*Aristoteles*
358 in titulo Incanationis	*Incarnationis in aliquibus exemplaribus*
361. 2 in marg. quæ cū trahendi Fabriū elimit	*quæ causa trahendi Fabrū è limine*
360 2 in marg Græcorum Principium	*Græcorum Patrum*
413. 1. in marg Prophetas	*Propheta.*

Alia errata Lectoris iudicio castiganda relinquuntur.

DE DOMINICA INCARNATIONE.

DISPVTATIONES THEOLOGICAE AD MENTEM SCOTI.

AVCTORE
F. MAVRITIO CENTINO
Asculano viro patritio S. Miletensis Ecclesiæ Episcopo, Barone, &c.
Ex Ord. Min. Con. Assump. & S. Th. Profes.

Prælusio, ac partitio operis.

5 DE CHRISTO SERVATORE sermonem habituris ea primum dubitatio institutum nostrum perturbare videtur, quod immeritò censebitur tam nobilis abditorum mysteriorum inquisitio in hunc tertium reiecta locum, cum, siue finis ordinem insistemur, siue diuinæ omnipotentiæ ambitum contemplemur, siue deitati oculos infigamus; tantum disputandæ rei negotium, vel proximè tractationi de Deo, vno, ac trino accedere debuerit, vel saltem fuerit creatis quibusq; rebus anteponendum; sed non tam leuitèr sentimus, vt quocumq; scrupulorum spiritu efflante in diuersa inclinemus, & stratum à Sacræ Theologiæ proceribus hoiusce facultatis ordinem peruertamus. Non est hoc loco finis, aut præstantiæ habenda ratio, non hic infinitæ potestatis Dei ambitum perscrutamur, sed soli rerum ordini persistendo tractationi huic tertiam in ordine sedem Theologia parauit, & sano, mehercle, consilio; nam si composita numquam satis nisi cognitis construentibus partibus elucescunt, profectò cum in vno Christi indiuiduo bina natura conspiret, humana, videlicet, ac diuina; non ita facile admirabilis diuersorum entium copulatio in humanum incidere poterat intuitum, nisi præcognita vtraq; in vnum conspirante natura: hinc factum est, vt Deitatis supereminentem substantiam primo libro propositam, & humanam subsequenti secunda sede locatam tertius hic liber coniunctionis ordine insequatur; quam eamdem ob causam non prius in secundo libro scolastici institutam de homine sermocinationem aggrediuntur, quam Angelicam seorsim; & corpoream decursu transegerint naturam, quia nimirum humana natura ex corpore, & spiritu conflata, prædeclaratam vtramque partem constituentem poscebat. Mitto rationes alias, quas præstolantur alij. *Ordo lib.*

a Tripartita est totius voluminis diuisio, nam primo de ineffabili Incarnationis mysterio fantur Theologi, mox caput prædestinatorum agnoscentes Christum non nihil de Christi gratia commemorant, postremo dona nobis à Christo *Operis diuisio*

collata diſcutiunt.

Prior huius libri particula tot habet diſſectiones, quot interpretes, nos breuiter quadripartita diuiſione vniuerſum Incarnati Verbi myſterium percurremus. Primo ipſam ſecundum ſe Incarnationem conſiderabimus, mox Incarnationis eiuſdem cauſas: deindè de perſona aſſumente, deque natura, & partibus aſſumptis plura inueſtigando diſceptabimus; poſtremo loco idiomatum communicationes, vtbiquè incarnati dona præſtolabimur; ipſam vero Incarnationis naturam rimantes nomẽ primò declarandum, mox eſſentiam aſſumemus; poſtmodum quidditatem eius cõtemplationi noſtræ ſubijciemus.

DE NOMINE INCARNATIONIS.

1 EX nominum varietate, ex multiplici rerum appellatione abditam rerum ipſarum naturam perpendite, nam, quæ vna nequeunt voce finiri, varijs artium periti nominibus, ac vocibus circumloquuntur, quod maximè in re noſtra conſpicitur.

2 Conſueuit interdũ appellari à Patribus Chriſti Incarnati myſterium nomine, *hypoſtatica vnionis*, interdum *aſſumptionis*, voce deſcribi, plerumque, *Deificatio humana natura*, ſæpe, in *humanatio*, vulgo, *Incarnatio*, appellari; ſed & ab aliquibus *Incorporatio*.

Cur dicatur vnio

3 Appellationem vnionis hypoſtaticæ ex re ipſa deſumpſit, in qua bina in vno ſuppoſito connectitur natura, etenim hypoſtatica vnio nihil præterea ſignificat, niſi vnionem in perſona, quamuis enim fuerit aliquando à latinis dubitatum de ſignificato græcè vocis, *hypoſtaſis*, ſignificaret ne ſuppoſitum, an naturam, iam certè citra controuerſiam, *Iuxta Decretũ Cõcilij Alexandrini à Nicephoro relati lib. 10. hiſtoriarum cap. 15.* Suppoſitum ſignificat; ego autem reor hypoſtaſis vocabulo appropriate ſolum ſignificari ſuppoſitum, proprie vero denotari ſubſiſtentiam, hinc antiqua Concilia decreuerunt factam vnionem fuiſſe non in dignitate, ſed in hypoſtaſi, & ſubſiſtentia, vtcumq; tamen ſentias, non refert, nam conſtita rei veritate nominũ ſignificatio ex vſu petenda eſt, quidquid igitur vox illa ſonet, primo certũ eſt latinum interpretem interdum vocẽ græcolatinam ſeruare, plerumq; pro hypoſtaſi ſubſiſtentiam intelligere, ſæpè ea voce perſonam indicare, ſed hoc vnum eſt certum, appellari myſterium hoc vnionem hypoſtaticam, quatenus in vna Chriſti perſona, vtraque natura humana, ſ. ac diuina vnita conſpirat.

Cur dicatur aſsũptio

4 Aſſumptionis vocem ab ipſo vnionis modo deduxit, nam is Dei filius, qui ſuã, & creatam in ſuo ſuppoſito naturam vniuit noſtrã aſſumpſiſſe vocatur. Differunt tamen bifariam duo iſta vocabula, nempe vnio hypoſtatica, & aſſumptio (licet ambo actionem, remq; ipſam infieri ſignificare videantur) primo, quia verbum *Aſſumo* in ſuo primario ſignificato vnionis principium, ac terminum inuoluit, proinde duplicem inuolutam habet relationem, alteram termini, alterã efficientis principij, quod patet ex ipſius vocabuli energia, quid eſt enim aſſumere, niſi ad ſe ſumere? ergo ſi Verbum dicitur humanitatem aſſumpſiſſe intelligerur Verbum vnionẽ humanitatis feciſſe, & ad ſe vnionem terminaſſe: ſed verbum *vnio* inuoluit dumtaxat relationem principij effectiui. Secundo differunt, quia verbum *vnio*, ita ſe habet late, vt vniens interdum dici queat vnitum, quatenus .ſ. vniens vnit ſibi quippiam; at verbum *Aſſumo* non ita patet, vt aſſumens dici queat aſſumptum; hauritur hæc ſecunda diſcrepantia ex prima, nã quia verbum *Aſſumo* duplicem inuoluit habitudinem termini .ſ. & principij, diſtinctionem pariter inter aſſumens, & aſſumptum includet, nihil enim ſeipſum aſſumit, ſed aliud ad ſe ſumit, vnio autem cum ſolam efficientis habitudinẽ includat non inuoluendo terminum, ſi quippiam vniat ſibi, æquius pariter, vt vniens dicatur vnitum. Appoſitione huius ſecundi diſcriminis poteſt Verbũ dici vnitum nobis, licet nos ſibi vniuerit; appoſitione primi diſcriminis, tres diuinæ perſonæ, quarum opera ad extra indiuiſa fatetur Theologia, hanc diuinam vnionem præſtaſſe dici poſſunt, aſſumpſiſſe dici non poſſunt, nam aſſumptio, in qua termini relatio includitur, ſolius eſt Verbi propria, ſicut in Verbo dumtaxat facta fuit humanæ naturæ dependentis terminatio. Appoſitione vtri-

Diſcriminis ratio

ne vtri-

usque discriminis potest humanitas dici vnita, & assumpta; vnita quidem, quia diuinitati in Christo coniuncta fuit, assumpta vero, quia ad Verbi subsistentiam pertracta fuit, Deitas autem vnita dicitur, assumpta non dicitur, vnita dicitur, quoniam adnexum cum humana natura in vno supposito Verbi conuenit, assumpta non dicitur, quia nec ad subsistentiam assumptæ humanitatis, quæ nulla est, nec tunc temporis ad Verbi subsistentiam fuit pertracta. Quod si interroges; vnde hoc magis sibi vsurpauit vnitio, quam assumptio, vt assumptio alterum tantum denominet extremum, vnitio vero vtrumque? S. Thomas. *3. p. q. 2. art. 8.* discrimen accipit ex ratione relationum disquiparantiæ, & æquiparantiæ, sed facilius dici potest, hoc ex ipsa vtriusq; vocis significatione manasse, vocum autem significata ex vsu accipimus.

Deificatio. 5 Deificationis nomen, quod frequens est apud Patres, ab ipso humanæ naturæ munere desumptum est, quæ à Verbo assumpta, & à tribus personis vni Verbo vnita deificari dicitur. est igitur longè diuersum deificationis vocabulum ab vnione, & assumptione, nam istę duæ principium inuoluunt efficiens, & Verbum ipsum, deificatio vero naturā dumtaxat humanam, quatenus est denominationis subiectum.

Inhumanatio. Incarnatio. 6 Frequentiores mysterij huius appellationes græcè sunt *Enanthropisis*, & *sarcosis*, quarum prima latinè reddita significat inhumanationem; altera verò incarnationem; vtraque tamen vox idem significat, quamuis verior esse videatur inhumanatio, quam incarnatio, quia caro latius patet, quam homo, & Verbum non quamuis sibi, sed humanam dumtaxat carnem voluit; dubitatio tamen leuis est, nam & caro per quandam figuram, de viua carne potissimū dicitur, viuensq; caro animæ coniunctionem exposcit, hinc frequenter in scripturis non solum alteram partem hominis, sed hominem totum caro denotat, vt patet *Genes. 6. omnis caro corruperat viam suam*, hoc est omnis homo. An fortasse vocis nouitas, & parum disserta, vt videtur, appellatio displicet, quoniam Arrianum erat errorem inanimā carnem à Verbo assumptam? apagè displiceat, caro enim pro homine sumitur, & frustra vocabuli nouitas nos terret, vbi nouum, immò nouorum omnium nouissimum admiramur Sacramentum; est autem Tullianum præceptum. *in quæstionibus Accademicis*, nouis rebus noua licere applicare vocabula, sed ecquis dixerit nouum vocabulum incarnationis, si à Ioanne manauit *Cap. 1. Verbum caro factum est?* Hæc duo vocabula Incarnationis, & inhumanationis, quamuis eo conueniant cum vnione, & assumptione, quatenus eandem Verbi actionem indicare videntur, discrepant tamen ab illis, nam illæ terminum connotant ex parte assumentis, hæ verò ex parte naturæ assumptæ denominationem assumentis hypostasis ostendunt, nam ambæ præferunt assumentem personam, vt denominationis subiectum, humanitatem verò, vt terminum. Nos libentius Incarnationis vocem, ne à communi tramite discedamus, vsurpabimus. *Hæc de Nomine.*

DISPVTATIO I.

DE EXISTENTIA INCARNATIONIS.

INcarnationis existentiam disputando venantes, nedum factū operis, de quo nulla vertitur inter Catholicos altercatio, sed possibilitatem, necessitatem, congruentiam, & tēpus ipsum præfinitum ad opus ad priorem hūc tractatum reuocare debemus, quem ordinem docuit nos S. Thom. *3. p. quæst. 1. articulis singulis*, & sequentibus nos disceptationibus prosequemur auspicantes à possibilitate rei, & disquirentes primo loco.

NVNQVID INCARNATIO SIT possibilis Caput primum.

NONNVLLA SCITV DIGNA proponuntur.

1 TItulus disputationis huius alius est apud Scotum, & sectatores, disquirūt enim illi an possibile fuerit humanam naturam vniri Verbo in

Tituli diſp. ſenſus

vnitate ſuppoſiti, ſed dum hoc poſtulant aliquam tantum partem noſtræ diſputationis attingunt, etenim cum poſſibilitas huius myſterij, tam ex parte aſſumentis quam ex parte aſſumptæ naturæ ſpectari queat; Alteram dumtaxat diſputationi ſubſternūt: præfati auctores, nempe ex parte naturæ aſſumptæ, licet indecuſſione quæſiti vtramq; partem dilucidatione illuſtrent; titulus hic noſter, & clarus, & genericus magis, qui explanationem reſpuit, prædeclarato incarnationis vocabulo.

Caiet. Suarez. ac Vaſq. defēſio pro S.Thom. Vana ſatis

Prætermittitur hæc diſputatio à S. Thom. neſcio quo caſu: æſtimat Caietanus id factum, quia S. Doctor commentationis munere fungebatur: & ideo prætermiſſam à Magiſtro ſententiatum diſputationem prætermiſit; æſtimat Vaſquez id factum, quia ſcientia ſupponit, non autem probat eſſe rem, de qua diſputat. Æſtimat Suarez id factum, quia ratione oſtendi non potuit poſſibile eſſe Deum fieri hominem; leues tamen coniecturæ, nam quod pertinet ad Caietanum, falſum eſt commentatorē ſolum ſe præſtitiſſe S. Thomam, cum pluries diſputationes inuexerit, nec ratio cogit commentatorem, ne latum vnguem debere à contextu ſecedere. Inanis eſt magis commētatio Vaſquez: nam, vt egregie Suarez monuit, tunc tēporis ſcientia rē, de qua diſſerit, eſſe ſupponit: cum vel ex ſuperiori illam eſſe cognitū eſt facultate, ac ſcientia: vel eſſe iam alio eſt modo notum: Adde nō hic nos factum, ſed facti poſſibilitatem omiſſam inueſtigare. Nec ſine cenſura remittendus eſt Suarez; nam ſi quæ nequeunt certa ratione oſtendi, debēt certo iure relinqui, relinquenda ſunt; nec amplius ſub diſputationum cribro ventilanda, ſingula fidei noſtræ myſteria, ſiquidem cum fide ſint nota oſtendi non poſſunt. Aliunde igitur putare debent factum, vt propoſitam S. Doctor diſceptationē omiſerit. Sed hæc ipſi viderint Thomiſtæ; Bene nobiſcum eſt actum; quoniam omiſſionis huius inculpatum habemus Scotum.

3 In hac autem re, quamuis res ipſa, reiq; ipſius faciundæ poteſtas indubitata ſit apud Theologos; etenim ſi incarnationem factam, fide docemur, poſſibilem quoq; docemur; ne doceri factum impoſſibile dicamur; diſquiſitio tamen præſens ſexcentarum ſuo gremio latitantium diffi.ultatum cenſenda eſt principiū, ac ſeminariū propterea dilucide, ac luculēter eſt pertractāda. Hoc vt fiat.

4 Obſeruandum eſt primò naturæ nomine, cuius tam frequens eſt in hac diſputatione memoria, nec genericam, nec ſpecificam intelligendam eſſe ſubſtantiam, ſed ſingularem naturam, ac indiuiduam; quatenus eſt perſonalitate ſibi propria prior; e.g. humanitatē hanc ſingularē, priuſquam intelligatur in Ioanne, vel Petro perſonata; Inſuper quoniam equè frequens eſt ſuppoſiti mentio, obſeruandum eſt, ſuppoſiti vocabulo; quod nos interdū hypoſtaſim, quandoq; perſonam nuncupabimus rem ipſam ſubſiſtentem in natura intelligi; puta Ioannem, vel Petrum; neque nos varia nominis ſuppoſiti analogia perturbet, nam, & ſi vario appelletur nomine, hoc tamen promiſcuè factum eſt ad rē ipſam ſingularem; & ad ſuppoſitum in intellectuali natura declarādum; quare dū dicimus Incarnationem eſſe vnionē humanæ naturæ, ac diuinæ in ſuppoſito Verbi; ſiue, quod eodem recidit, dum dicimus eſſe vnionem hypoſtaticā; intelligimus humanam illam naturam propria perſonalitate carentem à Verbo aſſumptam indui perſonalitate Verbi, ſiue, vt rectius loquar, ad Verbi ſubſiſtentiam, & perſonalitatem deduci; Deductionis autem modum hunc in ordinem exhibitum putemus. Conſideretur, ac ſpectetur humana natura indiuidua quidem, & ſingularis, ſed, vt propria perſonalitate prior, quæ quando in ſuppoſito proprio ſuppoſitationem, ac ſubſiſtentiam nanciſci debuit, à ſuperiori virtute præuenta ad Verbi ſubſiſtentiā, ac ſuppoſitationem fuit pertracta, vt in eo ità ſubſiſteret, quemadmodum in proprio ſubſiſteret ſuppoſito.

Obſeruatio 2.

5 Obſeruandum ſecundo, hæc potiſſimum in hoc admirabili Sacramento poſſe ſpectari; humanitatem, ſcilicet. Verbum, diuinam naturam, terminum ex actione reſultantem; actionem ipſam, ſi qua illa eſt ab vnione diſtincta, & vnionem; de Verbo, & cæteris nihil præterea notandum eſt, de vnione autem (quantum præſens loci poſtulat occaſio, quopiam vberiorem doctrinam in diſputa-

tio-

tionibus de Incarnationis quidditate disseremus) considerandum est; siuè supponendum est hoc loco, formaliter relationem quamdam significare disquiparantiæ, & ordinis, ac dependentiæ; quæ non est causati realis ad causam; sed sustentificati ad sustentificans appellatur à Scoto, *in hoc 3. distinctione, & q p.* Porrò vnionem esse relationẽ indè patet, quod, cum sit inter extrema, & ad extrema, relatio necessario putanda est; cuius munus est referre ad aliud; quemadmodum relatiui esse est ad aliud referri; doctore Philosopho tum in logicis, tum in Methaphisicis, ipsam quoque vnionem esse relationem disquiparantiæ; siuè, vt clariori termino vtar, esse relationem rationis diuersæ indè patet, quod humanitatis ad Verbũ relatio realis est, Verbi verò ad humanitatem non realis, sed rationis solummodo diiudicatur; siquidem Deus ad creata nulla reali habitudine refertur. Appellari hanc relationem dependentiæ, & ordinis indè conuincitur, quod humana natura à Verbo assumpta peculiari ordine, ac dependentia refertur ad Verbum. Non esse relationem causati ad causam liquet primo, quia prius intelligitur humana natura creata, quam assumpta; liquet secundo, quia relatio creationis, vt in secundo libro sententiarum dictum est, ad totam terminatur Trinitatem, cuius opera ad extra indiuisa dicuntur; hæc autem relatio ad solam Verbi personam terminatur. Demum relationem hanc vnionis iure appellari relationem sustentati ad sustẽtans inde patet, quod ad nullum aliud relationis genus videtur posse referri. Patiatur (obsecro) lector rudes hosce, ac nouos terminos suppositationis, sustentificationis, & similes; quoniam res ipsa ita humanæ mentis aciem superat; vt nusquam intellectus, nisi hisce terminis manuductus in eius speculatione quiesceret; vt autem relationem præfatam sustentificati ad sustentificans dilucide magis percipiamus, foueamus mentem nostrã consimili fere accidentis ad substantiam exemplo. Conspicuum planè est accidens, nedum informare subiectum accidentario; sed etiam sic inniti subiecto, tamquam posterius suo priori, vt subiecto euanescente, euanescere, atq; in nihilũ abire naturaliter accidens teneatur, quippe quod à sustentificante subiecto tenetur; demite igitur ab accidente priorem considerationem informationis ad subiectum; solamq; dependentiæ huius rationem cõsiderate; aptissimum declarandæ relationis nostræ depromeretis exemplum. Egregium sanè exemplum ex Scoti fonte *art. 1. huius quæstionis* excepimus; contra quod scio Thomistas cum Caietano *3. p. q. 2. art 6.* Medina, & Suarez conserto bello deferre; probantes illud cum vnione hac nullam affinitatem habere; tum quia accidentium vnio accidentaria est; hypostatica verò non ita, tum etiam; quia accidens subiecto inhæret; humanitas non inhæret, alioquin, vel Deitas, vel verbum esset subiectum; & proinde in potentia; sed monitos Thomistas velim exẽpla ab identitatibus differre, proindeq; totalem in exemplo ad rem, cuius gratia fertur exemplum, velle conuenientiam noscere, est velle identitatem rei; non autem paritatem inuestigare. Siue igitur relatio accidẽtis ad subiectum, nec penes informationem, & inhærentiam, nec penes rationem relationis accidentariæ, vel substantialis conueniat cum relatione hac vnionis ad verbum; quid ad nos? Nonne hucusque præmonuimus, præcisè nos relationem accidentis ea ex parte spectare, qua accidens à subiecto, ne deficiat sustinetur?

6 Obseruandum tertio Verbi suppositũ independens esse omnino; non solum si secundum naturam diuinã præcisè spectetur, sed etiam secundum proprietatem personalem; iam enim ex primo sententiarum patet, duo in diuinis conuenire suppositis relationem videlicet, ac essentiam. Hoc autem quod monuimus inde conuincitur, quod cum Deus, & quæ Deo sunt intima, ne dum imperfectionem, sed & leuem quamcumq; imperfectionis maculam, ac vmbram renuant, ipsaque dependentia, vel imperfectionem, vel imperfectionis præseferat simulacrum; longe est à Deo, & ab ijs, quæ in Deo sunt profliganda, est igitur independens Verbum omnino; terminat autem naturæ dependentis relationem, & propterea prius est natura dependente, omnis enim dependentæ *Obseruatio 3.*

termi-

terminus prior est illo, quod dependet, siue quod est dependentię fundamentũ. Quod si postulat quispiam, At hæc relatio dependentis naturæ, qualis censenda est essentialis, ne, an accidentaria; nõ equidem accidentaria communi placito, ergo essentialis; sed quomodo hoc fieri poterit, vt essentialis dicatur cum ad Verbum, non ratione essentiæ, sed ratione hypostaticæ proprietatis terminatur? Rursum quonammodo dicitur essentialis dependentia; cum omnis dependentia essentialis sit effectus ad causam, vel ad priorem effectum; hæc verò ex præiacta doctrina non sit putanda realiter causati ad causam? Occurram ego. Vtique relationem hanc essentialem dici non quâ terminatur ad essentiam; sed alio modo sicut, & ipsa prioritas essentialis dicitur; considerandum tamen est, vt allatos euellamus scrupulos, & prioritatem dici essentialem bifariam, & dependentiam essentialem esse duplicem. Prioritatis essentialis in primis altera communis, altera propria. Propriam dixero, quæ vertitur inter essentias, & formas, qualis non est in præsenti; Communem appellabo eam, quæ siue sit formarum, & essentiarum adinuicem, siue sit suppositorũ ad essentias, certè prioritas per se dicitur. Hoc pacto diuina Verbi hypostasis prior est humana natura essentialiter. Rursus duplicem dixero dependentiam essentialem, alteram ex parte vtriusque extremi fundamenti .s. ac termini, & hanc situm habere dicitur inter effecta ad causas, alteram ex parte fundamenti duntaxat, licet terminus eam non ratione essentiæ, sed hypostasis terminet; hanc dicimus esse dependentiam humanæ naturæ ad Verbum: sed de his difficultatibus plura suo loco dicenda sunt.

DISPVTATIONIS STATVS DIRIMITVR.

Caput II.

Assertio prima. 7 His ce decursis: Assero primo Verè Incarnationẽ esse possibilem, possibilitatem tamen eius nulla posse ratione ostensiua monstrari. Assertum duplici parte conflatur, & vtraque seorsim suadetur. Possibilitas Incarnationis in primis elucescit ex fide; cum enim diuina potestas ad ea se protendat, quæ fieri possunt, neq; vllam dicunt repugnantiam, vt fiant, profectò, cum factam esse Incarnationem fide simus edocti. Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* possibilis fuit Incarnatio, vt fieret; Vbi *Pars prima probatur.* *Ioan. 1.* tenuis tamen doctrinæ studio, ratione peculiari Incarnationis possibilitas, quantũ pro humana imbecillitate licet, mõstratur, supponendo impossibilitatem huius operis ex duplici capite potuisse manare, vel ex verbo .s. naturæ humanæ dependentiam terminante; vel ex ipsa ad Verbum humana depẽdente natura, quarum vtraque impossibilitate eluta satis affabre non impossibilitas, & proinde huius operis possibilitas declaratur. Argumentamur igitur.

8 Fuit absolutè Vnio hæc de qua loquimur, tam ex parte naturæ assumptæ, quã ex parte assumentis per omnia possibilis; fuit igitur absolutè, vt fieret possibilis, consecutio clara, quoniam ex nullo alio capite possibilitas, vel impossibilitas mysterij huius deduci potest. Antecedens quoad vtramque particulam probatur; ex parte Verbi sic. Vnio ex parte Verbi ex prænotatis superiori in capite nihil præterea indicat, nisi verbum naturæ humanæ assumptæ dependentiam terminare, sed esse terminum relationis huius non repugnat verbo, ergo nec Incarnationem fieri ex Verbi parte repugnat. Tota Lis est in minori, quam probo; Si Verbum terminare hanc relationem repugnat, sciscitor, numquid repugnat, quia diuina persona est Verbum, an quia Verbum est, & secunda Trinitatis persona; quodcumque dicas euellam; vim etenim argumenti vitare nequibis; quoniam Verbum ratione proprietatis, non ratione essentiæ terminat. Si dixeris quia Verbum est, idcirco terminare non posse, impotentiæ rationẽ ferre tenebeis, ne impotentiæ Verbum arguas; accedit quod posse Verbũ terminare, ratione sequenti est abundè probãdum, si dixeris repugnare hoc Verbo, quatenus diuina persona est, contra insurgam, nam repugnantia hæc ideo apponeretur, quia terminatio cõpositionem, vel limitationem, vel potestatem Verbo inureret, quæ tria nullũ

habent

habent in diuinis locum: at certè nullū horum sequeretur, non compositio in primis, quia diuina, & humana natura non ita nectuntur in Deo, vt altera potestatis, actus altera rationem subeat. Non limitatio, nam assumendo non est potens Verbum minus, quam non assumendo; non est contractum Verbum magis, quam non assumendo, cum illa relatio in Verbo sit rationis dumtaxat. Non potestas eamdem ob causam; quia realis relatio nō est; sed ad instar illius, quæ ex tempore aduenit, nimirum creationis, vel domin.j, quare à primo ad extremū colligimus, quod si, hæc terminatio nō repugnat Verbo, ex parte eius, possibilis est Incarnatio, quod petebatur in altera parte minoris. Quod si dicas rationem hanc ad summum conuincere Incarnationem ex parte Verbi nō esse impossibilem; at non statim colligi esse possibilem; voluntarie loqueris, nā possibile, & impossibile sunt duo vtique contraria immediata, quæ contradictoriorum more regulantur, vt quod est nō impossibile rectè censeatur possibile, vt autem proteruiam è capite euellas accommodabo huic ipsi parti validissimum subtilissimi Doctoris argumentū ex independentia delumptum hunc ferè in modum.

Argum. Scoti 9. Independenti simpliciter independentia sibi propria non repugnat alterius dependentiam terminare, at diuinū suppositum independens omnino, ergo potest aliquam alterius dependentiā terminare; apposite in conclusione diximus aliquam dependentiam, nam dependentiam causati ad causam; mensurati ad mensurans, excessi ad excedens nequit Verbum, qua Verbum terminare, aptantur enim verbo ratione naturæ, non ratione proprietatis; adminus igitur hanc sustentificari ad sustentans terminare poterit. Minorem superiori capite obseruatione 3. ostendimus. Probatur maior inductione, nam idcirco substantia dependentiam terminat accidentis, quia est ab accidente independens, nec enim eo modo, quo accidens dependere potest, rursus idcirco causa dependentiā effectus terminat, quia est ab effectu independens, nec vt effectus dependere potest, videtur igitur independentia causa obquam possit in ali-

quo dependentia opposita terminari.

10 Scio quidem, ac noui ex Scoto *quol.* 19. præfatum argumentum sexcentas pati instantias; quas egregie auctor retulit; nos autem cōsultò mittimus eas; ne aliquando finem huic cap. intercludamus; adnotantes solum hac ratione assumi probandum, independens omnino posse aliquā, non omnem dependentiam terminare; vnde ex sano, & cauto verborum intellectu ruere possunt aliorum instantiæ. Nam cum dicitur, *independens omnino*, eo intur paritas creatorum entium independentium, quæ non omni carent dependentia. Cum dicitur *terminare aliquam dependentiam* secluduntur depēdentiæ ad naturas terminatas; vt doctè monet Auctor eo loci. Vt autē rationis præfatæ neruum agnoscas, habenda est perfecta depēdentiæ cognitio; quam Scotus eo in loco nos docet. Dependentia triplex quædā actualis; quædam potentialis, quædam deniq; aptitudinalis. Actuali dependentia actu quid piam ab alio pendet, ita accidens à subiecto. Potentiali dependentia pendet, quod non habet impossibilitatem ad dependendum, ita accidens sine subiecto existens potentialē habet ad subiectum dependentiā. Aptitudinali dependentia pendet, quod ne dum depenpere potest; sed habet ad dependendum Inclinationem, ita accidens à substātia separatum; ne dum enim potest à substantia pendere; atqui quamdam habet ad dependendum à substantia inclinationem, & quoniam ex positiuo priuatiuum dignoscimus, independentia, siuè negatio huius triplicis dependentiæ ita se habebit, vt independens actu sit, quod nudè actum dependentiæ spernit; vt si superficies esset colore nudata nudè esset sine terminatione dependentiæ actu, siquidem actu colore careret; independens potestate sit, cui actus dependentiæ non tantum non inest, sed repugnat: ita Angelus est nō albus; quia negata sibi repugnat albedo; independens aptitudine sic qui habet inclinationem oppositam; ita lapis deorsum manens dicitur non esse sursum, nō solum, quia nec sursum est, nec sursum esse potest, sed quia inclinatur ad locū deorsum, vt ad naturalē locū, Verbum igitur hac triplici dependentia caret, dum

Scot. quol. 19.

Triplex dependētia

dum nec actu, nec potestate, nec aptitudine depédet; atqui creata, licet actu, & potestate non dependeret, potestatem ad dependendum habent; nam nisi posset humana natura pendere non potuisset vllo modo assumi; vno verbo independentis hac triplici dependentia Scotus, vt egregiè declarat Faber in 3. disp. 1. cap. 3. supposiitum perfectum intelligit, vt idcirco dicatur posse Verbũ humanam assumere naturam, & hanc eius dependentiam terminare; quia, cũ sit persona perfecta, quamcumq; naturam personabilem personare potest; hoc enim intelligit Scotus nomine independentis omnino, suppositum .s. perfectè personatum, quod alterius suppositi vices gerere potest; ex hac consideratione labuntur Bacchonij argumenta probantia ex sola negatione dependentiæ non posse terminationem dependentiæ inferri, siquidem nomine independentis, & incommunicabilis, suppositũ perfectum Scotus intelligit, hinc illa maior *Independens simpliciter potest aliquam dependentiam terminare*, facit hunc sensum, *persona perfecta potest alterius personæ obire vicem, in personanda natura*, quo sensu non video quales ictus Scotica probatio sentiat. Aliam rationem ad destruendam impossibilitatem ex parte personæ assumentis profert Scotus *Quodlibeto citato* consule ipsum Scotum loco citato.

Fab. in 3 disp. 1. cap. 3.

Scot. quol.

11 Nunc, probanda est possibilitas ex parte naturæ assumptæ; quæ tes maioribus irretita est difficultatum ambagibus, etenim, cum ex Diuo Damasceno *lib. 3. cap. 11.* Verbum assumpserit humanam naturam atomam, & singularé, difficultas præsens petit solutionem alterius bonæ difficultatis, sit ne singularitas à personalitate distincta, & quæ nam sit ratio constitutiua personæ, qua de re, ne singula singulis immisceamus, agendum est peculiari capite, interim breuibus rem præstamus.

Altera pars probat.

Damasc. lib. 3. capit. 11.

12 Golielmus Varro, quem secutus est Argentina, hunc in modum hanc parté persuasit, natura singularis est naturaliter personalitate prior, sed Deus omne prius à suo posteriori segregare potest, potuit igitur singularem hominis naturam, nondum in proprio supposito suppositatam in alieno supposito personate. Hæc persuasio castigatur à Scoto tamquam deficiens in minori, etenim non omne prius potest esse sine suo posteriore, nam genus est speciebus prius; nec tamen efficere potest Deus genus aliquod sine specie aliqua; sed hæc Scoti reprehensio cuipiam plane inutilis censeri poterit, siquidem nisi nexus aliquis necessarius possibilitate impediat, verum est omne prius realiter a posteriori distinctum posse a posteriori segregari, quæ conditio, quamquam ab Argentinate, & Varrone non fuit expressa, certè nõ fuisset silentio obuoluta, si quis eam Scoti nomine pet-jllet, nec allatum generis exemplum ad rem facit, nam non ita genus a specie distat, vt singularitas à personalitate, illa enim duo, nempè genus, ac species correlatiue se habentia mutuam requirunt in mutuis diffinitionibus memoriam, singularitas autem cum personalitate non ita, quod si se Scotus in Varronem innexit, argumentationis studio inuexit, nondum prællicta personalitatis a singularitate differentia, hinc si nostrates lcisferreus Fabrum, ac Radam ipsi quoque allatam rationé Varronis reprehendunt, ita tamen, vt velint nolint, ea vtantur ad hanc ipsam assertionem probandam, nam nisi singularitas poneretur à personalitate seiuncta, nec posset humana natura singularis assumi inassumpta personalitate, & propterea, vel non fuisset natura humana assumpta a Verbo, vel assumpta fuisset cum humana natura humana persona, quod est hæreticum.

Varro Argent.

Faber, Rada.

13 Nos autem rursum hanc partem probamus. Cuius impossibilitatis nulla apparet ratio, illud iure meritò censeri poterit possibile, sed humanam naturam singularé potuisse à Verbo assumi, nulla impossibilitatis apparet ratio, ergo illam assumi simpliciter possibile est, maior patet ex terminis, minor probatur, primo quia si Verbum potest hanc terminare dependentiam, quid obstat, quominus possit illam creatura fundare? Siquidem nequit esse in aliquo potestas ad depédentiam quamuis terminandam, nisi in aliquo potestas collocetur ad fundandam hanc dependentiam. Secundo, quia, si quæ effingi potest repugnantia, illa potissimum censebitur, quia nõ videtur posse intelligi singularis

Probatio ex propr.

gularis

gularis natura sine personalitate, at hoc ridendum est omnino, quandoquidem singularitas personalitatem præcedit,& singularitati personalitas duplicem adiungit negationem dependentiæ actualis,& aptitudinalis, quas à superiori virtute separari posse nemo Catholicus inficiabitur.

14 Secūdo principaliter persuadetur assertum; si Diuina virtute potest vnica natura in pluribus reperiri suppositis realiter distinctis, vt patet in Diuinæ essentiæ communicatione tribus personis, quinam maior erit repugnantiæ occursus, si duæ seiunctæ naturæ superna virtute in vno supposito ineffabili nexu copulentur? Enim vero, si qua esset, par vtique vtrobique incideret difficultatis occasio. Insuper si accidens sine subiecto in altaris Sacramento seruari incolume, fides credere iubet, cur non facile quibit assentire intellectus seruaram in alieno supposito incolumem singularem humanam naturam? Hæc & consimilia coniecturā ingerere possunt priori parti assertionis nostræ, quæ singula suppositæ fidei veritate non nihil probant, seclusa autem fide inania sunt, vt in altera parte asserti dicebamus, quæ probatur. *Altera publ.* *Asserti. 2. pars.*

15 Primo scripturæ testimonijs, Ephes. 3. & Colos. 1. vbi Sacramentum hoc à sæculis absconditum dicitur, & Isai. 53. *Generationē eius quis enarrabit*, quē locum, ne de sola æterna generatione percipias, consule Bernardum in canticis, in hæc verba humanæ inscitię rationem accommodantem. *Quis non miretur dum Verbū sit infans, lux non lucens, aqua sitiens, longitudo angusta.* Consule Diuum Maximum in sermone de Christi natali sic loquentem; *Fratres inenarrari potest diuina Conceptio, sed si lingua deficit, fides proficit*, Consule Crysost. homil. 5. contexentem; *Miraris quod ego nescio, omnis creatura ignorat, & hoc naturaliter in hac re scimus, quod nihil scimus*, Consule Augustinum epistola 3. ad Volusianum sic loquentem, *Fatemur nos Deum aliquid posse, quod fatemur nos inuestigare non posse.* *Eph. 3. Col. 1. Isa. 53. Bernardus in Cant. Maxim. serm. de Christi nat. Chrisost. hom. 5. Aug. epistola 3. ad vol.*

16 Secundo ratione. Cuius causa naturalis nulla est, nequit naturaliter, secluso superno lumine illucescere, sed causæ huius mysterij supernaturales sunt, ergo, & mysterium ipsum nequit naturaliter illucescere, minor probatur nam vnitionem hanc singulæ diuinæ faciūt personæ; assumptionem vero Verbi persona dumtaxat, quæ dependentiam humanæ naturæ terminando humanam ipsam naturam assumpsit, hoc est ad se sumpsit: atqui personarum pluralitatem in Deo nequit intellectus agnoscere, nequit etiam naturaliter verbi naturam, & personam inuestigare, quare vnitionem ipsam, & assumptionem admirabilem ignoret naturaliter intellectus necessum est; & confirmatur ratio, nam vnio de qua loquimur, relatio est, vt supra tetigimus, sed relatio ignoratis fundamento ac termino ignorāda est, quippeque ex eodē fonte haurit cognitionē, ac entitatem, cognoscibilitas enim est perpetua entitatum comes, sed terminus relationis huius est Verbum ratione personalis proprietatis, quod naturalem mentis humanæ captum fugit, nequit igitur hæc vnio naturaliter cognosci. *Probat. iterum.*

17 Siquis contra hanc partem insurgat in hunc modum: verisimile est posse Deum quidquid non demonstratur impossibile, sed hoc mysterium impossibile esse nequit demonstrari, ergo naturaliter videtur posse cognosci, fat. a. n. videtur posse possibilitas vel ostendi, cuius non potest impossibilitas ostendi. Obiectioni huic occurremus, non eo tol li naturalē mentis captum, vt rimari possit intimam diuinæ potestatis naturam, sed tantū philosophorum præcipua capita eo se inuexerunt dumtaxat, vt infinitum Dei vigorem faterentur, sed hic infinitus vigor ab omnipotentia distat, vt dictum est in phisicis; ad rem autem, vtique fatemur non posse hoc mysteriū impossibile esse demonstrari, alioquin demonstratio esset falsorum, vel ipsamet Verbi humanatio simpliciter fieri non potuisset, quorum alterum Philosopho, alterum Theologo displicet, at negamus illud probari possibile, quod non probatur impossibile, nam hæc duo: probatur possibile, non probatur impossibile, non se mutuò inferunt, vt patet in Logica, ex regulis propositionum negatiuarum, nam istæ propositiones non æquipollent, Franciscus ostenditur vidēs, Franciscus non ostenditur cæcus, ratio est, quia negatio cadit in Verbum non, *Oppositio.* *Occursus*

in nomen, deberet autem cadere in nomen, vt æquipollere possent propositiones, hinc ista duo afferta æquipollêt Franciscus ostenditur videns, Franciscus ostēditur nō cæcus, ita in argumētatione cum dicitur Sacramentum hoc non ostēditur impossibile, ergo ostenditur possibile, antecedens verum, consecutio falsa, nam propositiones non æquipollent, si autem diceretur, Sacramentum hoc ostenditur non impossibile, ergo ostenditur possibile, æquipollerent propositiones, & vera esset consecutio, si verum esset antecedens, vtrumque tamen est falsum, vt dictum est.

INCARNATIONEM FACTAM ESSE CONTRA IVDÆOS PROBATVR. Caput Tertium.

Assertio 3. 18 ASserto secundo. Incarnationem iam à Verbo factā, tamen cōtra Ethnicos ratione conuinci non posse; contra Iudæos autem ex scriptutis posse. Assertum hoc triplici parte compactum, quod ad priores duas spectat vno, vel altero Verbo probatur. Prima pars est præcipuum Christianæ religionis fundamentum, quod Ioannes expressit cap. 1. *Verbum caro factum est*, & Paulus ad Galatas 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere*; quem ne hominem solum putemus, Deum esse ad Philipp. 2. monet, *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, &c.* & ex toto noui testamenti decursu probari potest. *Ioan. 1.* *Gal. 4.* *Phil. 2.*

19 Altera pars ex superiori assertione elicitur; nam si possibilitatem facti huius nequit naturali ratione intellectus humanus capessere, multo minus poterit factum ipsum, ac mysterium inesse positū naturaliter apprehendere, ac demonstrare; siquidem exhibitio eius præter difficultatem, quam in humanum mentis ingerit captum; libertatem inuoluit diuinæ voluntatis; cuius naturam humana ratio explicare non potest, dempto supernaturali lumine iuxta illud Pauli Rom. 9. *Quis consiliarius eius fuit?* *Rom. 9.*

20 Tertia pars asserti ex multis sacræ scripturæ testimonijs deduci potest, at nos quidem duo solum contra iudæos locaferemus satis quidem in vsu posita; non satis tamen forte à Christianis explicata; nec satis à Iudæis intellecta.

Primum testimonium ex *cap. 49. Genes.* elicitur, vbi alloquens Iacobus Iudam filium benedicensilli, *Non auferetur, inquit, sceptrum de Iuda, nec scriba, aut legis lator de medio pedum eius, donec veniat Siloh &c.* ita legunt locum illum Hæbrei codices, latinus autem interpres habet, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*; quæ lectionis diuersitas facit, vt nollam authoritatem floccifaciant Iudæi; nobis tamē hoc loco, vt proprijs Iudæos iaculis cōfodiamus, libet iuxta lectionem Hæbream præfatum testimonium vrgere. *Testimonium. Gen. 49.*

21 Hæbreorum igitur sapientes; siqui sunt inter insipientium cateruas sapientes, maximam agunt de vocis Silo intellectu litem. Quidam nomine Silo locum quendam Iudeæ proprium intelligi volunt; quē alio nomine Siloe scripturæ vocant: quidam non loci, sed personæ venturæ nomen exprimi voce Silo putant. Quicumque significatum vocis Silo ad locum referunt diuisi sunt, quibusdam Messiam venisse confessis, illum Herodem fuisse dicentibus, quibusdam vero vaticinium illud Iacobi nō de venturo Messia, sed de alio Rege in Siloe vngendo intelligentibus, in quo clauderetur Iudaicæ tribus Imperium, ac principatus; quo sensu ipsorum aliqui vaticinium putant in Saule completum, qui natus ex Tribu Beniamin, Rex in Siloe declaratus, iura imperandi in Siloe accepit. Aliqui vaticinium ad Ieroboam referunt; quo imperante historiæ docent, magnam Iudaicæ Tribus factam fuisse iacturam; plerique vaticinium ad Nabuchonodosorem reijciunt; quo Tiranno Sedechias Rex regno orbatus, & oculis Iudæorum regnum infausto exitu sigillauit. *Respōsio Abben. Ezdra, & aliorū*

22 Præfatæ expositiones singulæ insanam declarant Iudæorum sapientiam; & prior quidem significatum nominis Silo ad locum referens labitur; nam quo nam potest modo vaticinium intelligi de Saule, Ieroboā, ac Nabuchonodosore; cum scriptura doceat venturum Silo, qui esset futurus expectatio gentium? An forte Nabuchonodosor, Ieroboam, *Refellun tur.*

Saul

Saul expectabantur Redemptores gentium, perditissimæ vitæ Principes? Præterea, quæ de Saule excogitant Iudæi vana sunt; non enim Saulem in Siloe, sed in terra Soph primo coronatum in Regem primus liber Regum docet cap. 9. mox cap. 10. acclamatum ab vniuerso populo Regem in Masphà; postremo cap. 21. habenas Imperij in Galgala sumpsisse. Vana sunt pariter, quæ de Ieroboam finguntur, nam præterquam quod Ieroboam tempore scissum est, non collapsum Iudæ Imperium; principante Roboam, & successoribus eius, vt in libris Regum patet, ipse etiam Ieroboam Regum 3. cap. 12. non in Siloe, sed in Sichem Rex acclamatus est, quem locum, vt à Roboam insidijs tueretur, castro muniuit. De Nabuchodonosore Ethnico Principe nihil vltrà superest dicendum, nam quæ pars infidelis cum Siloe fideli loco? Pars igitur interpretū Iudæorum Silo vocabulum ad locum referens ridenda potius est, quam eludenda; quicumq; autem Messiam fuisse Herodem aiunt, seuerius sunt castigandi; quasi verò Herodes non fuerit Alienigena; sed ex Iudæorum gente progenitus, vel quasi verò Messiæ munera Herodi cōueniant, Herodi, inquam, homini omnium turpissimo, de quo illud circumfertur Augusti elogium; *Malle se suem esse, quam Herodis filium*, quoniam inter cruẽtas Innocentium cædes proprio tenello filio crudelis barbarus nō pepercit.

[Margin: 1. Reg. 9. & 10. & 21.]

[Margin: 3. Reg. 12.]

23 Quicumq; vocabulum *Silo* ad personam, & ad Messiam referunt duplici lite vexantur, primo namque non conueniunt, qua ratione Messias dicatur *Silo*; secūdo in eludendo præcitato vaticinio decertant, discrepant primo de origine vocis *Silo*, quibusdam eam à verbo *Salah* depromentibus; quæ vox *Missum*, vel *mittendum* significat; & hic intellectus vocis congruit vulgatæ lectioni, in qua loco nominis *Silo* habetur, *Qui mittendus est &c*, quibusdam ea *Pacificum* denotari existimantibus; abundat enim Hæbrea lectio sensu; vt carent Hæbrei sapientes sapientia, plerisque vocem illam dissecantibus in duas partes, nimirum in *Si*, & *lo*; quæ significant latinè redditæ *illud cui*. facile tamen litem hāc leuem dirimemus, si singulas explanationes concedamus: Nam, siue *Pacificum*, siue *illud cui*, siue *Mittendum* ea voce intelligant; velint, nolint Messiæ proprietates declarāt; qui & nascendo Pacificus Rex, pacis primordia ferens, & Ierosolimitano ingressu ramis palmarum honore pacifici Regis nomen adeptus; & moriendo pacem terris indidit reconcilians in se ima summis; & *illud cui* dicitur, illi, inquam, cui reseruatum est à Patre Imperium, Angelo nunciante pracone, *& regnabit in domo Iacob, &c.* & mittendus iure dicitur, & missus à Patre ad perditam hominis restaurandam salutē.

[Margin: Aliorum Interpretatio.]

24 Alterum dissidium vertitur in elusione testimonij illius, nam quidam imprimis negare non verentur nondum expletum esse vaticinium, superstite adhuc aliqua Principantis Iudę reliquia in Ciuitate Babilonis; quo cæteri Iudæi per orbem dispersi statuto tempore confluunt, vt conflata à Principe decreta recipiant. Alij autem aiunt satis esse aduersitatem vaticinij illius; vt Iudæ sceptrum non fuerit in alienam Tribum deuolutum, propterea, quamquā Iudæ Tribus orbata fuit imperio, nondū censetur vaticinium impletum; quoniam ad nullam Tribum aliam Iudæ principatus est deuolutus.

[Margin: Aliorum sensus]

[Margin: Rabi Gerūdensis]

25 Vtraq; tamen responsio ablegatur illa risu, hæc ioco, risu, inquam, illa, nam hæc imperij Iudeorum perseuerantia tunc fuit inuenta, quando hisce fuit auctoribus opus; quid enim in Babilone Iudei vrbe iam funditus euersa, nec amplius antiquæ vrbis vestigium præferente? quid in alia eiusdem nominis Ciuitate, si obsessam, tum Asiæ, vbi Babilonis cuiusdam reliquiæ visuntur, tum Africæ, & Egipti, vbi Cairus, quem alio nomine Babilonem vocabant, Turcæ infensissimi Iudeorum hostes perturbant? An vero Turcæ expoliantes Christianos Imperio Orientis se mitius cum Iudæis gerunt, vt principandi potestate donent? Apagè vero. Amor, & regnum nō capit duos, veteri prouerbio, & multo minus diuersæ sectæ duos. Africa Babilon Turca penitus. Asiatica vero Turcarum imperio subdita est, & siqui sunt homines qui ante hæc tempora Caldeorum erroribus imbuti erant; Pauli V. æternæ memoriæ Principis opera, Romanæ fidei parent; Iudæos ibi inuenies paucos; si o-

[Margin: Vtraque glosa castigatur]

culatis testibus credas, At quispiam fore dixerit superesse, tum in Africa in montibus; quos lunæ vocant, Abissinorũ Imperio subditis; Imperantis Iudæ reliquias, superesse, & in Asia in vastissimis illis Tartarorum regnis, vbi gẽtes; ac gentium Principes Hæbream profiteri fidem, illud testimonio est, quod Caroli V. Romanorum Imperatoris, & Francisci primi Gallorum Regis tempore Tartarorum Princeps Mantuæ combustus est; cum Christianos ad Hæbreã, cui ipse incumbebat, fidem sollicitaret; & nunc tẽporis orbis terrarum descriptores in extremis Asiæ oris Hæbream gentem principatum tenere docent. Occurrimus tamen dubitationi huic, Hæbream familiam in Africæ montibus vicique multam esse; sed Pretiosi Ioannis Imperio parere; vt ipsi partium illarum descriptores docent; quod siqua apud ipsos Iudæos potestas remanet; ea tantum est in rebus leuis ponderis, de quibus potentissimus ille Imperator non curat in saltibus, ac montibus; similiter de Tartarorum familia historiæ docent, vt patet apud Buterũ, & alios, eã nec Hæbream, nec Turcam insequi sectam; sed neque Christianam redolere fidem; admixtas tamen ex singulis habere singulas consuetudines, ac mores, vt potius Hæbrei Turcæ, quam Fideles Hæbrei censendi sint. Adde (& hoc maximè est considerandum) patere apud Hystoricos, Iudæos illos, non de Tribu Iudæ, aut Beniamin, sed de decem Tribubus per orbem dispersis à tempore Salmanasar Regis ortum traxisse, proinde Israelitas esse non Iudæos. *Buterus*

26 Altera responsio de translatione Imperij in alienam Tribum ioco digna est, cum sit planè voluntaria; innuit enim vaticinium, fore, vt illa Tribus in Christi aduentu careret Imperio; non vt ab ea transferretur Imperium in aliam Tribum; factum est autem, vt imperio careret aduenientе Christo, quare vere fuit vaticinium expletum. Hæc contra Iudæos; sed quoniam locus ille *Gen.* apud Fideles maiori difficultate scatet; quippe quia vaticinium illud multo ante Christi tempora videtur expletum, tempore scilicet Sedechiæ Regis; idcirco diligentius difficultas præsens est præcurrenda; & perscrutandum, quo pacto ad Christi vsque tempora imperandi potestas in Iudæ Tribu perseuerauit.

27 Æstimant nonnulli à Dauide vsq; ad Iechoniam regale sceptrum apud Iudæ Tribum fuisse, à captiuitate verò Iechoniæ, vsque ad Christum floruisse in ea Duces, ac Principes: è quorum numero post Zorobabel, & cæteros in Esdræ libris relatos recensentur etiam Machabei; quorum series ad Christum vsque producta est; quod si quis eis obijciat in vaticinio Iacobi particularem factam fuisse sceptri memoriam, habet enim *Non auferetur sceptrum de Iuda, &c.* occurrabunt illi, sceptri nomine non regiam dumtaxat, sed, & quamuis regendæ rei publicæ potestatem fuisse intellectam.

28 Hæc explicatio tradita quondã à Hieronymo, & antiquioribus Ecclesiæ patribus arridet maximè recentibus Galatino, & cæteris: sed maximo vrgetur dubio, etenĩ Machabei præterquãquod principatu sua sponte armorũ vi fuere potiti ad restaurandum Dei cultum, vt patet Machabæorum primo cap. 2. de Mathatia &c. non de Iudæ, sed de Leui tribu seriẽ generationis ducebant; quippe qui sacerdotes erant, sacerdotium verò ad leuiticam Tribũ spectabat solum. Neque satis est asserere, paternam Machabeorum originem Leuiticam fuisse, maternã verò Iudæã, nam sola materna origo nõ est satis, vt Machabei dicãtur ex Tribu Iuda; alioquin iã bene sacerdotium diceremus Iudaicæ Tribus proprium, regnumque leuitici generis, quã sacerdotium leuiticum fuisse, ac regnum Iudaicum, quod falsum est, nam ex legum peritis materna origo, & progenies ad hominum progenies non cõputatur. Neque etiam verum est quod Genebrardo placuit scilicet Machabeos maternam ex Leui, paternam ex Iuda originem duxisse, non enim fæminarum, & matrum; sed hominum generationis habebatur ratio, alioquin permixtis adinuicem matrimonij connubio Tribubus, æque bene Sacerdotiũ conuenire potuisset Tribubus cæteris, ac soli leuiticæ Tribui. Recentior quidam auctor è Societate Iesu Iacobi præfata verba exponens, hisque difficultatibus cædens arbitratur vaticinium illud nõ absolute, sed sub conditione traditum; vt quemadmodum Deus Dauidi 3. Re-

Hieron. *Galat.*

1. Mach. 1. & 2.

Genebrardus.

3. Reg. capit. 2.

gum

gum cap 2. promisit, non defuturum de solio eius regem, si mandatis Dei obtemperaret, ita non fuisset defuturum à Iudæ Tribu sceptrum, nisi Tribus illa in peccata ruens à diuina gratia excidisset; & proinde sicuti defecit ex Dauidica stirpe regale imperium, ruentibus in scelera filijs; ita priusquam Christus carnem sumeret, ruente in peccata Iudę populo, ruit & sceptrum. Hæc tamen expositio violenta mihi videtur loci illius extorsio; tũ quia locus ille maximã semper patribus ansam præbuit probandi Christi in carne aduentus, cõcesso tamen hoc sensu conditionato ansa probationis Patrum remaneret inanis; tum etiam, quia conditionem, vbi conditio desideratur, appingere auctoris est, non cõmentatoris; & quicumq; ita sentit voluntarie sentit, vt quid enim si conditionem locus ille exposcit, conditionem Moises non apposuit? qualem habent verba Dei ad Dauidem Regum 3. *Si Filij tui ambulauerint coram me, &c.*

29 Placet nonnullis asserere incolume perseuerasse apud Iudæos concilium quoddam 70. virorum; quod institutũ à Deo tempore Moisis, ad Christi vsque tempora perseuerauit, dum de Christi ipsius nece concilium coegisse Ioannes refert *cap.* 21. & apud hoc concilium libet his credere supremum mansisse Senatus consultum; consultores autem de Iudæ Tribu fuisse; Enimuero aliquale seniorum concilium superfuisse apud Iudæos negare non ausim; allatum tamen expositorum placitum non probatur, tum quia apud seniorum concilium hoc non fuit vsquam, vt creditur, suprema iudicandi potestas, vt patet in Christi morte; quam concilij assessores machinati sunt; non autem intulerunt; nec intulissent, nisi iudicante Pilato; tum quia Regum tempore verosimile non est apud duo solia iura regni mansisse; nẽpe penes Regem, & penes seniores; multitudo enim Principantium nusquam concessa; tum denique, quia viros istos de Tribu Iudæ fuisse leuis est coniectura: immò vero similius est fuisse de Tribu Leui; vt patet de Machabeis; deq; ijs, q Christi necẽ machinati sũt; quos Põtifices, ac Sacerdotes fuisse recitat Ioãnes. *Ioan. 21.*

30 Placet alijs nomine Tribus Iudæ, non specialem Tribum, sed vniuersum Iudaicum populum fuisse intellectum; apud quem qualis qualis dominandi potestas vsque ad Herodem alienigenam producta est. Sed isti clarius vaticinio aduersantur; in quo Iacobus non filios cæteros; sed specificè Iudam filium benedicens alloquebatur.

31 Caietanus in Commentario illius loci sceptri nomine non regnum, aut temporale regimen, sed quamdam dignitatem intelligit, quam inter Hæbreos habitura erat Iudaica Tribus; quæ potita est; Iudæ enim Tribus, quæ tunc temporis cæteris præferri cœpit præeminẽtiæ dignitatem semper retinuit, sed neque nunc temporis amisit; nam & præfertur, vt prius, nec officit particula illa *donec* in vaticinio, quasi vero cessura videatur hæc dignitas adueniente Messia: vim.n. huiusmodi particula *donec* in scripturis nõ habet, alioquin dũ Matthæi 1. dicitur Ioseph non cognouisse Mariam *donec peperit*, sequeretur cognouisse, postquã peperit, quod falsum est, & hæreticum. *Caiet.*

32 In hac Caietani sententia duo mihi se offerunt reprehendenda, Alterum est nõ cessisse dignitatem in aduentu Messiæ; Alterum vero, particulam *donec* in scripturis non denotare terminum, &c. primum improbatur, nam in primis leuitati tribuendum esset Patribus hoc testimonio perfidiam Iudæorum eludentibus, quo persuadent Messiam aduenisse, quoniam Iudæ dignitas euanuit; Hoc autem tribuere Patribus temerarium est omnino: Præterea opus ipsum exhibitum Caietani explanationẽ plane monet explodẽdam, nam paulo post Christi aduentum, ruente Hierosolymitano Imperio, Hæbreis per orbem dispersis excidione memorabili Titi, ac Vespasiani imperio nulla cœpit haberi ratio siue leuiticæ Tribus, siue Iudaicæ, ergo tunc verè cœpit silentio inuolui præstita Iudæ præstãtia, cum Christus aduenit. Secundum reprehenditur, nam, & si Matthei *prim*o particula *donec* terminum non præscribat, falsum tamen est nusquam in scripturis particulam illam esse termini præscriptiuam, quoniam Ioan. vlt. edisserente Seruatore de Ioanne: *sic eum volo manere donec ve* *Ioan. vlt.*
niam, discipulisque arbitrantibus, non obiturum Ioannem, explicans Ioan. ipse, *non dixit*, inquit, *Iesus non moritur, &c.*

quasi

quasi vellet discipulos redarguere in particulæ *donec* intellectu, nam & si seruandus erat Ioannes vsque ad Christi aduentum, non tamen sequitur non futurum fuisse, vt moreretur, siquidem particula *donec* terminum non mortis ad illa vsq; tempora perscribebat.

Suarez 3. p. disp. 1. sect. 1. 33 Franciscus Suarez disput. 1. in 3. p. S. Thomæ sec. 1. censet in primis Iudæ nomine non vniuersum Iudæorum populum, sed specialem Tribum esse intellectam; mox ait destructo Israele solam relictam Iudæ Tribum. Tertio addit nomine scepetri, non solam regiam potestatem esse intelligendam, sed quandam præstantiam ordinis, qua donata dicenda est illa Tribus. Censet quarto septuaginta viros assessores Concilij fuisse de Tribu Iuda. Censet deniq; Iudæ Tribum regali potestate floruisse à Dauide vsque ad Sedechiã, quo decedente titulo regni saltem fuisse præditam, & regni loco coniunctam connubio Leuiticæ Tribus Sacerdotalem adeptam fuisse potestatem.

Reprehenditur Suarez 34 Sed hæc Suarezij interpretatio, vt ex singulis singula delibauit, ita singulorũ pariter instantias, nam ex quo in primis capite deducit solam superstitem fuisse Iudæ Tribum? At cæteræ (inquit Suarez) Tribus deletæ fuerant, iuxta illud *4. Reg. 17.* 4. Regum cap. 17. *Iratus est Dominus Israeli, & abstulit eos à facie sua, & non remansit nisi Tribus Iuda &c.* voluntaria planè excogitatio, nam eo loci patet Tribus alias non deletas, sed ad Assirios fuisse translatas; ipsa quoque successiua series Iudeorum docet Tribus alias non fuisse deletas, multi enim adhuc viuunt de Tribu Beniamin, & Leui, imme, & ijs etiam temporibus, quibus extinctas censet Suarez Tribus cæteras, principabantur Israeli Duces ex Tribu Simeon, *Iudith. 6. Luca. 1.* vt patet Iudit 6. de Ozia, & Cotoniele, fueruntq; Sacerdotes ex Tribu Leui vsque ad Christi tempora, vt patet Lucæ 1. de Zacharia patre Ioannis, quare Tribus cæteras, vel deletas fuisse, vel silentio inuolutas, est solius Suarezij commẽtum; Nec allata lib. 4. Reg. verba officiunt, est enim frequens scripturæ vsus, eos appellare à Deo abiectos, quos ipse Deus odit, vt patet de Saule, & cæteris, quare abiectus dicitur Israel, hoc est à gratia excisus, solaque Tribus Iudæ in fide permansit aliquali tempore. Præterea viros illos Concilij præsides ex Tribu Iudæ fuisse voluntarium est omnino quemadmodũ voluntaria est Regalis nominis perseuerantia a Suarezio inuẽta, cui nulla historia, vel scriptura fidei ansam præstat. Demum solam maternam originem defectuosam fuisse supra dictum est.

35 Ego hac in re, vt meam aperiam sententiam obseruandum reor, regni, ac scepetri nomen bifariam posse spectari, suso videlicet, ac stricto significato, & strictè quidem Regium Imperium, & potestatem denotare, late autem quamcumque præstantiam, tunc aio vtroque significato scepetri nomen allato vaticinio accommodari, & quod pertinet ad significatum illud, quo scepetri voce regale dominium, vel generatim principandi potestas intelligitur, patet à Dauide vsq; ad Iechoniam regale Imperiũ nomine, & re apud Iudæ Tribum permansisse, à Iechonia vsque ad Christum, à quo circiter quatuordecim numerantur progenies, & trecenti circiter quadraginta anni, etsi regale nomen ex Tribu Iuda cæcidit, iudicandi tamen potestates non defecisse putarim, vt proinde nomen, non sceptrum ceciderit; Ducor in hanc sententiam, quia reducta Iudæ Tribu ex Babilone tempore Neemiæ, & Zorobabelis mansisse totale regimen apud Zorobabelem, & successores de Tribu Iuda patentissimè ex libris Esdræ docemur, & verosimile crediderim etiam Machabeorum tempore aliquos ex Iudæ Tribu principatos. Nec refert Machabeos asseri Israeli præpositos, nam totale regimen apud Machabeos fuisse non constat, sed solam imperatoriam exercitus potestatem, & Sacerdotij dignitatem, cæterum quemadmodum tẽpore Iudith regiminis iura manserunt penes Oziã Principẽ, & Eliachim Sacerdotem magnum, ita potuit Machabeorum tempestate fieri, quod si huius rei nulla est in libris Machabeorũ memoria, hoc factum puta, quia libri illi non ad regnũ Iudæ, & statum eius, sed ad Machabeorum bella, & fortitudines enarrãdas conditi sunt, vt patet ex præfatione 2. *lib. Machab. cap. 1. & 2.*

auct. opinio. *2. Mach. 1. & 2.*

36 Quod si dicas à Iacobo vsq; ad Dauidem desideratum fuisse hoc regimen

in

in Tribu Iudæ; Non eo inficias, sed neq; hoc vaticinium ipsum postular, vt ab exitu sermonis Iacob principari deberent Iudæ filij, declaratur enim vaticinio illo Regni terminus, non principiũ, vnde satis est, vt adeptam regnandi potestatem nusquam Iudę tribus amiserit, nisi adueniente in carne Seruatore. Si autem scepteri vocabulum latiori significatione sumamus, certius est sceptrum ipsum in Iudæ Tribu vsque ad Christi tempora permansisse, vt patet in libris Numerorum de tempore antequam iura Imperij apud ipsam Tribum essent, & in libris Esdræ post regale nomen amissum. Ne quis autem putet non posse vaticinium de sceptro in hoc sensu intelligi, coniecturam huius rei ex Genesi deducimus, vbi benedicturus Iacob filijs suis, cum Tribubus Ruben, Simeonis, & Leui prosperos interdixisset euentus, Ruben quidem, quia patris cubile ascẽderat, & paternum stratum maculauerat, Leui autem, & Simeonis, quia ob Dinæ sororis stuprum in necem Cananeorum conspirarant; quas causas euoluit ibi Iacob, ad solam Iudæ Tribum conuersus, præfecit illam cæteris, his verbis *Iuda te laudabunt fratres tui, te adorabunt filij patris tui*, & mox fratrum subiectionem, & venerationis modum præscribens, subdit, *non auferetur sceptrum de Iuda, &c.* relatio igitur ista dignitatis euidenter videtur ex præcitato vaticinio posse deduci.

37 Ex hoc testimonio longius forte quã par erat decurso validum construitur ad eludẽdos Hæbreos argumentum. Iudæ Tribus præferenda erat cæteris, donec in lumbis Seruatorem contineret, ergo prælatione sublata, magnum habemus Seruatoris aduentus testimonium.

2. testum scrip. Dan. 9.

38 Alterum Scripturarũ testimonium contra Iudæos, à *cap. 9.* Danielis petendum est, vbi ab Angelo Messiæ ortus, & interitus declaratur, *septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum, &c.* qui locus tantus est, vt maxima Iudæorum capita torqueat, hinc eo tandem deueniunt, vt nolint vaticinium illud de Christo intelligi, ducuntur autem in hanc coniecturam auctoritate, & ratione; Auctoritas est quorundam Christianorum interpretum, Eusebij videlicet, & Theodoreti, qui Christi nomine, non

Hæbreorum somnia.

Messiam: sed Hircanum successorem Pontificum intelligunt, & frequens est scripturarum vsus Christi nomine appellare insignes viros, hinc Cyrus Persarum Rex Isa. 45. Christus dicitur, *hæc dicit Dominus Christo meo Cyro*, Hircanus igitur Christus dici potuit. At qui etiã Iudæi Christi nomine, cuius meminit Daniel intelligunt Herodem Agrippam temporibus Titi in euersione secundi templi interẽptum. Facit pro Iudæis hæc ratio, quia non postulauerat tunc temporis Daniel à Deo Messiæ aduentum, sed exemptionẽ Iudaici populi à seruitute Babilonis, quare si votis petentis annuit Deus frustra dicitur Gabriel Danielem de aduentu Messiæ monuisse. *Isac. 45.*

39 Hæc Iudæorum dixerim somnia, non probabiles coniecturas, vt quid enim Hircani mors tot erat præcurrentibus sæculis Angelorũ ministerio reuelanda, si ea nulli comparãdo bono vtilis erat? vt quid Christus Herodes homo turpissimus turpissimi Agrippæ filius, cuius ineptia vniuersum cæcidit hæbreorum imperiũ? ecquis fabulosus extitit mortis eius à Romanis illatæ inuentor, si Iosephus viuus tunc temporis auctor ipsum Romam ex Iudæa incolumẽ concessisse docet? & verosimile est Romæ multi habitum, quia sororem habebat, Suetonio teste; Berenicem nomine Titi, Imperatoris delicias. Præterea numquid Sanctus Sanctorũ Hircanus? Numquid Herodes? quorum neuter laudatæ vitæ fuit, neuter oleo gratiæ vnctus, neuter Iustitia indutus sempiterna? Præterea Hæbrea lectio, nomine Christi ducis legit, Christum principalem, quæ cum vera sit, qualis obsecro verborum accommodatio Hircano, & Herodi? an Christus principalis, & verus Messias dicendus Herodes, & Hircanus? Nec mihi Theodoreti sententiam obijciant Iudæi, quæ non est tanti apud me ponderis, vt à sententia recedam, nec Eusebij testimonium probo hominis toties erroris reprehensi, toties Origenistarum fautoris, totiesque à communi Sanctorum consortio prohibiti, iuuat adhærere Hieronymo, Augustino, Gregorio, & similibus spectabili sanctimonia, ac doctrina viris, qui vna nobiscum sentiunt. Nec Hæbreorũ coniectura quidquam probat; nam quidquid de peti-

Ridentur

Suetonius in vita Titi.

tione

tione fuerit Danielis; quæ etsi primo intuitu videatur captiuitatis exemptionem inuestigare, re tamen oculatius inspecta non nihil vltra exquirere diiudicatur ex verbis Angeli ad Daniele; quæ sunt *Quoniam vir desideriorum tu es, &c.* ex quibus colligi facile potest, non vnũ tm fuisse à Daniele expetitum; quidquid tamen hoc fuerit; certe nemo ibit inficias, plura in vaticinio inuolui, quæ petitionis ambitum excedunt, quandoquidem vnctio sancti sãctorum, reductio iustitiæ sempiternæ, Christi principalis occisio, quæ in verbis Angeli inuoluuntur nullam habent cum petitione Danielis connexionem; plus igitur Danieli Gabriel præstitit, quam à Gabriele Daniel petijt; & iure merito, quoniam Dominus noster, qui diues est in misericordia, vltra petitum, ne dum postulata quærentibus, sed abundantius dona largitur; ita enim, & Ipse testatur in Euangelio; *Veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Hactenus contra Iudæos.

40 Cæterum annorũ seriem harum hebdomadarum inuestigare tenemur. Et in hac in re certum est primo Hebdomadæ vocabulo non octo dierum internallum intelligi; alioquin Christi aduentus multo ante vera tempora præcessisset, sed esse hebdomadam quamuis septem annorum numero constitutam; vti consueuit scriptura Annorum hebdomadas inuehere Leuitici 7. vbi alloquẽs Moisen Dominus, *numerabis*, inquit, *tibi septem annorum hebdomadas, &c.* Hinc hallucinatus est Origenes *tractatu* 25. *in Matthæum* singulas hasce hebdomadas ex singulis septuaginta annis conflando, etenim, præterquãquod vniuersæ Patrum doctrinæ contrarius est, Christi etiam aduentum in longiora tempora deducit; & sic laberetur Ecclesia in enumeratione annorum ab Christi aduentu, vsui etiam scripturæ contrarius est septem annorum numero constituentis illas, ad instar materialis hebdomadæ, quæ septem cingitur diebus, vnde Leuit. l. c. habetur *septem annorum hebdomadas*, idest *septies septem*, quæ simul faciunt 49. &c. Nec audiendus est Origenes hebdomadarũ exordium ab exordio mundi auspicatus, nam dilucidè Angelus monet, exordium sumptutas hebdomadas ab exordio sermonis, non mundi; grauius etiam labuntur Hæbrei ex septingentis annis hebdomadas singulas conflantes, vtpotèqui tam clarè consuetudinem scripturæ destruunt, & voluntariè loquuntur, quod si vera essent, quæ ipsi volunt de numero annorũ, compatiendum esset miseris, quoniam diu expectandus eis esset *Silo*.

Annorũ cõputus varius.

41 Certum est secundo duplicis generis annos in vsu Hæbreorũ positos, & quosdam solares, lunares alios fuisse nuncupatos, quidquid nonnulli velint, putantes solarem annum omnino Iudæis incognitum; quorum figmentum euertitur; quoniam secus non conuenirent Hæbræi cum Græcis, ac Latinis Historijs in computis annorum; cum Græci, & Latini solari anno vtantur; conueniunt autem adinuicem, quare & ipsis solaris annus probabatur. Insuper si minus solari anno fuissent vsi, non potuissent semper 14. Martij luna celebrare Pascha, sed singulis annis tot diebus Pascha præuenissent; quot lunaris annus à solari exceditur, exceditur autem singulis annis ferè 11. dierum spatio; cum solaris annus dies contineat trecentos sexaginta quinque, lunaris autẽ trecentos quinquaginta quatuor, &c.

42 Incertum est autem, quo tempore initium sumpserint præfatæ hebdomadæ; insuper, & quo termino fuerint conclusæ; & in hac incertitudine, quæ ex humana oritur historiarum inconstantia breuibus rem agemus.

43 Quidam Initium hebdomadarum à primo anno regnantis Cyri deducunt; quando primum de restaurãdo Templo excidit ex eius ore edictum, & terminũ vaticinij in morte Christi concludunt hoc numero annorum.

Ante Christi mortem principati erãt Romani sexaginta annis.

Græci vero ducentis octoginta annis.

Persæ demum regnarant annis centũ quinquaginta.

Ex triplici igitur Monarchia expleta coadunatus annorum numerus efficitur quadringentorum nonaginta annorum, qui, si Arithmeticam calles, septuaginta hebdomadas ex septenis annis conflant.

44 Alij exordium accipiunt à primo anno Darij, à quo vsque ad Græcos perseuerauit Persarum Imperium annis ferè centum

centum quinquaginta tribus.

Hos ab Alexandro primo Græcorum Imperatore subsequuti sunt anni centũ septuaginta septem, Græcæ Monarchiæ vsque ad Hircanum; ab hoc autem vsque ad Christi mortem deuoluti sunt anni centum sexaginta.

Qui simul reducti 70. hebdomadas complent, numerumque conficiunt annorum quadringentorum nonaginta.

45 Alij ab anno 20. Artaxerxis Persarũ Principis initium hebdomadarum accipiunt, & finem in Christi morte constituunt, hoc arithmetico annos calculo metiti.

Ab Artaxerxis anno 20. vsque ad Alexandrum elapsi sunt centum quindecim anni.

Ab Alexandro Macedonum capite vsque ad Augustum Romanorum Cæsarem anni trecenti.

Ab Augusto vsque ad Christi mortẽ numerentur anni sexaginta quinque.

Qui, si adinuicem connectantur, complent annos quadringentos septuaginta quinque, quibus, cum iuxta hebdomadarum numerum desiderari videantur quindecim anni; addunt auctores annos fuisse lunares.

Computus proprius.

46 Ego in tanta historiarum inconstantia, quid certi referam nescio; dixero tamen, salua pace, quid sentiam, confutatis aliorum sententijs: quæ omnes genericè in eo labuntur; vt vaticinium putent in Christi morte completum; in qua septuagesima hebdomada ipsis videtur expleta; decipiuntur tamen egregiè, quoniam vaticinium clarè docet euenturam Christi mortem in sexagesima tertia hebdomada his verbis; *& post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*.

47 Specificè autem assertores primæ responsionis hallucinantur, nam à Cyro vsque ad Christum finxerunt anni plusquam quingenti quinquaginta; cœpta enim Monarchia Persarum à Cyro, & extincta à Dario Arsami filio, quem Alexander occidit, ducentis viginti tribus annis perseuerauit. Rursum Monarchia Græcorum ab Alexandro cœpta, & vsq; ad Tigranem producta perstitit annis ferè ducentis quinquaginta tribus; quo Tigrane per Pompeium occiso fluxerunt vsque ad Christi mortem septuaginta nouem anni; qui, si rectè numerantur, cõplent annos circiter quingentos quinquaginta quinque, & proinde hebdomadarum computatio inanis redditur.

48 Inanis est etiam secunda explicatio; quoniam exordium vaticinij, vt l. c. Danielis patet accipiendum esse videtur ab exitu sermonis, exitus autem sermonis illius fuit tempore Cyri triginta annis ante Darij Regnum; ab illo igitur Calculo si 30. demant annos, siue, vt rectius dicam, si 30. adiunxerint annos; maior esset numerus quam 490. annorum; cõstaret enim annos circiter 520. neque proinde hebdomadarum numerus verus esset.

49 Tertia expositio etiam labitur, nam hebedomadibus, vt ipsi volunt, ab anno 20. Artaxersis exordium sumentibus supersunt Monarchiæ Persarum tantum anni centum quindecim, quibus additi quadraginta annum Romani, & ducenti quinquaginta tres Græci Imperij complent numerũ quadringentorũ quadraginta septem annorum; & numerus obinde hebdomadarum inanis; vnde auctores præcitati, dum ab Alexãdro vsque ad Augustum trecentos enumerant annos, decipiuntur; nam ab Alexandro vsque ad Tigranem manarunt anni ducenti quinquaginta tres, Tigranes autem septennio fere Augusti tempora superauit; nam Cæsari Principatus est trea annos solus; tres fere ante annos Pompeius Tigranem vicerat; quare si septem adiungas numero 253. complebitur numerus 260. annorũ, plus minus.

50 Arbitror erroris interpretum causam ex prauo Vaticinij intellectu fluxisse; in quo duo inuoluuntur; Primum est occisio Christi, alterum est Ciuitatis vastatio, & Hyerosolimitanæ ditionis perditio; patet ex vaticinio, in quo primum dicitur *Septuaginta Hebdomadæ, &c.* & mox dicitur in 63. hebdomada necem futurã Christi &c. si ergo 70. quomodo 63? Nimirum quia duo referebat Angelus, alterũ in 63. alterum in 70. hebdomada euẽturũ; illud erat occisio, hoc vero Ciuitatis vastatio, iuxta verba prophetiæ illius, *& post finem vastitas, & statuta desolatio &c.* Auctores autem responsionum præfatarum dum hæc in idẽ tempus confundentes, numerum quoque annorum confundunt; iam vero no-

stram prosequentes sententiam poterunt numeri hunc conflare in modum, supponendo exordium vaticinij sumendum non ab exitu illo sermonis Angeli, vt patet ex verbis eius; *ab exitu sermonis Vt ædificetur Ierusalē, &c.* neque sumendum ab exitu sermonis de promissione ædificationis Templi, quæ euenit anno 20. Artaxerxis, sed à completo ædificij edicto, & opere, quod euenit anno eiusdem Artaxerxis trigesimo tertio, terminari autē 63. hebdomadam in Christi morte; nam.

Artaxerses post ędificatum Templum vixit septem annos.

Darius post Artaxersem vixit annos decem nouem.

Artaxerses alter post Darium vixit annos quadraginta tres.

Alter Darius post Artaxersem secundum vixit annos viginti tres.

Arses insecutus Darium secundum vixit annos tantum tres.

Demū Darius Tertius postremus Persarum Rex vixit annos septem.

Qui complent annos centum, & duos, quibus additi 79. anni Imperij Romani, & ducenti quinquaginta tres Græci Regni efficiuntur anni 439. qui complent 63. hebdomadas annorum; ineunte anno 63. hebdomadis occisus est Christus, vt vaticinium monet: *post hebdomadas 62. occidetur Christus, &c.* Veritas autem vaticinij circa opus alterū, quod in eo inuoluebatur cōpleta est ineunte 70. hebdomada; etenim septenarius numerus septies in seipsum reductus constituit 49. à Christi autem morte vsque ad euersionem Templi effluxerunt 47. circiter anni; eo quomodo absoluta 69. hebdomada, ineunte 70. dirutum est Templum.

MESSIÆ DIVINITAS, ET HVMANITAS PROBATVR EX SCRIPTVRIS.

CAPVT IV.

51 SEruatorem Mundi verū hominem futurum nunquam fuit apud Iudæos dubitatum edifferētibus scripturis ex semine Dauid, & ex Tribu Iuda oriturum, porrò naturali cursu homo hominem generat, quæ ratio satis clarè humanitatem Christi confirmat, quam parentissimè cecinerunt scripturæ Deuteron. 18. *Suscitabit Dominus Prophetam de gente tua, &c.* Num. 14. *Orietur Stella ex Iacob, &c.* & rursus, *De Iacob erit, qui dominetur, &c.* quæ loca ad Messiam referenda ipsi etiam nequeunt vitare Iudæi, Manichei autem qui impudentissime Christi humanitatem negabant, ex Euangelio eluduntur Ioannis 8. vbi se Christus hominem vocat *Quid me quæritis interficere hominem, qui vera dixi vobis?* Et planè hominem esse Christum decuit, quia ad restaurandos hominum casus iuxta Iacobi vaticinium, mittendus erat, *Ipse erit expectatio gentium*, & propterea decuit, vt sicuti per vnum hominem mortis pœnam hominibus Deus inflixit, ita per alterum hominem vitam donaret æternam, Ægregium Pauli argumentum Romanorum 5. est igitur indubitata res de humanitate Messiæ, cæterum verum esse Deum ex Deo genitum, contra Hæreticos, & Hæbreos, satis abundè disputatione nostra prima de productionibus Diuinis in primo Sententiarum, ex scripturis ostendimus, at nunc vero, vnum, vel alterum huiusce rei testimonium; quorum illud satis expressum est apud Zachariam cap. 20. vbi hæc habentur *Lætare filia Syon, quia ego Venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus, & scies, quia Dominus exercituum misit me ad te*, quibus habemus dilucidè, & astitutum in medio Iudaici populi Deum, & à Deo exercituum mittendum, quem locum vrgent maximè Catholici contra Hæbreos de diuinitate Messiæ, Alterum testimonium elicitur ex Isaia, *cap. 9.* vbi, & Messiæ aduentus, & ortus, & quæ illi infuturæ erant virtutes enodantur his verbis *Paruulus datus est nobis, & filius datus, &c.* neque enim audiendi sunt Hæbreorum nonnulli, qui vaticinium hoc ad Ezechiam Regem Iudæ diuertunt, quærō enim illos, numquid pater futuri sæculi Ezechias? & tamen regnaturum in sæcula, patrem futuri sæculi, & principem pacis paruulum illum Isaias fore proclamat. Consule authoritates alias ad eum cendos Hæbreos ex Patribus. Contra Hæreticos autem vnus est omnium in-

Deut. 18.
Num. 14.
Ioan. 8.
Rom. 5.
Zac. 20.
Isai. 9.

Ioan. 1. stat Ioannis 1. locus. *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum & caro factum est Verbum*, in cuius explicationem vide quæ diximus in primo loco citato.

52 Solum obsistere possunt Hæbrei, nam si loco *Deuteron. citato* prædicitur Messias futurus Propheta, sicut Moyses, certè cum purus homo Moyses fuerit, purus homo censebitur Messias; & confirmatur, nam dum venturi Messiæ promissio facta Iudæis fuit, rogauerant Iudæi, ne sibi Dominus loqueretur si igitur petitionem admisit Deus, cum iam uerit bus sermones Dei Messiam promisit, non Deum, sed hominem promisit. *Heb. in. stantia.*

53 Vetus tamen Iudæorum argumentatio ex antiquorum Patrum doctrina refellitur, vtique Prophetam illum, quem illi promisit Deus fore verum hominem, Moysi in natura similem, ac in officio, non tamen necessarium est asserere fore omnino similem Moysi in singulis conditionibus, quis non habente Moyse non esset Messias futurus, fuit igitur Moysi similis, ac non omnino Moyses fuit, fuit enim homo, vt Moyses, fuit Deus non vt Moyses, quem si fore Deum non prædixit Moyses, nec etiam negauit fore Deum. *Reijcitur ex Patribus.*

54 Ad confirmationem respondeo, ex illo loquendi genere deitatem à Messia non secludi, promittitur enim homo, sed non secluditur Deus. Et cum ij sitiunt Iudæi, non petiere Messiam esse Deum, quia promisit Deus Messiã, vt populus, qui Deum audire timebat Messiam audiret. Respondeo non alloquentem Deum timuisse Iudæos, sed modum alloquutionis eius in fulgure, & igne, hinc Deuter. *loco cit.* ratio fertur, cur Iudæi vocem Dei audire negligerent, quia scilicet ignem maximum videre horrebant, ne morerentur; petitioni igitur ipsorum annuens Deus Messiam promisit, qui esset æque potens, quia Deus, esset æquè mitis, quia homo promisit autem his verbis, *Prophetam de Gente tua suscitabo, &c.* quasi diceret, ex quo vocem tonitrui, ignis, & fulgur horretis, quia hominem forte non horretis, qui prius in fulgure, & tonitru, & igne loquebar, loquebar Deus in homine, Deus homo.

VT INCARNATIONIS POSSIbilitas eluceat. exponitur, num quid à personalitate singularitas distinguatur, & è contra, quonam distinctionis genere.

CAPVT V.

55 Ex dicta disputationis huius inquisitio ad intelligentiã humanæ naturæ personandi in supposito verbi necessaria est, non enim fieri posset in humanitate, nisi quoquo modo esset personalitas à singulari natura distincta, alioquin sicut in Christo duæ statuuntur naturæ, ita duo compararent supposita, alterum diuinum, humanum alterum, quod à fidei decretis abhorret; hæc autem ipsa difficultas exigit alterius difficultatis explicationem, quid nam scilicet supra singularem naturam adiungat persona, nam si nihil omnino adiungit, nullus omninò superest segreganda singularis substantiæ locus à personata natura.

56 Sunt igitur in hac re, qui sentiant suppositum solo nomine esse à singulari natura diuersum, etenim suppositum, singularis natura, persona, tria arbitrantur esse vocabula, idem significantia omnino, hoc sine difficultate sentit Durandus in 1. *dist.* 34. *q.* 1. qui propterea censet has propositiones esse veras, Petrus est humanitas, homo est humanitas; traxit hæc opinio originẽ ex *Arist.* 7. *Metaph.* vbi ait, quod quid est esse idem cum eo cuius est, & in primo eiusdẽ operis actiones asserens esse singularium, singularis nomine intelligens suppositum, verè enim actiones sunt suppositorum, & in *Cathegorijs cap. de substantia* pro eodem accipit *Arist.* tria illa vocabula. Coloratur etiam horum opinio ratione, si quidem suppositum, & persona nihil vltra declarant, in si quoddam ex hac materia, & hac forma conflatum, atqui tale est idem cum hac singulari natura. *Durãdus* 1. *dist.* 34. *q.* 1. *Arist.* 7. *Meth.* *Ca heg. cap. de subst.*

57 Oppositam sententiam propugnant S. Thomas, & Scotus, licet grande inter eos vertatur dissidium, de eo quod supra naturam singularem persona, ac suppositum adiungit, quibusdam positiuum illud esse, quibusdam negatiuum propugnantibus. Positiuum propugnant fine difficultate singuli S. Thomæ sectatores; negatiuum Scotus, & Scotistæ; tanta tamen diuersitate, vt

C 3 & Tho-

Caiet. 3. p.q.2.art 2. Medina ibi.

& Thomistæ ad inuicē, & Scotistæ inexplananda Scoti sententia digladientur;

Æstimat Caietanus *3.p.q. 2. art. 2.* & Medina positiuum illud super additū à personalitate supra naturam esse quandam realitatem internam, à qua intimè persona cōflatur, quæ sic cōflata suppositū dicitur subsistēs, cuius meritò suppositum ipsum operari potest, si quidē verū est illud elogium, *actiones sunt suppositorū.*

Capreolus 3. d. 5.q. 3.

Æstimat Capreolus in *3.d.5.q.3.* positiuū illud reale esse quid extrinsecū à natura singulari, quod si petas, quid nā illud sit, respondet, esse existentiā, quā à natura singulari distinctā, & extraneā putat.

Basilius Episc. ad Gregor. Damasc. lib. 3. de fid.cap.4 & 6.

Æstimant alij, hoc idem esse indiuiduas proprietates, & hi ansam suæ opinionis deducunt ex Basilio in Epistola ad Gregorium, *de differentia hypostasis, & naturæ*, & ex Damasceno *lib. 3, de fide cap. 4. & 6.*

Suarez metb. 18. 2.disp.34 sect.2.3. 4. 5.

Franciscus Suarez *tom.2.disp.met. disp. 34.sec.* 2.3.4.5. arbitrarium se Iudicem singularum opinionum constituens, singulas reprehendens, eo tandem ruit, vt velit, hoc super additum esse quemdam modum existendi per se, quem non realiter ab ipsa natura distinguit. Singulorū fundamēta si quæ sunt expenderunt.

Bassolius 3.sent.d. 6 .q. 1. Fab.d.2. Barg. d. 23.Lichetus Rad. 3.p.cont. 1.art.1.

58. Sectatores Scoti, quibus negatio placet, dissident, quia eorum nonnulli negationes solas adiungi à persona supra naturam putant, ita Bassolius *q. 1. 3.* & Faber *d. 2. 3.* Nonnulli negatiuo aliquid positiuum adiungunt, ita Bargius *in p d.23.* Lichetus tum ibi, tum hoc loco, Rada *3.parte controuersia 1. art. 1.* Scotique præceptoris placitum in frusta secantes Scotistæ, quidam problematice loquutum volunt Scotum, quidam negationem simpliciter, quidam negationes tales induxisse contendunt.

Obseruatio notabilis.

59. Vt nostram aperiamus sententiam obseruandum primo, hypostasis vocabulū, cuius frequens est in hoc tractatu memoria, idem omnino significare cum supposito, hoc autem non ex ipsa vocis energia, at potius ex vsu, & recepta interpretum consuetudine, est enim Greca vox *hypostasis*, quæ suopte ingenio non vnam patitur interpretationem; si quidem compositum nomen ab *hypo* quod significat sub, & verbo *istimi*, vel *istamai*, quod esse innuit, constituens *hypostimi* subesse, *hypostasis* subsistentiam, vel subsidentiā quamcumque demonstrat; quo factum est, vt quæcumque subsidēt alijs, siue illa fæces sint, siue excrementa siue crassæ materiæ in fundo liquorum, nomine *hypostasis*, intelligerentur, quo pacto intellige interpretationē *psal. 67.* *Infixus sum in limo profundi, & non est hypostasis*, ita enim habet græca lectio, quamuis latinus interpres græcum vocabulum *hypostasis*, nomine substantiæ expresserit; abusiuè fortasse substantiæ nomen vsurpando; factum est etiam ex hac nominis energia, vt generice quodcumque rei fundamentum, ac basis dicatur *hypostasis*; ita fides; quam ex Paulo Habr. 11. iuxta latinam versionem dicimus, *rerum sperandarum substantiam*; græca lectione dicitur, *quæ sperantur rerum hypostasis*, Meritò tamen factum est, vt quæ vox longè, lateque patebat, ad declarandum quendam modum per se existentis substantiæ, quasi restricta vocaretur, etenim est solius substantiæ proprium rigorosè subsistere, subsidere, sub esse; quasi vero ea sit cæterorum creatorum entium basis quædam, ac fundamentum, rodēque iure factum est, vt quoniā inter substantias sola prima substantia, ac singularis, Doctore philosopho in Cathegorijs, *cap. de substantia*, propriè, ac maximè substare; subsistere, ac subsidere dicitur, vox ea, quæ apud latinos quamcumque indiscriminatim substantiam significabat, ad solam singularem, indiuiduamque substantiam, & ad personam fuerit reuocata; vnde qui verebantur in diuinis cū Hieronymo in Epistola ad Damasum, tres ponere *hypostases*, iam coarctato vocabulo ad personas significandas, tres *hypostases* ponere non dubitent.

Psal. 67.

Hab. 11.

cap. de subst.

Hieron. in Epist. Damas.

Obseruatio 2.

60 Obseruandum secundò hæc vocabula, & horum vocabulorum significata, singulare, siue indiuiduum, *hypostasen*, siue suppositum; primam substantiam, & personam ita conflare, & inuicem se in prædicatione habere, vt omnis persona sit suppositum, sit prima substantia, sit singularis, sed non è conuerso; non enim omnia singularia sunt primæ substantiæ supposita, & personæ; habent se namque ad inuicem, vt inferiora, & superiora, vt includentia, & inclusa. Huius diuersitatis ratio ex ipsorum nominum rationibus petenda est. Indiuiduum, & singulare non omne est prima substantia, sup-

positum,

positum, & persona, quia nedum in substantijs, sed & in accidentibus singularia nanciscimur; hinc hæc albedo singulare quoddã est speciei albedinis, similiter hic color, hic numerus, hæc relatio, &c. insuper, licet tã prima substantia, quã suppositum, & persona in sola substantiæ cathegoria collocentur, differunt ad inuicem; nam prima substantia dicit indiuiduam substantialem naturam accidentibus subsidentem, ac substantem; suppositum dicit naturam substantialem per se subsistentem. Persona vltra hæc addit, siue exposcit, vt substantia in illa natura per se subsistens, sit intellectu, ac voluntate prædita, & hæc quidem omnia sano mentis, ac memoriæ capiu sunt retinenda, quoniam discriminata eorum interpretatio intellectum iuuat, indiscriminata confundit, sæpè tamen in nostris disputationibus fiet, quippe quæ appositè de intellectuali natura loquuntur, vt sine discrimine duo hæc nomina, suppositum scilicet, ac personam vsurpantes, vnum alterius loco accipiant.

3. *Obseruatio.* 61 Obseruandum tertio, siue rectius, reuocandum in mentem ex *primo sentent. disput.* de personis suppositum, ac personam, de qua loquimur fuisse à Richardo finitam; vt sit *intellectualis naturæ incommunicabilis existentia*; cæterùm Boethij diffinitionem astruentem, *personam esse intellectualis naturæ indiuiduam substantiam*, defectuosam, ac vitio non carentem, per allatam Richardi interpretationem supplent scolastici; vt autem Richardi diffinitio percipiatur, aduertendum est incommunicabilitatem duplicem esse; sicuti duplex est incommunicabile, alterum, vt quo, vt quod alterum; sicuti etiam duplex est communicabile; vt quo scilicet, & vt quod; communicabile vt quod illud est, quod communicatur pluribus, quorum quodlibet essentialiter est ipsum, siue de quorum singulis affirmatur in recto, ita genus communicatur speciebus; vt exempli gratia animal communicatur, vt quod homini, quia & ita singulis communicatur hominibus, vt singuli homines animalia dicantur, & de singulis in recto affirmatur hominibus, dicendo homo est animal, Petrus est animal; Communicabile, vt quo est illud; quo aliquid est tale, vt forma informantis, sic albedo communicatur pariem; qui eius merito albus, ex communicabilitate incommunicabilitatem considera; quia oppositorum est eadem ratio, & priuationes ex habitibus metiuntur; & proinde puta incommunicabile, vt quo esse, quod nequit alteri communicari, vt forma informans, incommunicabile, vt quod esse illud, quod nequit communicari alteri, quod ipsum includat in recto; tam quò ad esse; quam quo ad prædicari, & quoniam vtraque incommunicabilitas in Richardi diffinitione inuoluitur, estima personam duplici incommunicabilitate constituam; qua, & quæ; nam nec Petrus communicari potest vt forma alteri; nec ab alio in recto includitur; nec in recto prædicatur.

62 Hisce decursis assero primò, suppositum non esse omninò idem cum natura à parte rei, & intellectus, vt nullum à natura discrimen habeat; sed neque quo ad modum significandi differre duntaxat. Assertio duplici constatur parte, & secundum vtramque probatur. Totalem in primis identitatem euellunt, & proinde aliquam inter vtrumque discrepantiam inducunt sanctorum Patrum placita Damasceni *lib. 2. de fide. cap. 30.* Vigil. Pontificis *lib. 2. contra Eutichetem*, & Epiphanij, cuius hæc referuntur verba in sexta Synodo. *Errant hæretici, quia nihil aliud agunt quàm vt ostendant naturam, & hypostasim idem esse, quæ inter se differre veri Catholici agnoscunt &c.* Adde hisce auctoritatibus rationem. Quæcumque ita constantur, vt diuersa habeant prædicamenta, & opera, diuersa sunt quoquomodo; sed suppositum, & hypostasis ita sunt ordinata, vt quædam supposito conueniant, quæ nequeunt aptari naturæ, quare discrepant quoquomodo. Maior patet ex terminis. Minor probatur; nam imprimis suppositum generat, natura non generat, & genitarum operationes sunt hypostasis, non naturæ; nam nec ipsa ...net, nec ambulat, nec ridet. Præterea Verbum diuinum naturam atomam, & singularem assumpsit; hypostasim non assumpsit, quare alterum ab altero quoquomodo distingui necessum est. Hæc ratio alteram quoque asserti particulam probat, nimirum non differre hyposta-

Richardus.
Boethius
Assertio ex duplici parte.
pars prima prob.
Damas. 2 de fid. c. 3
Vigil lib. 2. contra Eutichetē
Epiph. in 6. Sinod.
Ratio 1.
Ratio 2.

sim, ac

sim, ac naturam præcisè penes modum significandi: nam si realiter humanam verbum sibi naturam voluit, suppositum non voluit; sunt igitur realiter distincta, siue non eadem; eidem enim secundùm rem duo contradictoria simul conuenire non possunt. Adde, quod, si ex diuinis arguamus hunc in modum, maior distinctio apparebit inter naturam, ac suppositum, quam distinctio secundùm modum concipiendi diuersum hoc modo. Maior est identitas suppositi, ac naturæ in diuinis, quàm in humanis; at in diuinis suppositum, & natura, non solùm penes modum considerandi diuersum distinguuntur, ergo multo verius in humanis. *Ratio tertia.* Maior est euidens, nam in Deo infinita diuinæ naturæ perfectio re ipsa singula, quæ in Deo sunt absorbet, neque distinctionem ibi permittit realem inter naturam attributa, & personas; hæc autem infinita perfectio desideratur in humanis, & proinde cessat in eis tantæ identitatis causa, cùm nulla sit causa absorbens cætera. Minorem probant in primo Scolastici, differentiã ex natura rei, vel saltem rationis ratiocinatæ inter personas, ac essentiam oancifcentes. At (inquit *Durandi præoccup.* Durandus) causa huius identitatis est in humanis, quoniam natura, & suppositum habent se, vt concretum, & abstractum; concretum verò, & abstractum tantum penes modum significandi diuersa sunt, etiam ex doctrina Scoti *in* *Scot. in 1 d. 4. q. 1.* *1. d. 4. q. 1.* docentis concretum primò significare formam, mox substantiam habens formam connotare. Hæc tamẽ speculatio vana est, quidquid enim sit de *Irridetur* concreto abstrahente à personalitate; Certè secus est philosophandum de concreto personato; quod non formam primò, sed subiectum per formam constitutum denotat, exempli gratia, hæc propositio, homo est humanitas, idcirco ab aliquibus censetur identica, quia homo, qui est terminus concretus primò formaliter humanitatẽ significat, estq; propositionis illius sensus, homo est humanitas, idest, humanitas est humanitas, sed hæc propositio est falsa, Franciscus est humanitas, quia terminus concretus suppositatus, scilicet Franciscus primò dicit suppositum formam habens, mox formam habitam; Scotus autem de concreto abstrahente à personalitate locutus est.

63 Assero secundò, suppositum non addere solam negationem supra naturam. *Assertio 2.* Accuratè, ac diligenter asserto ista probatur, quæ F. bruno, & cæteros in principio capitis relatos ex Scoti disciplina, aduersarios habet. In primis autẽ assertionem præsentem non esse Scoti doctrinæ contrariam probo; nam etsi Scotus *Scot. in 3. dist. et q. 1.* in alteram propendere partem visus est, hanc tamen probabilem æquè iudicat. *q. 1. 3. lit. D. §. Ideo propter, &c.* vbi vtramque viam probabilem vocat. insuper *lit. E. §. non asserendo,* satis apertè declarat se non assertiue loquutum, negationes dumtaxat propugnasse, sed in vtramque partem ludendo ita sensisse. At (inquit *Contra Fabium* Faber) argumenta Scotus diluit, quæ contra negationes ferebantur, quæ verò ad euellendũ positiuum ferebantur, non diluit, non hanc igitur, sed oppositam propugnauit. Respondeo consecutionẽ esse voluntariam; nam si vtramque partẽ probabilem putarat, potuit pro libito eam tueri tantũ, quæ maioribus irretita videbatur difficultatum laqueis, reliquam aliorum censuræ remittens. Præterea non assertiuè locutum loco citato Scotum illud argumento est non vulgari, quod *lit. M. istius q. p. 3.* patentissimè docet personam, ac suppositum in communi nullam dicere in intellectuali natura positiuam entitatem: In primo autem loquendo de constitutiuis personarum diuinarum dilucidè ait per relationes, quæ sunt, quid positiuum, constitui personas, is igitur, qui in primo personas relatione constitui putarat, in tertio personam sola negatione conflari putaret, proindeque satis varius esset, & inconstans, neq; audiendus est Faber huic dubitationi, occursans, disparem esse de humanis, ac diuinis personis coniecturam, nam argumentatio vrget. Ratio personæ, ex Scoto in tertio, nihil dicit in communi positiuum, ergo nec in diuinis quid positiuum dicet per regulam Scoti *Quæcunque talia sunt, vbicunque ponuntur, sunt talia*, si ergo ratio personæ postulat non entitatem positiuam, siue diuina sit, siue creata persona entitatem positiuam non admittet. Adde, quod personarum disparitatem Scotus in tertio non penes constitutiuum, sed penes maiorũ, vel minorum negationum implicantiã desumit, etenim diuinæ personæ quamcunque

cumque dependentiam spernunt; siue actualem, siue aptitudinalem, siue potentialem; creatæ vero, & humanæ potentialem non tenuunt; siquidem diuinæ voluntatis imperio obedientiali potestate subiectantur; At contra quispiam Fabri sectator insurgeret negando personam esse quid vniuocum Deo, siue diuinis, & humanis personis; quoniam (inquit Faber) *disp. 2. cap. 5. num. 40.* persona diuina est omninò incommunicabilis; humana vero ex hac potestate obedientiali secus se habet. Negatio tamen vana est; hæc siquidem disparitas vniuocationem non tollit nisi perfectissimam, nuda autem vniuocatio sistit in vnitate nominis, ac rationis; quorum neutrum desideratur in humanis in re nostra, quoniam & illæ personæ dicuntur, & existentiam habent incommunicabilem, quamuis non ita perfectè, vt hoc vtar vocabulo, vt diuinæ personæ; quoniam illæ nulli obedientiali potentiæ subiectæ sunt; creatæ vero subijciuntur Deo &c. Hæc doctrina contra Fabri responsum elicitur ex Scoto in 3. *d.1.q.1.* *littera G*, vbi docet, *conceptum incommunicabilis, quatenus incõmunicationem actualem, & aptitudinalem dicit, communem esse Deo, & creaturis, personæ diuinæ, & creatæ; sed quatenus negationem communicationis potentialis dicit, non esse vniuocam, neque proinde hoc modo in humanis esse personam;* quare ex Scoto ex eo capite, quo personæ vocabulum creatis conuenit; personæ nomen vniuocum est creatis, ac diuinis, quod non considerauit eo loco Faber. (*Scot. in 3 d.1. q.1. lit. G.*)

4 Præterea principaliter argumentor. Si personam ex negationibus cõpactã dicamus; concedamus in primis necessum est, & diuinas etiam personas negatione compleri; rursus concedamus oportebit humanitatem à Christo assumptã ita fuisse complete perfectam substantiam; quemadmodum perfecta dicitur Petri persona; consequens quo ad vtrãque deductionem falsum est, quare par ferendum de antecedente iudicium; deductionem primi incommodi probo, nedum ex dictis, quia persona quid vniuocum est Deo, & Creaturis, etiam ex Scoto, sed etiam quia humana persona participatio est quædam diuinarum personarum, à quibus omnis personatio creata (iuxta illud Pauli) *à quo omnis paternitas in Cælo, & in terra &c. declaratur*, & rursus ex logica regula; si de quo minus in esse videtur inest, inest ergo magis ei, de quo videtur magis; at in diuinis additio positiui conuenire videtur minus, propter summam Dei simplicitatẽ, conuenit autem in personis, quæ positiuo constituuntur, siue illud absolutum sit, siue respectus; ergo multo magis hoc verum erit in humanis, quibus positiui additio non repugnat. Deductio posterioris incommodi etiam probatur, nam illa humanitas a Christo assumpta nihil minus habet, quam Petri persona, nisi negationem solam, siue vnam, siue duplicem, substantia autem negatione sola non completur; quare humanitas illa nõ est minus perfecta substantia, quã Petri persona, proindeque, cum personæ nomen non nihil aliud complexum magis ferat, vel illa humanitas persona esset, quod falsum est, vel à personalitate non differt, falsitas primæ consecutionis deducitur; quoniam tantũ abest, vt negatiuis rationibus diuinæ constituantur personæ, vt pro viribus de positiuo dimicantes scolastici, eorum quidã absolutum; nonnulli relatiuum propugnẽt, vt in sua disputatione dicebamus; falsitas secundæ cõsecutionis probatur, nam si æque completa est illa humanitas, vt Petri supposita substantia, sunt igitur duæ in Christo personæ, quod est falsum, & deductio iam fuit probata; rursus ex duobus entibus perfectè completis edifferendum esset, quonam fieri modo posset, vt vnum perse fieret? (*Probatur ratione.*)

5 Audio hic Fabrum reclamantem, immò, & debaccantem; quasi vero assertio nostra hoc argumento nitatur ostendere, humanitatem in Christo non fuisse perfectam, cum hoc sit contra fidem docentibus Concilijs, ac Patribus; præcipuè Athanasio in Symbolo, Christum esse perfectum hominem, qui autem, inquit Faber, Christus esset verus homo, si qui personalitatem nõ assumpsit humanã, si constituamus personalitatem quid positiuum dicere, positiuum illud non assumpsit? An fortè, (inquit ille) quia perfectam sumpsit humanitatis rationẽ perfectus censebitur homo? Neutiquam sanè, est enim necesse, vt habeat, quidquid naturaliter prima creata substantiam habet; quoniam Athanasius ait, (*Fabri insultat.*) (*Athan. in Symb.*)

perfectus

perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & carne subsistens, quibus vir ille sanctus non edocet satis esse, vt perfectus dicatur homo Christus, vt carnem, & rationalem impleverit animum; at ex illis debere subsistere; ita loquitur Faber *d. cap. 2. num.* 14. Cuius acrem hanc non veremur censuram, admonentes eum, perfectionem à nobis hoc loco, non ad humanitatem, naturámque ipsam atomā, quam sibi Christus vniuit, referre, sed ad personam, vt dicebamus arguentes; porro; an ire poterit nobis Faber inficias, non nihil esse in persona Petri, quod in Christi humanitate desideratur? si ibit hoc inficias, concesserit, oportebit, & Christi humanitatem fuisse personatā personalitate propria, quæ non desideratur in Petro; si non ibit, vt quid ergo cōpletiorem concedere veretur Petri personam Christi humanitate, quia forte Christus dicitur homo perfectus? At catholicè sentimus, Deo largitore, neque perfectionem humanæ naturæ in Christo dirimimus; completiorem terminum humanum in illa desiderari dicimus, qui est personalitas; Immò retorquentes Fabri iudicium assertionem eius pari censura castigamus. *Is* enim putat, vt Christus dicatur perfectus homo, exquiri, vt humanitas illa habeat quod naturaliter prima creata substantia habet; ergo, inquam, personalitatem creatam habet; quoniam naturaliter prima creata substentia personalitatē habet; ergo erit in eo duplex persona contra Athanasium, *non duo tamen, sed vnus est Christus*. Quod si Faber dicat, vtque personalitatem habere, sed nō suam; sed Verbi; iam è sententia decidit; nam prius dixerat debere inesse illi, *quæcumque naturaliter*, Adnoto verba, *prima substantia creata habet*; diuina autem personalitas non naturali cursu, sed super naturaliter inest, & hoc indicent Athanasij verba quæ docent perfectum esse hominē ex carne, animoque subsistentem, scilicet diuina non humana subsistentia, & suppositatione.

Castigatur Fabri censura.

Probatur propositum.

66 Præterea principaliter: ex opposita sententia deducitur, primā substantiam in ratione primæ substantiæ negatione compleri, deducitur præterea indiuiduum, ac suppositum quoddam esse accidentaliter conflatum, quorum vtrumque falsum est, primum quidem, quoniam, si quidpiam sit rationis, sola ratione compleretur suppositum; quod superiori assertione euersum fuit; alterum vero, quoniam ex positiuo, & negatiuo nequit vnum per se conflari, quare cum natura singularis quid positiui sit, personalitas vero quid negatiuum, conflatum ex vtroque suppositum per accidēs erit. Hisce deductionibus posset occurrere Faber, negando singulas; quoniam neque personæ ratio est quid pertinens ad secundam intentionem, vt sit ens rationis, neque compositum accidentale conflat, cum non sit entitas positiua, occursus tamen rationem non destruit; nam si pura negatio est personalitas, est pure positiue realiter nihil, & si quid est, ratione est, quod contra Scotum pugnat in 1. d. 23. asserentē, nomen esse primæ intentionis, non secundæ personam. Adde non tantum entia positiua ordinem non habentia conflare accidentale compositum, sed singula, quæ sunt prædicamentorum diuersorum, & specificè ex toto positiuo, & negatione (si quod esse negatio ponitur) compositum esse accidētarium patere potest ex doctrina Aristotelis *in 6. super naturalium cap. de ente per accidens*. Præterea hoc idem multo fortius vrgetur in ipsius Fabri doctrina asserente cum Scoto posse creatam personam assumere in vnitate suppositi aliam naturam; quo dato scilicet: numquid positiuo aliquo creata illa persona assumens dependentiam naturæ assumptæ terminaret, an vero negatiuo? Si positiuo dixerit, assentiet nobiscum vna, quod petimus; si negatiuo terminare docuerit; ergo, inquam, persona illa nihilo terminabit; quia negatio nihil est; non enim aliquid dicit, sed potius aliquid dici negat.

Fabri responsio nulla.

Scot. in 1. d. 23.

6. Metaph.

67 Hoc argumento vexatus Fabri intellectus laborat satis in solutione 4. *num.* 41. & primo docet conspirare ad personalitatem duo, nimirum naturam singularem, & negationes, quorum defectu deficit terminatio à natura singulari, deficiente nimirum ratione formali terminandi, exempli gratia, Materia sine priuatione non est formæ subiectum, neque potest formam sumere, per priuationem fit potens recipere formam, ita natura singularis illa orbata negatione termi-

Effugium Fabri intercluditur.

terminare non posset, prædicta negatione posset. Secundo ad argumenti formã multis præmissis concedit illius dependentiæ terminum esse quid positiuum annexam habens duplicẽ illam negationem. Hæc doctrina etiam nolentem Fabrum à sententia deducit; nam si duo ad constituendam personam concurrant, non ergo negatio sola, at (inquiet) negatio formaliter, positiuum pro connotato; contra, exemplum ab ipso adductum hanc responsionem euellit, nam formaliter materia nõ dicitur priuatione potens recipere formam, sed priuatione formaliter dicitur priuata tantũ; potentia vero, vel se ipsa formaliter potens recipere formas; ergo si exemplum ad rẽ fertur nõ negatione formaliter terminat, sed alio terminat; sique exemplũ est accommodatum, cum priuatio sit tantum quid expetitum in materia, vt possit recipere formas; proindeque sit quasi conditio, sine qua materia non reciperet formas; tale inferet nobis de negationibus ad terminandum iudicium: Demum si positiuo terminat, vt ipse in responsione concludit, non ergo sola negatio personam constat, sed & positiuum conspirat.

Ratione vrgentio ri probatur assertum. 68 Hactenus ratione ducente ad incommoda, & absurda; nunc ratione, sin minus propter quid, saltem eius instar, nõ leuem ingerente coniecturam assertio probatur. Negatio, qua negatio est, neq; per se, neq; primo incõmunicabilis dicitur, sed ratio cõstituens personã in negatione simpliciter posita est communicabilitatis; ergo nequit simpliciter ratio personæ esse primo incommunicabilis; Argumentum in forma, & primo modo secundæ figuræ, sed conclusio falsa, quia repugnat diffinitioni personæ à Ricardo, & Boetio præstitæ; ergo altera præmissarum falsa est; non maior, vt probabitur statim, ergo minor, quæ est oppositæ sententiæ fundamentum: porrò maiorem falsam nõ esse probatur. Quidquid negatio habet ex se non habet, nec enim vna potest ex se dici, neque plures; quia partitio, & vnitas affectiones sunt entis, non vero negationis entis, ergo si quid habet vnitatis, & diuisionis ex affirmatione habet; proindeque de se, neque primo est communicabilis, neque incommunicabilis; sed hoc si habet, ex positiuo habet, & hoc idem exẽplo probatur, vt quid enim, postulati, infinitas, quæ negationem finitatis dicit, solique Deo conuenit, creaturæ nequit communicari; respondebimus statim, hoc ex entitate positiua prouenire, quæ soli Deo conueniens, communicari Creaturis nequit, similiter dicito de negationibus cæteris.

69 Huic rationi, cuius materiam accommodat Scotus *quolibeto decimonono art. 3. littera I.* scio quid ferret responsionis Faber, quod nimirum, docuit eum Scotus *l.c. littera Y.* repugnantiam communicationis simpliciter vtique ex affirmatiuo, & positiuo haberi communicationis, secundum quid posse ex sola negatione deduci; iam verò sola diuina persona est incommunicabilis simpliciter; creata vero, & humana secundum quid dumtaxat; cuius rei diuersitas est; quia creata persona, & si habet repugnãtiam ad communicari, non tamen habet repugnantiam ad posse communicari; diuina vero, & ad actum communicationis, & ad posse repugnantiam dicit; hinc ista cum negatiuo positiuum habet admixtum, creata vero nullum compatiens positiuum sola negatione perficitur, & completur. Verum, quam uis ex illorum sententia, quibus sola negatio probatur, hæc doctrina ad euellendas, fugiendasque difficultates maxime conducat, nobis tamen non videretur omni ex parte vera; cum genericè ad illud, quod ratio postulat nullam obijciat conuincentem rationem; petit ratio non esse negationem incommunicabilem, doctrine hoc verum esse de incommunicabili actu, aptitudine, & potentia monet, de creata incommunicabilitate falsum esse docens; vnde tamen hæc fluat diuersitas, doctrina, ac responsio non præstat, præstandum est tamen, nam ratione, & exemplo cõuincit argumentum, negationem non esse per se, & primo incommunicabilẽ. Adde ex doctrina Scoti *in 1. d. 3.* hanc albedinem, hunc colorem &c. esse incommunicabiles non ratione negationis dũtaxat, sed primo ratione positiuæ realitatis contrahentis naturam ad hoc indiuiduum esse: quod, si euenit in indiuiduis cur non in personis?

Scotus Quol. 9. art. 3. lit. I, Fabri occursus.

70 Assero tertio Suppositum adiungere

supra naturam singularem quidpiam positiuum realiter ab illa distinctum, quod nec accidentia esse putandum est, nec existentiam naturæ singularis, sed subsistentiam incommunicabilem eius, quæ in se, & per se existit. Assertio multiplici particula conflata probatur quo ad singulas partes. Pars prior asserti constituit conflatis suppositum entitate positiua, & hæc ex dictis sufficienter probata dimittitur; differunt enim ex assertione prima natura, & suppositum, non solum quo ad modũ considerandi, sed realiter per aliquid, & illud nõ est sola negatio; vt superior assertio conuincebat, erit igitur quid positiuũ. Altera, & secũda pars cõstituit positiuum illud à natura singulari realiter esse diuersũ. Hæc declaratur primo mox probatur, declaratur autẽ; ita, vt distinctio hæc inter hæc duo realis nõ eius generis cẽsenda sit, quæ inter rẽ, ac rẽ vertitur, quoniã nõ ita differt à personalitate natura indiuidua, sicut Frãciscus à Petro, sed eius cõditionis, quæ inter ea spectatur, quorũ vnum aliquod reale includit, quod non includit aliud; quia nempe suppositum cum sua realitate positiua nequit sine natura intelligi; è contra vero natura indiuidua suppositi realitatem in sua ratione non includit.

71 Pars autem hæc secunda hoc declarata modo probatur ex regulis distinctionum realium, quarum caput est illa; ea distingui realiter, quorum vnum esse potest sine altero. Huic regulæ, quæ instar maioris propositionis erit in argumento, adiunge minorẽ hanc, sed natura singularis sine propria personalitate aliqua virtute esse potest, & conclude alterum ab altero realiter distingui, neque minor erit probanda tibi, quam fides probat, docendo Verbum naturam humanam assumpsisse atomam, ac singularem, personalitatem vero non assumpsisse. Porrò hoc positiuum realiter à natura distinctum non esse accidentia, quod tertia assertionis particula poscit, probatur ex Scoto *d. 3. 2. q. 4. littera* O, quia diuersitas per accidentia non est diuersitas prima: quia quæ non dant esse primo, neque dant diuersitatem primam; non potest autem dici ex accidentibus constitui personam, quoniam suppositum dicit primam substantiam in directa linea, & cathegoria substantiæ

Scot. in 2 d. 3. q. 4.

collocata; quod non fieret, si ex solis cõflatum esset accidentibus, quod si illa copulata dicantur naturæ singulari, proindeque eius merito dicatur suppositũ in serie prædicamentali substantiæ collocari; hoc multo magis euellendum est, si quidem ex substantia, & accidentibus compositum coalescit accidentarium, non per se, & substantiale. Adde accidẽtia posteriora esse substãtijs, natura, cognitione, tẽpore; neque proinde cõstitui per ea suppositum, primamque substantiam, ne dicamus posterioribus constitui prius, quod intellectus non capit. Adde demum ad rem, Christi humanitatem accidentibus non caruisse humanis; quibus si conflari sentias suppositum, neque proprio supposito caruisse illam dicendum esset tibi, quod fides asserere vetat, docendo naturam esse assumptam, non personam.

72 Quarta asserti particula concludit existentiam non esse id positiuum, quod suppositum addit supra naturam, & hæc facile probatur, quoniam existentia, & essentia realiter non distinguuntur, vt abundè probant formalistæ; debet autem hoc super additum à natura distingui, alioquin non posset non assumi assumpta natura, proindeque vitare nõ posset humanua captua duplicem personam in duplici Christi natura, quod est falsum, & ex hoc secludе opiniones aliqs, si quæ illæ sunt, quę per internum aliquẽ modum naturæ singularis personari naturam aiunt: qui enim fieri hoc potest, si per nullam potestatem internus modus potest à rè ipsa, cuius est modus, seiungi? finitas namque neque potest diuina potestate à natura creata diuelli: Cæterum euelli posse à natura atoma personalitatem opus incarnationis cõuincit. Postrema particula asserti tradit positiuum hoc, de quo litem agimus esse subsistẽtiam incommunicabilem, ita vt persona formaliter sit subsistẽtia incommunicabilis naturæ intellectualis; & educitur ex Scoto *in 1. d. 23. lit. E*, vbi quemadmodum anceps semper hac in re, & dubius fuit, secundum vtramque partẽ rationem formalem personæ rimando docet; quod si formaliter duplicẽ negationem dicat, tunc persona erit incommunicabilitas habentis existentiam in natura intellectuali, si vero formaliter

Scot. in 1. dist. 23

positi-

uam importet, erit persona formaliter existentia incommunicabilis habens naturam intellectualem.

73 Hæc ex Scoto, in quibus monitum te velim, existentiæ vocabulum pro subsistentia vsurpatum, quod factum etiã puta in Richardi diffinitione; qua dicitur *persona intellectualis naturæ incommunicabilis existentia*, existentiam pro subsistentia indiscriminatim accipiendo: ex hac diffinitione, qua existentia, vel subsistentia inuoluitur in recto à persona satis probabiliter elicitur hæc ipsa nostræ assertionis particula, quæ ex ipso etiam *hypostasis* nomine corroboratur, quod in superioribus, *ab hypo, & stimi* deductum diximus substantiam, siue subsistentiam denotare, vt vere hypostasis, & suppositum non incommunicabilitatẽ ex rigore nominis primo, sed subsistentiam, quam necessario comitetur incommunicabilitas significet: ex hac nostra doctrina facile dijudicabis, subsistentiam per nos ab existentia distingui, quod fortasse nouum tibi videri poterit in Scoti doctrina, quæ oppositum tradit *in 3.d.6.littera B. q.p.* per hæc verba, *subsistentia vltra existentiam nihil addit, nisi negationem duplicis dependentiæ, sicut dictum est de personalitate d. 1. q. 1.* Hæc Scotus; quibus non facile ex sententia deducor, quoniam, vt verba illa tangunt, *sicut dictum est d. 1. q. 1.* Scotus *in illa d. 6.* secundũ eam sententiam loquitur, quæ in 1. *q. d. 1.* propugnarat negatione tantum suppleri, & constitui suppositum.

Scot. in 3. d. 6. q. prima.

74 Cæterum secundum oppositam sententiam, quam propugnamus nos, & Scotus impugnat quidẽ aliqualiter *d. 1.* sed non expugnat, secus dicendum est, & ad mentem inducendum ex eiusdem Scoti principijs *tum in quol. 4. littera M. tum in quol. 5. littera V.* subsistere esse nomen æquiuocum, etenim quandoque dicitur subsistere quodcumque per se est ẽ õ vt forma inhærens, vel informans, nec vt pars in toto: quandoque dicitur subsistere, quod per se est incommunicabiliter: quoniam autem per se esse latissimè etiam funditur, legendus est Scotus *quol. 9. littera A.* docens esse per se dici multipliciter, & præcipuè trifariam, primo per se dicitur esse, quod solitariè est, & hoc modo etiam accidentia sine subiecto per se sunt, quia solitariè sunt; secũdo per se est, quod in alio non est inhærendo; sic tam materia, quam forma, quam compositum per se sunt, licet enim materia, & forma sint in composito, nõ tamen inhærent composito: tertio per se est, quod habet actualitatem vltimatam non ordinabilem ad alium actum, ita supposita, & personæ.

Scotus quol. 4. & 5.

Et quol. 9.

75 Ex his elicere potes secundum Scotum subsistentiam non esse idem omnino cum existentia; nam materia, & forma, quæ per se sunt primo modo, & secundo, existunt, & non subsistunt: elicere etiam potes subsistentiam non formaliter negationem, sed positiuum proferre, à concreto namque licet ad abstractum arguere sic: suppositum est habens actualitatem vltimatam, ergo suppositatio, siue personalitas est vltimata actualitas non ordinabilis ad actum alium, subsistentia igitur erit ista vltima actualitas, existentia non ita. Hoc etiam ex vocis rigore probatur; nã existere est idem, ac extra causas stare; subsistere est quasi super stare, ac per se tertio modo stare; non ergo idem sunt omnino existentia, ac subsistentia, vt nostrates sibi persuadent; sed existentia modũ dicet essentiæ, subsistentia autem addet præterea realitatem quandam adiunctã duplici negatione, quam realitatem actualitatis vltimatæ nomine Scotus vocat *quol. 9.* quod si quandoque alibi secus videatur sentire, & simpliciter afferere negationem subsistentiam solum importare, hoc verum esse puta secundum alteram sententiam, constituentem personalitatis rationem negatione cõpleri; quam vt probabilem Scotus ipse multoties insequitur.

76 Habet pars hæc vltima assertionis ad uersarios nostrates ferè singulos, vnum excipiendo Lychetum, qui tamen neque aperte nobiscum sentit, & Radam *cont. p. 3. p.* qui tamen opinionem suam ex Suarezio excerptam non in hunc modum, neque in via Scoti rationibus, aut auctoritatibus probat. Habet autem aduersarium ipsum etiam Suarezium; à quo constituente subsistentiam modum esse internum, dissentimus, quoniam neque modus à re distingui potest realiter neque seiungi, vt hac ipsa assertione dicebamus existentiam ad hoc munere euellentes; Quod si Suarez petat; nisi

Lichetus & Rada cont. 1. p. 3.

Suarez.

 hoc

hoc positiuum sit rei modus, necessum esse, vt sit res aliqua; consecutio neganda est, nisi rem latè sumas; quatenus etiam realitatem comprehendit, neque enim personalitati in alio sensu nomen, ac ratio rei conuenire potest. Hactenus opinionem nostram longo sermone prosecuti, eam ab aliorum cauillis propugnare, ac tueri debemus, aliorum argumenta diluentes.

77 Oppositum primæ assertionis propugnabāt Auctores in principio disceptionis relati auctoritate, & ratione; auctoritas fuit Aristotelis singularis, & suppositi nomine idē intelligētis. Ratio cōuincebat hoc idem, quoniam suppositum innuit. solum aliquod ex hac forma, & materie conflatum; tale autem non est, nisi indiuiduum. Vtrumque tamen fundamentum leue est apud Theologos; quamuis enim secundum Aristotelis mētem idem sit singulare, indiuiduum, ac suppositum; quoniā secundum eius sententiam quælibet singularis hecceitate natura duplici illa negatione cōmunicabilitatis vt quod, & quo, actu, & aptitudine conflatur; Philosopho tamen actior in hac re Theologus mysterijs edoctus fidei distinctionem inter personatā, indiuiduamq; naturam nactus est; alioquin assumens Christus indiuiduam hominis naturam, ex doctrina Damasceni, aliorumque Patrum, & personam humanam assumpsisset; quod hæresim sapit, quare quod pertinet ad Aristotelē, nihil nobis cum Aristotele in præsentia.

Aristotelis.

Obiecta aliorum.

eneruantur.

Damasc.

Hac eadem doctrina diluitur argumentum aduersariorum, negando secundum Theologos suppositum nihil præterea denotare, nisi ex materia hac, & hac forma conflatum; tale namque indiuiduum Theologi fatetur, personam, ac suppositum non fatetur, desiderato hoc positiuo cum duplici negatione, quæ ad personalitatem conflandam conueniūt.

78 Oppositum secundi asserti probatur a Scoto, & Scotistis validissimis argumentis, quorum singula ita secundum feriunt assertum, vt tertium etiam labefactare intendant. Primum est nisi personalitas negatione compleretur, sed quid positiuum diceret positiuum naturæ singularis super additum sequeretur superfuisse in humana natura entitatē aliquam inassumptibilem, consequens est falsū; ergo antecedēs similiter, consecutio deducitur, quia personalitas incommunicabilis est existentia, quare si positiuo compleretur, positiuum illud incommunicabile foret, & proinde vt deducebatur, inassumptibile, falsitas consequentis probatur ex Damasceno *lib. 3. cap. 25.* vel secundum Marginistes *Quol. Scot. cap. 6.* cuius verba à Scoto feruntur *Quol. 19. art. 3. littera I*, auctoritas autem eo tendit, vt verbum probet assumpsisse omnia, quæ fecit in humana natura, vt sanaret omnia; quia, quod inassumptibile est, incurabile est.

Damasc. lib. 3. c. 25.

Scot. q. 19 art.

79 Secundum est: si personalitas positiuo compleretur, non autem negatiuo, sequeretur humanitatem Christi non esse completam, & perfectam, careret enim vltima actualitate personalitatis, consequens est falsum, & hæreticum, docet enim Athanasius perfectū fuisse hominē, ergo & antecedens, insuper sequeretur, quod si humanitas dimitteretur à Christo, nisi crearetur denuo illa positiua entitas, non posset subsistere, consequens est falsū, ergo etiā falsum est antecedēs. Rursum sequeretur posse naturam intellectualem fieri singularem actu existentem, non autem personatam; quod falsum esse nemo non nouit, & hæc vltima deductio patet, etenim si positiua entitas est personalitas, posset natura prius naturaliter fieri, & non sub hac entitate, ponatur igitur in eo instanti ita, vt non assumatur in vnione suppositi sui à verbo, tunc vtique illa remaneret indiuidua, ac singularis, non tamen personata, & supposita. Quarto sequeretur Concilia non rectè diffiniisse, dum de Christo locuta sunt; si quidem singula statuerunt, Christum fuisse nobis perfectè similem, præterquam in peccato, ita docet Concilium Calcedonense *act. 5. 6.* Synodus *act. 1.* Damascenus *lib. 3. cap. 6.* Dionisius *lib. de diu. nominibus cap. 2.* statuentes Christum perfectè, & integrè humanatum ex nobis, quod non esset nisi singula, quæ in nobis sunt, positiuas entitates assumpsisset. Porrò Concilia, & Patres errasse; hæresis est aperta.

Athan. in Symbolo.

Conc. Calced. sex. Synod. Damasc. lib. 3. Dionys. de diu. nomin. c. 2.

80 Tertium, & est argumentum Fabri, quod ipse putat efficacissimum, Persona ita finitur, vt sit intellectualis naturæ incommunicabilis existentia; & proinde negationē cum existentia inuoluat; sed

existen-

existentia non est quid reale distinctum à natura singulari, persona est quid distinctum, ergo persona vltra entitatem singularem solam dicit negationem formaliter.

81 Quartum argumentum eiusdem Fabri, vt ipse putat efficacissimũ &c. quod tamen est potius confirmatio superioris. Subsistentia, & personalitas idem sunt, sed subsistentia non quæuis est personalitas, alioquin cum substantiæ primæ, immo etiam diuina essentia subsistere dicantur, ipsæ quoque essent personæ; est igitur persona subsistentia incommunicabilis, ergo per solam incommunicabilitatem ab existentia essentiæ, & primarũ substantiarum, siue indiuiduorum diuersa est, incommunicabilitas autem negatio est, sola ergo negatione completur persona: & confirmatur, quia generice internus modus consequens rẽ nihil addit positiuum supra rem ipsam, cum ergo existentia ista, quæ ponitur positiuum personæ sit internus modus, nullo reali positiuo complebitur. Hæ sunt rationes partim ex Scoto, partim ex Fabro excerptæ; est enim nobis cum vno Fabro lis agenda, cæteris aliorum arbitrio, ac censuræ remissis; Quibus facile obicem ponemus.

82 Ad primum nego sequelam, quoniã Verbum, quod homo factus est, singulas, quæ inerant humanitatis partes ad se sumpsit, neque quicquam superfuit assumendum ex humanitate. Ad probationem autem dicendum fallaciam cõmitti ex humanitate ad personam; nos enim vtique sponte fatemur nihil ad humanitatem indiuiduam spectans superfuisse inassumptum, at ex hoc inferre personalitatem non esse quid positiuum, quoniã illud inassumptibile fuisset, deductio nulla; non enim personalitas realiter ad humanitatem complendam spectat, sed ad suppositum, & ad personam, quod vtique inassumptibile fuisse concedimus. Cumque aduersator auctoritatẽ ex Damasceno producit, pari responsione occurrimus, planè assumpsisse omnia humanitatis propria verbũ, dempto peccato, at positiuum personalitatis non assumpsisse addimus, quoniã hoc non ad humanitatis, sed ad personæ rationem complendam spectat; quod & ratio Damasceni reuerberatã in Fa-

brum conuincit, omne curabile fuit assumptibile, at personalitatis positiuum constituens curabile non fuit, ergo nec assumptibile; minor patet, quia seruator non ad curandũ cõstitutiuũ personæ, sed ad homines; & hos homines curãdos accessit, iuxta illud Niceni Simboli *propter nos homines nostramque salutem descendit de Cælis.* In redargutione responsionis huius multum sibi laboris facessit Faber, & *Symb. Nicenum*
in *p. cap. 2. num. hoc* æstimat, doctrinam hanc nostram posse duplicem habere sensum, alterum quod verbum assumpsit omnem realitatem pertinentem formaliter ad naturam humanam: alterum, quod assumpsit omnem entitatem realem positiuam intrinsecus existentem, & naturaliter consequentem humanam naturam singularem; vtrumque autem sensum putat falsum, primum quidem, quia tunc verbum indiuidiã differentiã non assumpsisset (quod est contra Damascenum) quæ formaliter ad humanam naturam non spectat. Alterum autem sensum non reprehendit Faber, forcasse à memoria excisum, reprehendere potuisset tamen, quia eo concesso, ne sit ruat responsio, & doctrina necessarium est; si quidem cum personalitas naturaliter consequatur humanam naturam singularem, & ipsa secundum illum sensum fuisset assumpta: quod etiam est falsum. *Fabr. oppositiones.*

83 Multa deinde congerit ad hoc idem assertum, & responsum euellendum, præcipuè ridiculum censet aliquam entitatem in homine fuisse curatam, aliquam non; vnde enim, inquit, incurabilis fuit ista? An quia inanimis? Contra, cũ & illa participatione animæ saltẽ viua fuisset.

In hac Fabri impugnatione nihil ferè impugnandum se se offert, ac redarguendum, & primùm, cùm ex nostra responsione duplicem sensum fieri putat, quem refert, decipitur; prior namque sensus defectu, & vitio non caret, neque secundum admittimus, quia cum naturaliter secundum Aristotelis principia omnis indiuidua substantia sit personata, loquendo de intellectuali natura, personalitatem hoc sensu fuisse quoque assumptam euitare non posset præfatus sensus, prior autem vitio laborat, quoniam, vt ipse argumentatur, etiam indiuiduam differentiam assumpsit verbum, *Vanitas opposit. Fabri.*

quod

quod factum est homo, & hic homo; non autem secundum illum sensum indiuiduam hanc differentiam assumpsisset, cum sit illa extra rationem formalem hominis. Neutro igitur sensu doctrinam præfatam tradidimus, quorum alterum si præstitere Thomistæ, viderint ipsi, si nostrum autem percussetur sensum Faber, libenter præstolabimur. Asserimus igitur Verbum omnia assumpsisse, quæ ad humanitatem indiuiduam, qua humanitas, & indiuidua est, spectant: Ceterum non omnia, quæ ad humanitatem personatam attinent assumpsisse, quo sensu Fabri iacula responsionem nostram ne pilo quidem attingunt: quo etiam sensu neutiquam ridiculum est affectionem propugnando nostram quandam asserere in assumptam realitatem, quæ non ad hominem, neque ad hunc hominem, sed ad personam refertur. Cumque Faber petit, cur realitas illa incurabilis fuit? Non aio incurabilem, quia inanimam, sed quia personalitatem aio, preterquam quod Fabri adiunctio de animata subsistentia falsa est, quoniam hæc, quia instar modi se habet, quamuis non sit verè modus, neque anima verè, neque inanima censenda est; alioquin non nisi intellectualibus naturis animis seiunctim, vel inanimis conueniret, quod falsum esse ostendit personæ ipsius diffinitio à Richardo tradita.

84 Secundi argumenti primam consecutionem vt falsam nego, siquidem in ratione hominis ita Christus perfectus fuit, vt nihil in illo posses ad humanitatem spectans desiderare, vltima autem actualitas illa ad personam reuocanda est, nõ ad indiuiduam hominis naturam. Ad secundam consecutionem responsio facilis est; nullum enim putamus in conueniens dicere dato casu fore, vt produceretur illa positiua entitas, non autem vt crearetur, quia in humanæ naturæ potentia continetur. Tertiam consecutionem negamus, quoniam nulla naturali potestate fieret, vt per se natura singularis sine supposito existeret, & casus ille, qui ad cõsecutionis probationem adducitur impossibilis est, nam in eo instanti, nisi à Verbo assumeretur, naturaliter in proprio suppositario rẽ haberet supposito, si autem supernaturalem spectemus potestatem, secus dicendum est, illi enim à sine vsque ad finem attingenti terminos audax quis præscribat?

85 Audio Fabrum reclamantem, nullam virtute fieri posse, vt tunc temporis non sit personata; cuicunque enim competit diffinitio, & diffinitum conuenit, naturæ singulari sic existenti diffinitio personæ conuenit, ergo & persona; erit igitur tunc temporis persona, proindeque nec diuino opere fiet, vt non sit persona: suadet minorem, quia persona est ratio, vt sit incommunicabilis quo, & quod, at dato casu; natura illa neq; est communicata vt quod, nec vt quo, est ergo persona; subducta dilemmatis minor patet: nam non est communicata pluribus vt quod, quoniam est indiuidua, neque vt quo, vt patet. Hæc Fabri argumentatio argumentum ab ipso allatum destruit; is enim qui in argumento conuincere studebat fore tunc dato casu, vt existeret natura singularis non personata, hoc contra responsum argumentatione probat fore personatam, & propterea, vt inconstans redargutione reprehenditur. Argumentum etiam secundum se inefficax est, quod minorem primam assumit probandam: probatio namque à Fabro allata peccat in subducta minori, qua dicit naturam non esse communicatam, at consequenter ad maiorẽ dicendum sibi erat, naturam tunc non esse cõmunicabilem, nam ratio personæ est, vt sit incommunicabilis, non vt sit incommunicata dontaxat, quod si de incommunicabilitate loqueretur in minori illa, & illa esset vlterius probanda, quoniam, dato casu, quod virtute diuina sustineretur natura singularis absque communicatione, adhuc esset communicabilis, & proinde persona non esset. Quarta sequela argumenti falsissima est, etenim & adstipulor Concilijs, & Patrum sententias multifacio consentiens, dempto peccato, singulas humanitatis particulas assumpsisse Christum, & propterea esse perfectè nobis similem, & humanatum ex nobis, at positiuam realitatem personalitatis assumpsisse nego; quam tamen hucusque diximus ad naturam singularem hominis non conducere, sed ad suppositum, quod nec assumptum, nec assumptibile erat.

Reclamat Faber.

Non auditur.

86 Tertij argumenti responsio facillimè ex his, quæ assertione postrema diximus, eliciuntur,

eolem,

cescit, quandoquidem negationes à personalitate non secludimus, dum positiuum quid adiungi statuimus; est enim aperta Richardi de negationibus diffinitio, qua dicitur *persona existentia incommunicabilis*, quis namque est nescius incômunicabilitatis nomine negationem cômunicabilitatis inuolui? Quod etiam existentiæ nomen in illa diffinitione sonat, & quomodo loco subsistentiæ positum sit, quo rursum modo subsistentia ab existentia seiungi debeat, hucusque abundè probauimus.

Richard.

87 Postremam argumentationem, quam efficacissimam retur Faber, insufficientissimam reor. Concedo siquidem personalitatem, ac subsistentiam hoc loco idem significare; at nego vltimam argumenti deductionem, quæ est, ergo personalitas vltra subsistentiam addit negationem solùm, transit enim à communi nominis significato subsistentiæ, quæ etiam applicatur essentiæ ad appositû significatû eius, quod est id, quod supra retulimus: Fabri lapsus in causa fuit nô sanus subsistêtiæ nominis captus, quod ipse arbitratus est vniuocum cuicumque perse existentiæ; proindeque negationem solam additam illi, personæ speciem constituere credidit; est nihilo tamen minus subsistere nomen æquiuocum, vt ex Scoto assertione 2. docuimus.

88 Ad confirmationem præter ea, quæ in assertione 2. constituimus, quid vltra adiungam non inuenio. Asseto enim subsistentiam, & si modi instar regulet ur, ac intelligatur, non esse tamen modum rei internum; sed actualitatem vltimatam substantiæ intellectualis perse existentis. Hæc de prima hac disceptatione, cui solutiones argumentorû possibilitatem, ac factum incarnationis conturbantium, tamquam coronidem deberemus adiungere; at quoniam hæc ab alijs per acta sunt, ac diluta; vt patere potest apud Scotum, & sectatores, & præcipuè ex recentibus apud Radam; ne lapidem ab alio motum moueamus, in re citra litem apud Catholicos hæc satis.

Porrò in hac de personalitate sententia præter hactenus citatos authores, conuenit ferè nobiscum Herrera in 3. sen. & in suo Manuali Theologico, & ex exteris recentibus Ioannes à Lugo *disput.* 12. *de Incarnatione Dominica sect.* 7. quamuis hic Suarezij, & Gabrielis Vasquezij *disputat.* 31. *cap.* 6. placitum secutus velit hanc subsistentiam non esse aliud, quam modum rei, nec distinctionem interni modi ab vltima actualitate patiatur; Quæ opinio in superioribus reiecta est.

DISPVTATIO II.

VTRVM INCARNATIONEM *fieri necessarium fuerit.*

CAPVT PRIMVM.

EXPLICANTVR *nonnulla.*

1 Disputationis propositæ titulus tâ latè funditur, vt nequeat sine distinctione, ac interpretatione tamsui, quam necessitatis inuestigari; eoque laboriosius, quò curiosius rem à nullo sectatore Scoti sub hoc titulo ventilatâ mille dubiorum capita complectentem, explanandam proponimus. Obseruandum propterea est primo vniuersam necessitatis rationem hoc loco ex fine potissimum posse spectari; cum enim incarnationis opus misterium sit ad extra côpletum, & in tempore exhibitum, formalem eius necessitatem, non nisi ex fine poterit humana inuestigatio metiri. Quis enim, si effectrices oculatè causas inspiciat eius, quas singulas Trinitatis personas esse Christiano viro fatendum est, necessario diceret Incarnationem factam; cum Deus ad extra per voluntatem agens libere dicatur operari? sola Philosophantium capita illa in controuersiam deducere possent necessitatê hanc ex parte effectricis causæ, quæ Deû necessario agere ad extra constituebât; quibus satis abundè faciunt Theologi satis: ex fine igitur necessitatem inquirêtibus, permixta consideratione finis cui, & cuius; quam edisserunt abunde Philosophi; vel hæc necessitas attendi potest ex ipsa orbis vniuersi structura perfecta, ita vt necessaria putetur incarnatio ad perficienda Vniuersi opera, vel ex lapsa humana natura restauranda, ita vt

ad reparandum genus humanum necessaria, vel non necessaria censeatur incarnatio, vel restauranda per equiualens humana natura, ita vt quoniam debitũ Patri soluendo Christus æquiualens erat pro offensa redditurus, quã purus alius nullus homo reddere poterat, ad faciẽdũ æterno Patri pro Adę peccato satis ex iustitiæ rigore necessaria, vel nõ necessaria putanda sit Incarnatio, ex singulis hisce finium capitibus difficultates nos vexant. Hinc necessitatem Incarnationis tuentur Anselmus 1. *&* 2. *lib. cur Deus homo*, Richardus de Sancto Victore, Raymundus Lullius, Thomistę cum Caietano, & Vasquez 3. *p. d.* 4. *&* 7. & Suarez *loc. cit.* & Ioannes à Lugo *disp.* 3. *&* 4. diuerso tamen ordine, fine, ac modo.

Anselm. lib. 1. 2. Cur. homo. Richardus Caiet. Vasquez 3 p. disp. 4. Lugo

Opinio Lullij.

2 Raymundus Lullius in primis ex sola vniuersi perfectione, ac structura inhumanationis Verbi necessitatem inuexit. Credidit enim, & si genus humanum ob casum Adami iustas Deo reddere non teneretur pœnas, & si Adamus ipsemet nullo se peccato fecisset reum in mundi primordijs, expeti ita Verbi inhumanationẽ ad perfectionẽ vniuersi, vt mũdi ædificio constituto non potuerit Verbum non Incarnari. In hanc autem tam nouam sententiam eam ob causam decidit; quia secus perfecti opificis operi obuiam se ire putabat, nisi optimum quod erat in creatis entibus perficeret; porrò vnionem hanc inter effecta à Deo, præstantissimum sibi, ac optimum ascribere locum verendum non fuit; ipsa si quidem Mater Ecclesia nusquam satis immensam erga se Dei bonitatem in hoc opere commendare se profitetur.

Anselmi sententia.

3 Anselmus vero, cui adstipulatur Ricardus, non equidem ex tam lato, ac generico fine Incarnationis necessitatem induxit; sed supposito primi parentis lapsu, ad genus humanum restaurandũ, simpliciter Christi in carne aduentus necessitatem induxerunt ambo præfati authores; Anselmus præsertim, qui in huius rei gratiam libros edidit, quibus & nomen indidit huius disceptationis *Cur Deus homo*. Anselmi sententiam fusè refert Scotus *in* 3. *d.* 20. cuius præcipua cap. assertionum quaternario numero includebantur.

4 Asserebat primum simpliciter esse necessarium humanum genus reparari. Asserebat secundo, restaurationem hãc, ac amissæ salutis recuperationem ex sola satisfactione necessario inducendam. Asserebat tertio, non alio modo satis potuisse fieri æterno Patri, quam ex voluntaria innocentis oblatione. Asserebat quarto solum Deum hominem potuisse Patri pro genere humano satisfacere; quibus appositis deducebat consequenter Incarnationis mysterium absolutè, ac simpliciter fuisse necessarium. Asserta singula probauit Anselmus, & cum eo Ricardus *lib. de Incarnatione Verbi cap.* 8. quorum persuasiones proprio capite proponemus diluendas.

5 Sanctus Thomas 3. *p. q.* 1. *art.* 2. æstimat planè contra præcitatas sententias, neque ex opificio perfecto vniuersi, neque ex humano genere restaurando incarnationis Sacramentum necessarium fuisse; cui subscribunt Thomistæ, neque hactenus cum eis digladiãtur Scotus *d.* 20. *citata*, & Scotistæ; in solutione tamen secundi principalis *q. illa p. art.* 2. apertè docet creaturam puram, quantauis innocentia, ac pietate præditam satisfacere Deo non potuisse saltem perfectè, & Christum solũ perfectissimo modo potuisse Deo facere satis, ex quo apertam Vasquez *disp.* 4. 3. *p.* ansam arripuit dicendi ad faciendum Deo satis, vt genus humanum ex condigna satisfactione secundum æqualitatem redimeretur, fuisse Incarnationis misterium simpliciter, ac absolute necessarium.

6 Hactenus de necessitate absoluta, ac simpliciter. Cæterũ de cõditionata, quã vocant necessitate; quam etiam secundum quid appellant; concordi sententia firmant Thomistæ habere Incarnationis opus tantam cum recuperatione hominis necessariam habitudinem, vt nusquam futurum fuisse credant, vt Incarnatio fieret, nisi hanc ob causam solam, vt genus restauraretur humanũ.

Scotistæ, ac Thomistæ cõueniunt, ac discrepant.

7 Ab allata Thomistarum sententia, vt cætera mittamus discrimina dissident duplici ex capite Scotus, & Scotistę, quamuis enim necessitatem simpliciter ex opificio perfecto Vniuersi, exque restaurando humano genere cum Thomistis spernant; *d. tamen* an. *tertij & in* 4. *d.* 15. dilucide probant, neque ad faciendum Deo satis absolute Incarnationẽ necessariam fuisse, cum purus homo ex perfe-

Scotus in 4. d. 15.

ctâ in-

cta iustitia, acceptatione tamen Dei supposita, similiter, & gratia potuerit pro Adami peccato satisfacere. Adducunt secundo ita non necessario incarnationē cum reparatione mundi connecti; vt si minus cecidisset homo in æternum, futurum fuisse credant, vt carnem sibi nostram in hypostatica vnione admirabili verbum vniret. Difficultates hæ singulæ, & in hac tractatione temaximæ, quæ passim exagitantur à Scolasticis, sub hoc vno generico disputationis huius nostræ titulo inuoluuntur; vt nusquā nisi hisce cognitis, perfecta queat necessitatis, vel contingentiæ huius misterij cognitio haberi; propterea singulæ singulis discutientur articulis, siue capitibus.

8 Obseruandū interim pro clariori citius difficultatis intellectu, necessitatem esse duplicem, quandam simpliciter, & absolutam, quandam secundum quid, & conditionatam; illa respicit Dei potestatem absolutam: hæc ordinatam; illa res respicit ita futuras, vt non fore implicet omnino, neque possint non esse vlla potentia; hæc ita res necessario futuras respicit, quas fieri necessum est quidem, non ita tamen, vt secus non posset euenire: illa nulla habita ad Dei beneplacitum, siue decretum habitudine futuras necessario res inuoluit; hæc solam rerum necessitatem indicat, quæ fieri debent, stante de earum existentia decreto. Vtraque necessitas discutienda est in præsentia, cum de vtraque litē agamus. Hæc necessitatis distinctio exēplis patet: prima necessitate ita est necessum Deum esse, vt Deum non esse sit impossibile; simile feras de diuinis operationibus iudicium; quoniam vt in primo sententiarum diximus, nulla apud Deum in his, quæ ad intra spectantur, possibilitas, nulla contingentia; secunda necessitate prædestinatum saluari necessario dicimus; quoniam Dei æternum de eius salute decretum irritum fieri nō potest; hanc vtramque necessitatem inquirendo in hac disputatione sensus primæ necessitatis est, vtrum sit ita incarnatio necessaria, vt omnino per nullam potestatem non fieri non posset, alterius necessitatis est sensus; num quid decreto de incarnatione supposito, fieri incarnationem necessum fuerit; similiter philosophare, si necessitatem non solum ad principiū, vt ita dicā, sed ad finem referas, nimirum ad mundi perfectionem, vel humanam restaurationem. Hæc distinctio necessitatis est realis necessitatis distinctio; propterea, qui hanc distinctionem cum illa, qua duplex dicitur necessitas, alia consequentis, alia consequentiæ, confundunt, perperam se agūt, namque hæc necessitatis distinctio in consequentis, & consequentiæ, necessitas rerum non est, sed propositionum, estq; proinde logica necessitas, quod patet ex ipsa ratione vtriusque necessitatis, nā in hoc entimemate: Franciscus est homo, ergo est risibilis; consequens est necessarium, quia antecedens est necessarium, similiter in hoc: Franciscus est albus, ergo est coloratus, consequens est necessarium ex deductione antecedētis, at est simpliciter contingens, sicut contingens est antecedens; spectatur igitur rigorose vtraque hæc necessitas nimirū consequentis, & consequentiæ in propositionibus; prior autem necessitatis distinctio ex rebus hauritur. Vtramque tangamus oportet.

DISCVTITVR AN MVNDVM reparari necessum fuerit.

CAPVT II.

9 HOc vnum erat Anselmi, ac Ricardi fundamentum, quo toto anhelo spiritu necessitatem inhumanationis Verbi innexerunt, propterea destruamus illud primo necessum est, vt totam eorum ædificij molem deijciamus, destruemus autem hoc Afferto vnico negante fuisse simpliciter, & absolute necessarium hominem lapsum reparari. *Asserti negant.*
Assertum videtur elici primo ex scripturis, quæ passim Incarnationis mysterium misericordiæ, benignitatis, largitatis, & beneuolentiæ diuinæ opus esse testantur, vnde Ioannis tertio seruator hoc ipse nos docuit, *sic*, inquiens, *Deus dilexit mūdum, vt filium daret*; & Ioan. 5. *Maiorem charitatem nemo habet.* Hisce auctoritatibus Suarez propositam assertionem probat *disp. 4. sect.* 5. me tamen iudice hæ sunt indirectæ probationes ad asserti pro- *Ioan. 3. & 5.*

Suarezij argutio exilis, bationem, non enim assertio petit adhuc necessitatē, vel contingētiā aduersus Christi Seruatoris, sed causam, quam Anselmus induxit huius necessitatis, destruendam assumit; vt necessitate causæ deleta, deleantur effectus necessitae; Suarez autem præpostero ordine incedens ab effectus contingentia exorsus est; cuius argumentatio, & si ad hominem cōtra Anselmum nonnihil roboris præse ferre videatur; simpliciter tamen nulla est, non enim destructo effectu, destruitur causa, nisi sit adæquata, vniuoca, & perfecta; porrò non ad solum hunc effectū, sed vel ad perfectionem vniuersi, vel ob aliam causam necessitatem quis potest illius inducere, & proinde sola reparatio hominis non esset præcisa Christi aduentus causa. Adde quod & ipse Anselmus hanc ex ijs scripturæ locis argumentationem satis acute, ac subtiliter elusit *lib. 2. cur Deus homo cap. 5.* aiens, idcirco opus receptionis humanæ dici amoris, & beneuolentiæ, quia non hæc necessitas fuit, quæ coegerit inuitum, quæ facit, vt benefacienti nulla habeatur gratia; sed necessitas fuit secundum voluntatem benefactoris, proindeque habenda est benefactori gratia.

10 Alio igitur ex capite probatur assertum; & primo. *Probatio propria.* Deus ad extra quæcumque operatur liberè, & contingenter operatur, at reparatio hominis lapsi effectus est Dei ad extra, ergo liberè, & cōtingenter producendus erat à Deo. Minor est euidens: Maiorem autem contra philosophos non vna ratione vrgent Scholastici in *1. sententiarum* d. 8. quod si quispiam dicat, vtique ex Dei parte talis confertur; at secundum se necessaria erat recuperatio, præoccupatio nulla est; nā necessarium simpliciter, de hac enim necessitate loquimur, illud est quod nulla potest virtute fieri, quin fiat; at virtute Dei fieri poterat, vt reparatio non fieret; ergo non fuit simpliciter necessaria; subiuncta secundi dilemmatis minor patet, nam, ex quo Deus contingenter agit, potuit non agere; potuit igitur reparationē non facere, & proinde simpliciter necessaria reparatio non fuit.

11 Rursus contingentiam huius operis ex vtraque parte; Dei scilicet, & effectus *Altera probatio.* venamur. Neque ex parte Dei; neque ex parte hominum necessarium fuit genus reparare humanum, ergo simpliciter necessarium non fuit; consecutio euidens; antecedens probatur, ex parte hominum primo, nam nulla in hominibus talis necessitas inuehenda est, cum inter esse hominis & gratiam Dei necessariam habitudinem non agnoscimus; nonne enim homines, antiquæ propaginis Patres, qui Christi in carne aduentū præcesserunt? nonne homines ethnici, & gentiles, qui fructum huius operis nōdum senserunt? An fortasse eo ex capite pro hominum genere necessitas emanabit, quoniam necessarium erat saluari electos? at hæc necessitas in primis non est necessitas absoluta, sed conditionata prædicta; nimirum prædestinatione supposita, imox non est necessitas, sed contingentia, quoniam sicut merè contingēter prædestinati erant electi, ita vt possent non prædestinati; ita contingenter restaurauit Deus homines, ita vt posset non restaurare; Vno verbo; Logice est hæc necessitas consequentiæ, non consequētis. Adde huic parti auctoritatē Pauli *Rom. 9. Numquid dicit figmentum ei &c.* Rom. 9.
vt igitur ad vasa necessarium non est fieri simpliciter ad honorem, cum possint ad contumeliam fieri, ita nec ad hominum naturam spectat recuperari, cum possint ad cōtumeliam esse destinati. Ex parte Dei iam necessitatem profligauimus; quā insectamur cursum; quoniam *sap. 12.* liberū sit Deo dicitur homines in perditione relinquere. *Quis tibi,* (dicitur ibi) Sap. 12.
imputabit; si nationes perierint; quas fecisti. Cui loco dissipulatus est Paulus *ad Ro. 8. voluntati eius quis resistit.* Præterea Deus Rom. 8.
nulli tenetur, neque potest humanum genus debito Deum astringere, qui enim equiualens reddere nequit, nec debitorem potest eum constituere sibi; minus est quippè æquiualens reddere, quam debitorem sibi constituere; homo autem æquiualens secundum suam virtutem Deo reddere nequit, vt de satisfactione dicemus, quæ seclusa Dei gratia, & acceptatione æquiualens non esset; quare nec Deum potest cōstituere debitorem. Quid quod Deū debere homini simpliciter, & absolute horremus audire? Certè Durandus tam hoc debiti nomen in Deo abhorret, *vt d. 20. 3.* nolit asserere etiam stante decreto, ac diuino promisso Deum debitorem esse homini, qui ob

hanc

Luc. 22. hanc causam verba illa Saluatoris *Luca 22. filius hominis vadit, sicut diffinitum est de illo*, nõ de obligatione, ac debito, sed de voluntate, ac promissione intelligit, nec multum distat Lugo *disp. 3. de Incarnat. sect. 1.* Et planè si rigorosam obligationem intelligat Durandus; rectè sentit, Deus enim nulli debet, at si decreto supposito Dei, rem inuenimur; Deum teneri ex pacto aliquid præstare homini fateamur oportet in scripturis; quibus gratiam conferre tenetur homini Deus ex pacto modo explicato *in 4. sententiaris*; absq; eo q diuina vilescat libertas, ac potentia; & hoc non ex obligatione rigorosa iustitię, sed ex pacto, & fidelitate, vide disputationes nostras. Præterea de necessitate cõsequẽtis, & cõsequẽtiæ dilucidè magis assertio probatur. Nã hęc deductio, homo est lapsus in erratũ, ergo est restaurãdus, cõtingẽs est omninò, & si quã in ea ad summum necessitatẽ agnosces, necessitatem nõ consequentis agnosces; vt tibi philosophãti patere poterit, quare assertum hoc satis est hucusq; probatũ.

Asserti appendicula. 12 Addenda tamen est etiam assertioni huic appendix contra alterum Anselmi pronuntiatum, ea autem est. Quamquã mundum, ac genus reparari humanum fuisset necessarium absolute, ac simpliciter; quod tamẽ hucusq; falsum esse probauimus; neque ex hac necessitate deduci, ex satisfactione dumtaxat reparãdum necessario fuisse hominem. Appendicem præsentem, ne singula singulis immiscentes Anaxagoricum Chaos offendamus, dilucide magis persuadebimus in quarto cum in tractatu de pœnitentia postulabimus; *An sine satisfactione Deus condonare homini possit erratum*. Interim vna, vel altera coniectura coloratur.

Persuadetur. 13 Prima est; nam si hoc hominis potestati conceditur, cur non Dei, cuius potestatis non est finis? cuius benignitatis, ac miserationis non est diffinitus ambitus? Porro hoc homines posse experimento probabis, si offensam alteri etiam non pœnam teneri remiseris. Adde, quod magis est suum dare, quam alienam in se commissam condonare culpam; illud autem fieri experientia demonstrat. Demum adde; nullum esse iniustum agentẽ, vbi desideratur patiens iniustum, at nullus esset iniustum patiens, si absque satisfactione recuperaretur humana natura; nec ergo vllus esset iniustum faciens: minor ostenditur ex enarratione sufficiente; sciscitor enim: quis nam iniustum pateretur, deusne, an homo, an diabolus? non diabolus; qui nihil iuris adhuc haberet in homine, nisi diiudicatus homo esset à Deo; immò, si noua esset diabolus culpæ capax, noua esset apud Deũ de homine seducto culpa reus; non homo, cui nihil auferretur, sed aliquo donaretur: nec Deus; volens enim non patitur iniustum, iuxta illud 5. *eth. Volenti, & scienti non fit iniuria*. *Eth. 5.*

14 Altera asserti appendix quartum Anselmi pronunciatum euellens erit: & si satisfactio fuisset exquisita; & si debuisset ex necessitate restaurari lapsa hominum natura, quæ tamen hucusque ostendimus esse falsa, neque ob has causas necessario Incarnationis necessitatem induci; vt ex necessitate recuperationis hominum, vno verbo, ruat inhumanationis necessitas. Appendicem hanc præter veterum Scolasticorum assensum, propugnant aperte Augustinus *lib. de Agone Christiano cap. 11.* his verbis: *sunt stulti, qui dicunt; non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare, nisi hominem susciperet*; Leo Papa *serm. 2. de nat. cap. 3. Verax Deus cum ad reparandum genus humanum ei multa suppeterent, hanc potissimam consulendi viam elegit &c.* aliique Patres passim, præcipuè Augustinus *idem lib. 13. de Trinit. cap. 10.* & rursum *cap. 13. & 18.* semper ferè in hæc verba erumpens. *Alius modus redimendi hominem Deo non defuit*. Quæ Patrum loquutiones nõ magis allatum Anselmi pronunciatum destruunt, quam recentium sententias improbabiles reddãt, quibus ipsi ad redimendum hominem ex perfecta iustitia simpliciter necessariam esse incarnationem rentur, ita namque loquuntur Suarez, & Vasquez locis citatis, & ratio deductionis est; quia coherere non possunt hęc duo asserta. Poterat Deus aliter redimere hominem, & non poterat non fieri Incarnatio ad redimendum hominem, sunt namque contraria. At ipsi dicunt; vim esse in illa particula, *ex perfecta iustitia*; & ego inquam, vim in particula redemptionis facio, quam Patres sine Incarnatione possibilem fatentur; redemptio autem ex vocis rigore est alicuius soluto præ-

Appendix altera asserti.

Probant eam Patres Augustinus Leo Pap.

tio recuperatio; quare tunc temporis pretium aliquod fuisset solui possibile, nimirum, vel creaturæ meritum, vel aliquid aliud, si vero ex pura liberalitate hoc voluisset præstare Deus, neque adhuc imperfectam intercessurtam dicimus iustitiam ob rationem allatam, quia Deus non fuisset iniustum patiens, si ita voluisset. Hæc autem disputatio, quæ cum recentibus agenda est, protrahenda est in locum proprium, quo postulabimus, an purus homo potuisset Deo facere satis ex iustitiæ rigore, vt ob hoc etiam caput necessitatem destruamus Incarnationis.

15 Contra huiusce capitis doctrinā dubitationes vrgentur ex rationibus Anselmi, qui necessitatem humanæ restaurationis hoc argumento suasit. Sin minus fuisset homo redemptus frustra fuisset creatus, eius namque finis fælicitas est, ac beatitudo; qua, redemptione homo destitutus, orbatus fuisset, at Deus, & natura nihil frustra operantur; quare fuit homo necessario redimendus. Huic Anselmi placito subscripsisse se videtur Ecclesia in benedictione Cerei in officio Sabbati maioris Hebdomadæ, quæ & felicem ob inde Adami culpam, & necessarium vocat peccatum; *quia Christi morte deletum est*, & ad homines conuersa hoc Anselmi mutatis dumtaxat verbis argumentum repetens; *Nihil, inquit, nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset*.

Afferuntur Anselmi rationes, & ijs occurritur.

16 Secundò vrgentur dicta, ex Anselmo eodem, præcipuè appendix prima. Quicumque Deo non reddit, quæ reddere tenetur, iniustus est: at nullus iniustus ad beatitudinem admittitur, ergo peccator non reddens Deo, quod debet beatitudinis particeps fieri nequit; subsumitur; at homo peccator, peccati merito, debet Deo honorem, quem læserat reddere; & hoc non nisi satisfactione media fieri potest, quare & satisfactio necessaria est. Minor est euidens; maior patet, etiam in humanis, in quibus homo non reddens alteri homini, quod debet iniustus est; quanto igitur, si debet Deo, non reddens censebitur iniustus magis? Neque satis est asserere ex immensa Dei miserentis largitione fieri posse, vt donata, ac remissa pæna gratis liberentur homines, possintque fieri beatitudinis participes; insurgit enim postulando Anselmus; quonam sensu remittere Deus ex miseratione pænam homini dicatur, numquid ideo gratis remittit pænam; quia homo secus reddere Deo nequit, quod debet; an vero dimittit pænam condonando peccatū, donando gloriam? neutrum horum dici potest; non primum, quia ridiculum est asserere ideo Deum dimittere, quia nequit homo reddere; quæ namque miseratio in condonatione impossibilis, ad quod nulla est obligatio? Nec alterum dici potest, ne dicatur Deus propter peccatū dedisse gloriā; daret enim gloriā ex miseratione homini impotenti, quæ impotentia ex hominum defectu contracta innuit hominem defectu, ac peccato non carere.

17 Tertiò ex 4. Anselmi pronunciato altera assertionis nostræ conturbatur appendix. Satisfaciens pro homine Deo debuit habere maius aliquid omni eo, quod est sub Deo, quod sponte redderet Deo; vt sicuti sponte homo peccauerat, se subijciendo per suauitatem Diabolo, ita vinceret asperitate Diabolū: at nullus huiusce potestatis homo alius à Christo hoc poterat; simpliciter igitur Christi inhumanatio, morsque eius sponte Deo oblata necessaria fuit. Hoc idem ijs argumentis corroborat, quibus potestatem hanc faciendi Deo satis ex simplici creatura eludit, quorum erit in sequentibus memoria.

Argumēta contra secundā partem assert.

18 His tamen omnibus occurrendum generice, ne Anselmi viri in Ecclesia Dei non spernendæ auctoritatis auctoritas neglecta ansam præstet Hæreticis aliorū Ecclesiæ Patrum deridendi sententias; posse Sancti huius asserta interpretatione patientia, certam veritatis habere speciem, si de necessitate conditionata, & ex suppositione ferantur; qua constituta singula asserta eius probanda sunt; ita ea interpretatur Scotus *d.* 20. *lit. D.* vel posse necessitatem ab Anselmo induciā intelligi necessitatem immutabilitatis, ita Sāctus Bonauentura, & Alensis; quorum interpretatio verbotenus à Scotica diuersa est; nam & is *d.* 39. 1. necessitate immutabilitatis hanc, quam nos dicimus conditionatam, logici verò necessitatem consequentiæ vocant, intelligit. Hæc Scholasticorum interpretatio, quæ Vasquezio displicet, homini in primis ip spernen-

Occurritur obiectis.

Scotus. S. bonau. Alexan.

spernenda Sanctorum auctoritate nimiũ audaci, colligitur ex ipsomet Anselmi instituto *lib. 2. cur Deus homo. cap. 5.* & rursum *cap. 15.* quibus in locis hunc solum necessitatis, immutabilitatis modum in Deum inducit, quem liberalitatem, & gratiam non minuere monet.

19 Adde, quod explicans Anselmus illud *Rom. 5. Commendat suam charitatem Deus.* doctissimè monet potuisse alijs modis redimere Deum homines. Quam explicationem cum Vasquezio negare qui præsumpserit esse Anselmi, ex operis inscriptione conuincitur: qui rursum cum eodem Vasquezio dixerit Anselmum mutasse sententiam, leuitatis arguens tantum virum linguam debet cohibere, enimuerò sanum est consilium, præstare inter Catholicos dubias Patrum sententias ad magis pium reuocare sensum; ne ansam machinandi commenta præbeamus hæreticis, quod Vasquezio semper fuit in vsu; non igitur benignè, vt ipse refert, sed verè, præstita ab Anselmo materia, præfato modo auctoritatem eius interpretamur.

Rom. 5.

20 Si quid autem vltra expeterent allata argumenta diluenda sunt. Primũ quidem, præterquam quod in Scoti sententia adhuc semper Christus fuisset incarnatus, siue debuisset restauratio intercedere, siue non, proindeque hic homo saltem beatitudine potitus esset, neque genus frustra humanum diceretur conditum, quia saltem in vno indiuiduo nõ fuisset proprio fine orbatũ; quæ responsio à Rada affertur: soluitur negando sequelã maioris, ad cuius probatiõẽ addẽdũ, Deum quidem constituisse, ac hominem creasse propter se, & propterea ad finem destinasse, quo si se homo nudauit, non Dei, vel naturæ culpæ, sed hominum prauæ tribuendum est voluntati; porrò si quis finem negligat propositum, quis Deo imputabit? Adde idem argumentum reflecti de hæreticis, ac infidelibus huiusce ætatis, quos nunquam felicitate donandos permittit, eorumque creat animas Deus, numquid tamen dixeris frustra? Absit. Lege Paulum Rom. 9. vbi postulanti, cur eligat Deus vasa ad perditionem, insultat, *ò homo, tu quis es, qui respondeas Deo?*

Rada.

Rom. 9.

21 Ad auctoritatem Ecclesiæ cõcedimus omninò locutiones illas, quæ de facto loquuntur, supposita namque inhumanatione Verbi, rectè canit Ecclesia, *ò felix culpa, &c. ò certè necessarium, &c,* sed aduersarij totam vim illius particulæ *necessarium* facientes, aiunt cum Vasquezio, si necessarium fuit peccatum Adæ, vt Christi morte deleretur, necessaria fuit Christi mors ad delendam culpam. At præterquam quod necessitatis vocabulum potest ibi pro congruentia sumi, quæ frequens est etiam apud Philosophos vsurpatio; quamuis necessitatis nomine veram intelligamus necessitatem, dupliciter præfatam auctoritatem interpretamur. Prima interpretatio est necessitatem illam non ad Christi referri mortẽ, sed ad alia bona, quæ nobis euenerunt supposito peccato, qualia sunt Sanctorũ merita, intercessiones, eximij fructus, quorum vbertatem, nisi homo peccasset, fortè desideraset Ecclesia: homo enim tunc temporis, quõ nulli fuisset peccato obnoxius, maceratione carnis, assiduoque ieiunio, cæterisque pœnis destitutus tantum non habiturus fuisset meriti, nec referunt verba subsequentia, *quod Christi morte deletum est, &c.* nam particula *quod* non est aduerbialis, & redditiua causæ, quæ æquè sonet, ac *quia*, sed est nominalis relatiua peccati, quod fuit Christi morte deletum. Altera interpretatio est necessitatẽ eo in loco sumi, ac spectari stante decreto, proinde immutabilitatis esse & conditionatam.

22 Scio Vasquezium hanc Ecclesiæ auctoritatẽ vrgere probaturũ, nisi peccasset Adamus; nullam futuram fuisse inhumanationem, propterea exactius suo loco discutienda est eius veritas: laborẽ ingerunt non lenem hoc loco verba, quæ sequuntur; *Nihil nobis nasci profuit; nisi redimi profuisset,* quibus frustratoriam indicat Ecclesia sine redemptione hominum creationem. Occurrimus tamen non de fine simpliciter locutam Ecclesiam, sed de meliori fine, & vtilitate animi, de qua etiam seruator loquitur in euangelio, *quid prodest, inquit, homini si vniuersum mundum lucretur &c.* quo sensu ire nequimus inficias, tam vtile esse hoc sacramentum, vt natiuitatis sine redemptione nulla vtilitas, at qui ex vtilitate inferre simpliciter, & absolutam necessitatem fallit argumentatio à secundum quid ad simpliciter, quare & si te-

Vasquezij oppos.

dem-

demptione destitura humana natura fuisset felicitate destituta; non fuisset, frustra tamen à Deo condita, si ob solam iustitiæ Dei ferendam speciem fuisset producta.

23 Argumentationis secundæ maior deficit, quæ fieret perfecta io hûc modû constructa: multus est qui tenetur reddere, & non reddit Domino non condonanti debitum, nec remittenti eiratum; quo sensu subsumpta secundæ argumentatiuncula minor falsa est, potest enim ex liberali munificentia Deus cui vult remittere culpam, & condonare pœnam, iuxta illud Seruatoris *Matt. 2. An non licet mihi quod volo facere?* & hoc nulla iniustitia fiet; quia creditore remittente nulla supereßt debitoris obligatio, iuxta legis peritos. Ad postulationem pro corroboratione argumenti responsio facilis est, non enim homo ex peccato consequeretur gloriā, sed ex largitate diuina, neque ideo dimitteret Deus, quia facere homo non posset satis; sed quia Deus vellet, & voluntati eius non est, qui possit resistere. Quod si quis insurgeret; fore tunc, vt delicta relinquerentur impunita, quod iniustum est; nego tunc hoc futurum fuisse iniustum, sicuti non esset iniustum, si minus es soluetetur alienum domino cō donante, nam *volenti, vt diximus, ac scienti non fit iniuria*, & hoc de possibili, nā de facto secus, est dicendū, est. n. necessariū facere satis; verum & hæc necessitas ex suppositione est, & conditionata.

24 Argumenti postremi maior omninò falsa censetur; quoniam non fuit opus, vt satisfactio pro hominum peccato vniversam creatæ substantiæ perfectionem excederet, satis enim fuisset oblatio maioris boni, quam fuisset malum primi parentis; quale bonum potuisset esse intensissimus actus dilectionis Dei, vt sicut ex dilectione creaturæ Deum homo in mundi nascentis primordio offendit, ita ex dilectione Dei intensa diuinæ iustitiæ faceret satis, & hic amor, quamuis ratione obiecti omne creaturam excederet; ex sua tamen ratione formali non esset quid maius omni creatura, immo nec exhibitus amor creatus à Christo pro hominum redemptione maior fuit re creata, nam, & is creatus fuit. Cæterum quonam modo potuisset finito actu infinito obiecto fieri satis, dicendū est suo loco, cum disputationem exaggerabimus ac Christi meritum infinitum fuerit, fecerique ne ex toto iustitiæ rigore 'a' is; interim præter allata Anselmi argumenta doctrinā nostram reddere videntur improbabilem Patrum quorūdam certæ locutiones, quibus necessitatem aduentus Christi ad restaurandum hominem persuadent, quas etiam interpretari operæ pretium erit.

25 Chrysostomus in primis *hom. 10. in Ioannem* sic loquitur *Non poterat aliter restitui humana natura, nisi qui tā in principio effinxit manum porrexisset*. Vigilius Papa *lib. 5. contra Euthicetem. Non poterat aliter fieri, nisi talis mediator existeret.* Ita insuper loquuntur Concilium Ephesinum, Cirillus, Proclus, aliique quàm plurimi, quos memorat Vasquez *disp. 1. cap. 2.* & Suarez *disp. 4 sect. 2.* Sed his omnibus ex præsupposita necessitatis distinctione occurre; loquuta Concilia, & Patres de necessitate conditionis, non absolutè, de necessitate suppositionis, non simpliciter, de necessitate consequentiæ, non consequentis, de necessitate secundùm quid, non vera, de necessitate ad bonum, ac melius esse, non ad esse.

Matt. 2. — *Chrysostom us.* *Vigilius Papa.* *Concilium Ephes.* *Cyrillus.* *Proclus.*

AN ALIVS A CHRISTO HOMO *simpliciter potuisset Deo facere satis.*

CAPVT III.

26 Proposita controuersia maiorem habet litem, quæ nedum cum Anselmo, & Richardo; sed & cum scolastricorum proceribus agitanda est, dissidium enim grande in eius enodatione reperies inter Theologos, quibus, & si indubitatum est potuisse Deum medio alicuius creaturæ actu acceptato hominum reparare ruinas; non eo tum conueniunt omnes, vt concordi sententia veliot, puri hominis actum de condigno potuisse tanti fieri, vt eius merito genus repararetur humanum; aliquibus è contra affirmantibus, hoc homines de quadam ratione congrui potuisse solum; insuper cum satisfactio duplex sit, quædam rigorosa, quædam vero mitis, & rigorosa imperfecto modo, non in vnam scolasticos videbis conspi-

Quæstio roboratur.

rasse sententiam, quibusdam rigorosam; aliquibus mitem, & non rigorosam satisfactionem in pura creatura probantibus.

27 Potuisse ex rigore iustitiæ, & merito condigno vnum hominem, non supposita vnionis gratia, pro toto hominum genere Deo facere satis affirmat Scotus in 4. d. 14. & in 3. d. 20. quibus in locis prosequuntur eius sententiam Assecla & Faber disp. 47. 3. sent. & Rada 3. p. contr. 13. qui auctores, & si ita se habent; vt vero sit Rada satisfactionem puri hominis nō futuram fuisse rigorosam perfectè, sed secundum quid; Faber autem velit fuisse perfectam futuram satisfactionem, & rigorosam; non tamen aduersantur ad inuicem; quoniam perfectæ, & rigorosæ satisfactionis voce, & significato Faber diminutam acceptationem adiungit; quo sensu rigorosa satisfactio dicenda est, nō ex toto rigore perfecta, cum sit ex supposita gratia, quod est idem, ac cum Rada asserere, rigorem, de quo agimus esse potius secundum quid, quam simpliciter.

Scotus. Faber. Rada.

28 Non potuisse de condigno creaturā aliquam, Deo non vnitam, hoc munus obire, neque facere ex iustitiæ rigore satis affirmant S. Thomas 3. p. q. 1. art. 2. & Thomistæ cum Caietano, Medina, Vasquezio, & cæteris, præcipuè Suarez disp. 4. sect. 2. & sequentibus, qui & si purū hominem sentiat posse Deo facere satis de rigore iustitiæ pro peccatis venialibus; qua in re Scoti sententiam asserentem in 4. d. 21. q. 1. ex viribus naturæ sufferendo pœnam posse homines satisfacere Deo pro venialibus, vt valde falsam, & Pelagij errori proximam damnat; loquendo tamen de ea satisfactione, quā pro prima offensa Adami, Deo tenetur homo, arbitratus exposci pro ea infinitè meritorium actum, desiderans actum hunc in puro homine; possibilem quoque satisfactionem futuram fuisse negat. Vasquez autem sex disputationum curriculo difficultatem hanc longiori, quam opus erat, sermonis decursu prosecutus, asserit primo purum hominem, neque pro peccato suo, neque pro toto humano genere potuisse Deo satisfacere de condigno, deque toto iustitiæ rigore, quem satisfaciendi modum solummodo in Christo aptissime nactus est Vasquez; de venialibus autem simpliciter arbitratur Vasquez ex tam rigorosa iustitia potuisse, ac posse hominem simplicem pro eo facere Deo satis; vt nihil obinde condonationis desiderandum sit ab ipsomet Deo, quoniam ex opere solum satisfactio rigorosa haberi potest. Vasquezij sententiam imitatur Lugo de Incarnat. disp. 4. art. 6. & 7.

S. Thomas. Caiet. Medina. Vasquez. Suarez. Lugo, & alij.

29 Disceptatio præsēs, quæ de satisfactione de Christi, ac hominū merito habet inuolutā nō est præsentis instituti propria, idcirco, quantum loci opportunitas exigere, & faciendi operis necessitas expetere videtur cribranda proponitur, in eius autem capitis gratiam obseruandum est primo, ne ignoratis terminis æquiuocatione perplexi in errata dilabamur, puri hominis vocabulum hoc loco appositē esse intelligendum; non quatenus singula ab eo secluduntur supernaturalia gratiæ auxilia, quo sensu is dicitur homo purus, qui secundum naturales proprietates non spectata è Cœlis demissa gratia spectatur; quo sensu etiā si quis diceret posse hominem purum satisfacere Deo, vel genere ce opus meritorium elicere, aduersaretur anatematismis Cōcilij Tridentini sess. 6. de iustif. & Concilij Arausicani, & Sanctorum Patrum apertissimis testimonijs: immò errore Pelagij esset castigandus, qui virtutē semper à Dei munifica manu furatus; singula munera cōcedebat homini, puri igitur hominis nomine hac disputatione hominem non vnitum Deo intelligimus; ita vt ab homine puro, cuius meminimus non gratiam iustificantem, & auxilia gratiæ; sed gratiam vnionis secernamus.

1. Obseruatio.

Concil. Trid. sess. 6. Arausicanum.

30 Insuper supponendum est, pro explicatione alterius termini in titulo quæsiti, qui est potestatis, & potentiæ; hoc loco non ordinariam à nobis potestatem inuestigari; neque de eius ambitu disputationem ordiri, secundum quam negans sententia simpliciter est vera; quoniam hæc ipsa potestas refertur ad opus secundum constitutas à Deo regulas; nobisque proinde, quibus necessitas conditionata Christi aduentus in carne probatur, probanda est etiam impossibilitas satisfactionis à creatura de ordinata Dei potestate; solum igitur absolutam Dei potentiam quærimus, cuius vis ad ea se tendit, quæ fieri nullam

pràle

præse repugnantiam ferunt.

31 Rursum supponendum est ad extremi termini explicationem, qui est satisfactio; satisfactionem ex Scoto d.15.4. sent. q. 1. finiri, vt sit redditio æquiualentis alias indebiti voluntaria, cuius particulæ singulæ explicantur, est satisfactio in primis redditio, quia non est absoluta datio, vel donatio, eademque ratione est redditio æquiualentis, quoniam non est absoluta commodatio, vel donatio, sed debita elargitio alicuius æquiualentis, ac debitum; est redditio voluntaria; si quis enim inuoluntarie faceret satis, is ea ratione dumtaxat facere satis diceretur; qua satisfactio dicitur esse actus iustitiæ commutatiuæ offensum ad offendentem ad æqualitatem reducens, cæterum in reliquis is non facere, sed pati satis diceretur. Est denique redditio æquiualentis alias indebiti, nam si alio iure æquiualens illud deberetur creditori; non reductis ad æqualitatem creditore, ac debitore, non esset vera satisfactio. In hac etiam satisfactionis diffinitione, in qua essent multa obseruanda, quæ nunc leuiter re pertractata, reuocantur ad locum proprium, vnum hoc est maxime considerandum, quoniam æquiualentis meminit diffinitio, æquiualens esse duplex alterum secundum perfectũ rigorem, alterum secundum creditoris benignitatem: exemplum primi, vt si debeam Petro quingentos aureos, reddens ei quingentos aureos, plenè dicor ei facere satis: exemplum secundi, vt si Petro debeam centum aureos, reddens ei triginta, quos Petrus, ac centum recipit; nihil à me vltra expetiuit s, dicor ei facere satis quidem, & ex iustitia, at non perfectè, si quidem inter creditorē, ac debitorem gratia creditoris intercessit ex hisce particulis hunc in modum declaratis, patet eos verbo tenus à nobis distare, & si se nouas iactent propugnare conditiones ad satisfactionem perfectam, qui aiunt requiri primo vt solutio debiti non sit creditoris gratiæ innixa; requiri secundo, satisfactionem debere esse ex proprijs; requiri tertio, vt fiat ex bonis alio titulo indebitis; nam prima conditio vera est de æquiualente reddito secundum primum sensum, proinde inuoluitur in illa particula æquiualentis; secunda conditio est eadem cum illa particula redditio voluntaria; nam nisi esset ex proprijs, vera datio non esset, ac iuridica, nemo enim quod suum non est dare potest de iure, postrema conditio inuoluitur in ea particula, qua dicitur, debere æquiualens reddendum esse alio iure indebitum. Sed vt hæc, & quæ in sequentibus dicenda sunt meliori humanæ nostræ mentis captu teneantur, liceat hoc loco à proposito nostro paulisper desilire, ac diuertere.

Scot. 4. d.15.q.1

(S)

DIGRES-

DIGRESSIO DE MERITO in genere.

CAPVT IV.

32 Quoniam toties in hoc opere Christi, & Sanctorum aliorum meriti meminisse debemus, de quo tam fuse, & grauiter tractantur Theologi tum in *prima secunda* iuxta Sancti Thomæ methodum, tum *in secundo sent.* iuxta alios de Angelorum merito disceptantes, tum in *tertio* de merito Christi loquentes, nos hic apposite Christi satisfactionem, ac meritum, aliorumque hominum adeo potestatem, vel impotentiam dimensuri, nonnihil de ipsa secundum se meriti generica natura essari debemus; ne tantæ rei, ac nominis cognitione neglecta, inscitiæ arguamur. Hec igitur breuiter, nostræ methodi iampridem propositæ serie paululum immutata, digressio proposita inquirenda proponit. Nomen meriti, finitionem meriti, subiectum meriti, principium meriti, eiusque finem; vt sub finitione (nomenclatura meriti cognita) formalem; sub principio effectricem; sub subiecto materialem; sub fine quoquo modo finalem eius causam aucupantes in eiusdem meriti agnitionem dilabamur; quæ de cæterorum agnitorum more ex causis perfectè cognitis hauritur.

33 Meriti vocabulum à verbo *mereo* deducitur; quod, cum ex ipso impositorum placito significet aliquid agere, ob cuius gratiam agens, aut præmium sit dignus accipere, aut pœnam pati, in causa est, vt non tam in bonam, quam malam accipiatur frugem meriti ipsius nomen; quod propterea id vocari consueuit; quo alicuius animum offendimus, vel gratum facimus; ac nobis demeremur; eius in deteriorem sensum significatio, nedum apud Poetas frequentissima est, hinc Ouidius *Epistola* 5. *Leniter ex merito quidquid patiare ferendum est*; sed apud vulgi decantatissimum loquendi genus, quo, qui pœnas luit erroris, meruisse dicitur. In meliorem autem partem vsurpatio eius triplex est; vna quidem pro præmio; quod rectius est meriti effectus, quam meritum ipsum; quo modo vsurpauit meriti vocem Terentius *in Phormione* aiens, *Nihil suaue meritum sibi*, hoc est, nihil mercedis sibi suaue; alia pro beneficio alicui collato, secundum quam Rethores, vt apud Ciceronem frequenter patet, asserere consueuerunt, se pro collatis meritis pares habere gratias non posse; tertia denique pro ipso opere recto, cui ex quadam iustitia debetur merces, & hæc tertia meriti acceptio ad nostram rem facit; in qua significatum eius in deteriorem partem; vt omnino extra instituti nostri limites ablegamus, vt propterea turpe etiam putem eam meriti in deteriorem partem acceptionem in medium producere; qua turpem significat quæstus factionem, secundum quam, quæ corpore quæstum faciunt meriti nomenclaturam participant; vt meretrices.

Ouidius Epist. 5.

Terentius in Phormione.

Cicero.

34 Meritum igitur in bonam frugem acceptum tertio modo præexposito in hunc modum à Scoto finitur in 3. d. 18. q. vnica *littera A*, *Meritum est aliquid acceptatum, vel acceptandum in alio; pro quo in acceptante est aliquid retribuendum illi, in quo est quasi debitum illi pro illo merito; vel alteri pro quo meruit.* Hæc Scotus, qui in 2. *sent.* d. 17. *in solutione 2. q. littera L*, *Meritum*, inquit, *est actus potentiæ liberæ, & secundum inclinationem gratiæ elicitus acceptus Deo vt præmiabilis beatitudine*; altera autem descriptio alteram perficit; vnde rectè Scotus in 2. descriptionem meriti per modum doctrinæ, non per modum diffinitionis tradidit; in tertio autem simpliciter diffinitionem illam descriptionem vocat paulò ante *litteram R*, per hæc verba, *ideo in descriptione meriti non oportet addere &c.* quidquid sit autem de hac re; descriptionem ipsam declarando dicimus; eam dari per genus, & differentiam; est autem genus in descriptione illa prima particula illa, *aliquid*, quam ipse auctor declarat in altera descriptione, aiens, genus esse actum potentiæ liberæ; ita vt meriti genus sit actus voluntatis; & quoniam voluntatis actus duplex est, alter ab ipsa voluntate elicitus, alter autem ab alia potentia elicitus, sed à voluntate imperatus, hinc fit, vt totum genus actuum voluntatis; tam scilicet liberorum elicitorum, quam liberorum imperatorum, seu à potentia libera imperatorum sit genus in diffinitione meriti; cæteræ autem particulæ differentiarum vices gerunt;

Scotica meriti diffinitio.

runt; ponitur prima particula *acceptati* ad differentiam actus voluntatis moraliter boni non eliciti à gratia; cui non debetur acceptatio; & propterea quasi per explicationem additur illa particula, *vel acceptandum*, vt sit sensus; *meritum est actus bonus voluntatis elicitus, vel imperatus, cui debetur acceptatio*. Ponitur secunda particula, *in alio* ad ostendendum mercedem ab alio debere haberi; & nõ ab ipso merente. Ponitur tertia particula, *pro quo in acceptante est aliquid retribuendum illi, in quo est quasi debitum illi pro illo merito*; ad differentiam muneris, & doni; quod elargiens non habet in se debitum retribuendi illi, cui munus elargitur, ac donum. Additur demum particula illa, *vel alteri, pro quo meruit*, ad ostendendam diuersitatem meriti; quoddam enim est, quo quis sibi, quoddam, quo alijs meretur.

35 Ex hac meriti diffinitione habes primo, duo in meriti ratione inuolui; primum est substantia actus recti; secundũ est ipsamet ratio meriti, & in primo quidem adhuc duo; primum ipsa est secundum se actus substantia; secundum rectitudo actus, & substantiam actus ab ipsa voluntate manare verendum non est, cũ propterea actus voluntatis appelletur; quia ab illa elicitus, vel imperatus; rectitudinem ab habitu formãte voluntatem fluere non obscure indicat *in 1.* Scotus *d. 17. citata*; secundum quam ratio *(margin: Scotus in 1. d. 17.)* ipsa meriti principalius dicitur conuenire actui ab habitu; quam à potentia; cuius rei ratio est; quia actus à voluntate elicitus gratia formata magis est acceptandus, & præmio dignus; quam, vt actus à voluntate præcisa libere elicitus; non enim actui tali retributio debetur, sed actui elicito per charitatem, & gratiam; vnde in ordine ad hanc acceptationem dicebat Augustinus, charitatem ita se habere ad voluntatem, vt *(margin: Augustini dictũ.)* se habet sessor ad equum; non ita quidem, vt voluntas non sit libera in elicitione actus sui; sicut non est liber equus libero carens arbitrio; sed ita, vt si equus esset liber, & sessor per modum naturæ dirigeret equum ad certum terminum: exemplum aptius esset ad explicandam elicitionem actus meritorij, fluentis quo ad substantiam principalius à potentia; quoad rationem autem meriti ab habitu formante voluntatem.

36 Habes secundo ad complementum actus meritorij duo conuenire, voluntatem scilicet elicientem actum, & Deum acceptantem, hoc modo videlicet intel- *(margin: Ad complementũ meriti quæ expetantur.)* ligendo ex doctrina eiusdem Scoti *in 1. littera* KK, vt ipse actus meritorius sit quidem in potestate elicientis hominis dummodo libero sit arbitrio, & gratia præditus; completio autem actus in ratione meriti non sit in potestate hominis, sed Dei; qui acceptans opus ipsum ad præmium rationem meriti complet: quod si quandoque dicatur in ratione meriti completiue esse in potestate hominis, intellige tu, dispositiue; quatenus scilicet ex pacto, homine sic agente tenetur, vt ita dicam, Deus dare complementum actui illo; cui dedit alterum principium, nempè gratiam, sine qua actus ille elicitus non fuisset acceptatione, ac retributione dignus.

37 Habes tertio descriptionem præsentẽ latius patere secunda; quippè quæ apposite datur de merito hominum, siue etiã Angelorum in ordine ad Deum; & ad æternam retributionem dumtaxat: prior autem generice satis de quocũque merito etiam humano in ordine ad homines pronunciat; cæterum ex vtraque diffinitione conflare poteris diffinitionẽ spectãtẽ ad opus nostrum ex gratia elicitum in ordine ad Deum; secundum quem sensum Theologi effantur hoc modo. *Meri- (margin: Diffinitio meriti perfecta.) tum est libera voluntatis actio moraliter bona elicita à Viatore gratiam habente accepta, vel acceptanda ad præmium aliquod ab habẽte in sua potestate præmium.* Habes insuper, quod cum in ipsa meriti ratione, (quod ex hominis energia meritum dicitur, hoc est, vt loco citato dixi; mercedis initium) retributio mercedis, & præmij inuoluatur, pertinet meritum ad ius cõmutatiuum, ac ciuile: de quo vide Aristotelem *in moral. eth. 5. cap. 4.* in iustitia *(margin: Aristoteles eth. 5.)* autem commutatiua redditur æquiualens pro æquiualente, quod non ita putes esse verum hoc loco, quasi verò gloria, quæ constituitur actus meritorij præmium, ac merces, æquiualeat actui meritorio, cum certum sit hanc à gloria excedi ferè in infinitum, quamuis enim nec ipsa gloria, quæ datur homini penes ipsum infinita sit: siquidem non semper beauit hominem, sed, vt traductum

dum.

dumtaxat ad Cælos, beatitatis locum, suoptè nihilominus ingenio, & principio, & fine caret, & infiniti obiecti infinita est; ad quam actus finiti nulla proportio, sed hoc ita verum esse intellige, vt iustitia interfit in hoc opere ex pacto Dei ita statuentis; est siquidem in hisce, de quibus loquimur, diuina spo sio, ac pactum maximopere attendendum, a quo nimirum sicuti ex pacto Dei operi elicito ex gratia debetur merces, ita, & talis, ac tanta merces, ita vt tota mercedi retributio, tota præmij æqualitas ex Deo retribuente, ac præmiante desumatur. Neque hanc doctrinam ex capite putes appositam, quam disertè indicauit Aristoteles *loco citato*, dum iustum vocat, quod est iuxta leges; quare cum in hac retributione iustum commutatiuum attendatur, nulla planè iustitia superesit, si leges demas: & econtra tota iustitiæ ratio ex legibus, factoque Dei statuentis demanat: porrò totam meriti radicem ad affectionem iustitiæ deuoluendam esse in fine huius digressionis dicetur.

Aristoteles.

38 Scio Thomistas cum Caietano *in p. 2. q. 114.* æqualitatem retributionis huius meriti ex ratione donantis; nisi tamen hæc ratio ad pactum retribuentis deuoluatur, nulla est propemodum: quia, vti ex Aristotele tetigimus, iustitia attenditur penes leges, non penes conditionem retribuentis, alioquin pluri prætio redimendus esset labor à Principe, quam à rustico; quamuis idem omninò secundum speciem, & secundum agens, & proinde quantum distat a Rustico Princeps, tanto maiori afficiendus esset præmio laborans in vinea Principis, quam laborans in vinea Rustici, quanto maiori prætio faciendus est supra Rusticum Princeps. Atqui hæc delib. sse pro meriti diffinitione satis; iam ad cætera descēdamus.

Opinio Caietani.

39 De subiecto meriti, quod tertio loco petebatur nullibi ex instituto Scotus, ex ijs tamen, quæ tum *in primo loco citato* tum *in 3. d. 18.* docuit nos, eliciemus planè quid senserit: immò ex præiacta de meriti diffinitione doctrina liquescit, quodnam sit vere meriti subiectum, etenim ex quo per ea, quæ diximus, meritum est actus potentiæ lib. ræ gratia formatę acceptatione dignus ad retributionem, in quocunque talem comminisci licebit actum, & meriti ipsius subiectum nanciscimur, certum est autem actum huiuscemodi in iis reperiri dumtaxat, qui volitiones suas iuxta affectionem iustitiæ eliciunt, sicut enim ex actibus elicitis iuxta affectionem commodi demeritum oritur, ita ex actibus elicitis, vel imperatis iuxta affectionē iustitię meritū, has si quidē affectiones infra primas meriti, vel demeriti quodammodo nuncupabimus radices, quicūque igitur actus suos liberè iuxta affectionem iustitiæ ita elicit, vt proxima potēria nequeat illos, seu alios elicere iuxta affectionem iustitiæ contra affectionem cōmodi, ij cum sint perfectè coniuncti quoad vtramque affectionem Deo, actus verè meritorios elicere non possunt: è cōtra, qui actus suos ita iuxta affectionem iustitiæ eliciunt contra affectionem commodi, vt è conuerso actus elicere proximè queant iuxta affectionem commodi contra affectionem iustitiæ, ij verè actus meritorios elicere queunt, vt proinde vno verbo, verum meriti subiectum id sit, quod non est ita Deo perfectè cōiunctum, quin possit contra affectionem iustitiæ iuxta commodi affectionem proprios edere actus; si quod autem est subiectum ita perfectè Deo coniunctum, quod nihil velit affectione commodi cōtra affectionem iustitiæ, sed quoad vtrāque affectionem Deo perfectè iunctum sit, hoc planè verum subiectum meriti nuncupari non debet.

Exponitur meriti subiectum.

40 Atqui ex hac ipsa doctrina dignosces comprehensores meriti verè subiecta non esse, siquidem illi quoad vtramque affectionem tam perfectè sunt Deo coniuncti, vt proxima potentia nequeant quid velle affectione commodi contra affectionem iustitiæ: dignosces secundò vere viatores, siue homines, siue Angelos (tam enim homo, quam Angelus libero est arbitrio præditus, quod ad electionem exposcitur meriti, quod actum potentię liberæ gratia formatę diximus) meriti esse sub ectum, quod tam dilucidè patet, vt probationem renuat; etenim cum homo, & Angelus priusquam in termino considerentur non sint perfectè Deo penes vtramque affectionem coniuncti, fieri potest, vt de facto factum sit, vt quippiam sibi affectione commodi ro-

di voluerint contra affectionem iustitiæ, Angelus quidem, vel se nimium faciendo, vel in superbiam eleuando, homo verò diuino obuius iens præcepto; & proinde demeriti sint, & è contra eorum aliqui ante perfectam Deo vnitionem quippiam volentes affectione iustitiæ contra affectionem commodi, meriti sunt: tota namque capessendi huius negocij facultas ex duplicis illius affectionis consideratione fluit.

Collecta via ex dictis.

41 Dignosces tertio demum; quod cum Christus Dominus ante passionem suam non fuerit perfectissime coniunctus summo bono secundum vtramque affectionem, quia non secundum affectionem commodi; quippequi ab obiecto disconuenienti patiebatur, potuit verum esse meriti subiectum; & hæc omnia de ordinata Dei potestate loquẽtes diximus. Cæterum de absoluta, quæ nulli tenetur legi, secus dicendum est; sicut enim fieri potuit per eam, vt quid etiam à volũtate elicitum non formata per gratiam acceptaret Deus, vt retributione dignũ, quemadmodum egregiè docuit noster Scotus in 2.d.17.*littera MM*, ita potest vt meritorios acceptare, eisque præmium, ac mercedem retribuere actibus, qui eliciuntur à voluntate perfectissime coniuncta secundum vtramque affectionem summo bono; & sic opera comprehensorum, vt meritoria pendere, eisque mercedem largiri; de facto autem secus Philosophandum est; ex quo enim leges cõstituerunt æternæ neminem coronã sum nisi qui legitimè certauerit, optimo fiet iure, vt nullius actus computentur ad mercedem, nisi viatoris, qui verus est, ac solus legitimus certator; compræhensores autem certatores non sunt, nullo ibi bello, hostili incursione nulla.

Scotus in 2.d.17. littera MM.

Recentiorum oppositiones. Vasquez Lugo.

42 Scio Vasquezium p.2.*tom.* 2.*disp.* 216. *cap* 4. & post ipsum *Ioannem à Lugo* existimasse dignitatem operis meritorij ex natura rei exposcere, vt à viatore eliciatur non ex ordinatione diuina, proinde non ex sola Dei lege extrinseca pendere, vt non computentur mercede digna cõpræhensorum opera, sed ex ipsa interna rei natura, ita enim loquitur Lugus *disp.* 26.*cap.*4. triplici ratione munitus; prima est, quod valor, & dignitas operis nequit ex aliqua extrinseca lege prouenire; cum nequeat Deus facere, vt opus, quod ex se præmio non est dignum, immutatum omnino manens fit dignum. Secunda est quia damnati quotidie peccant in inferno, & tamen ea peccata non sunt digna noua pæna, & hoc ex se, ob defectum conditionis viæ. Tertia est, quia incredibile videtur Beatos quotidie edere bona opera digna maiori præmio, & tamen nunquam id consequi, quia Deus illa opera alioquin dignissima præmiare non vult. Propterea hæc Vasquez conclusit statum viæ esse necessarium ex natura rei, vt quis mereatur sibi, quamuis non ita pro alijs; nam Angeli plura nobis impetrant bona; conclusit Lugo conditionem viæ ex intrinseco esse necessariam ad meritum; ita vt extra eam nullus sibi, aut alijs mereri ab intrinseco queat; quare per hos auctores nulla potestate comprehensoris opera meritoria dici possunt; internã enim rei essentiam non destruit Deus; sed nec destruere potest nisi cõditionem ipsam immutando. Scio, inquam, hæc & similia pronunciari à Recentibus; sed si ea loquendi methodo ingerere in mẽtem velint; nec absoluta Dei potestate fieri posse, vt comprehensor sit meriti subiectum, nimis inopem Deum reddũt Recentes; cuius potestatem adeo inbecillam propugnant.

43 Aio igitur vtique de facto, & ordinatam spectando Dei potentiam, solum viatorem esse meriti subiectum; conditionem tamen viæ includi in formali meriti ratione non confiteor; ratio est, quoniam opus ipsum suapte natura cò dicitur mercede dignum, quatenus Princeps ipse pactus est, ac spopondit se pro eo mercedem, ac præmium retributurum; in cuius rei gratiam, gratiam ipsam voluntati contulit; vt ea formata eliceretur actus, quem acceptaret ad præmium; siue igitur à viatore, siue à comprehensore elicitus, dummodo cæteris polleat conditionibus, quas meritum finiendo recensuimus; ab interno naturam meriti exuere non potest, porrò in ipsa meriti quidditate per descriptionẽ exposita nihil tale reperio; cuius vi compellar statum viæ in internã meriti quidditatem deuoluere; vt proinde nulla potestate viæ status à meriti subiecto diuelli queat, vnde in hunc modum pronunciare licebit.

Auctoris occursus.

Argumentum auctoris.

44 Nequeunt ea absoluta potestate fieri, quæ implicantiam inuoluunt, at nulla implicantia, quod opera comprehensorum acceptentur ad præmium, quare aliqua potestate quibit id fieri. Nec video in minori difficultatem, in qua tamen per Aduersarios fit, & est difficultas; quænam enim implicantia ad opus meritorium cum comprehensore? numquid non illius actus boni ex caritate eliciti à voluntate liberi? quare si acceptarentur, dato, quod ab æterno Deus actus illos decreuit acceptatione dignos, nullū inconueniens, quin meritorij dicerentur, sed planè huiusmodi de facto non dicūtur, quia constituit ab æterno Deus viatoria dumtaxat actua acceptandos; vnde egregiè Scotus in 3. *d.* 17. *littera LL*, ait Deum ab æterno præuidendo hunc actū ex talibus principijs eliciendum, puta ex voluntate, & gratia, decreuisse ipsum esse ordinatum ad præmium; & ordinādo illum ad præmium voluisse esse meritum, ita vt ad meriti complementum requirat pactionem, & ordinationem Dei æternam decernentem illud fore meritū, & pro merito acceptando, quod ex gratia, & voluntate eliciendum erat; quamuis id secundum se consideratum absque tali acceptatione, ac pacto secūdum rigorosam, ac strictam iustitiam non fuisset ex sua intrinseca bonitate, quam traxisset ex suis principijs, dignū tali præmio: per hanc autem pactionem legem tulit se acceptaturum pro merito viatoris opus, non comprehensoris; neque ob inde status viæ ad internam essentiam meriti denoluendus est, cum ex Dei dumtaxat lege pendeat: vnde reuocanda est in memoriam Scoti doctrina ibi, quæ est, substantiam actua, eiusque intensionem à voluntate fluere, vt gratia formata, & esse primam realitatem, ac perfectiorem meritorij actus; quandoquidem est quid absolutum, prius natura acceptatione ipsa passiua, & magis ens ea, & præter hāc esse rationem digni, seu dignè ordinabilis ad præmium, & hæc ratio, seu ordo est ex diuina voluntate gratuitè ordinante. An autem à sola voluntate Dei, an ex ipso opere, digladiantur Recentes existimantes ex ipso opere pendere dignitatem ad præmium; Scotus autem è contra ibi ex sola Dei voluntate gratuitè ordinante,

Scotus in 3. d. 17. litt. LL.

Dignitas operis ad primum vnde.

semetipsum autem interpretatur ibi Scotus, aiens *littera LL*, se non loqui de temporanea, sed de æterna Dei acceptatione, quam mauis appellare ordinem, ac pactum, vt ita res se habeat. Actus ieiunij, exempli gratia, elicitus ex gratia dicitur meritorius, non quatenus ex intrinseca sui natura præmium experat de condigno, sed quia Deus ab æterno decreuit actum huiusmodi fore meritoriū, & acceptandum ad præmium, ita vt ratio actua meritorij sit quidem in hominum potestate, sed non quo ad complementum vltimum, quod ex Dei voluntate pendet statuente talem actum ordinari ad præmium, ad quid quamquam bonus bonitate sua morali, & intrinseca, quam ex suis haberet principijs, non fuisset de rigorosa, & stricta iustitia absque Dei acceptatione digne ordinatus; quare ex his è Scoti visceribus depromptis habes bonitatē actus internam experi quidem ad constituendum actum meriti; sed per ipsum meritorium actum minime compleri; cuius completiua formalitas ex diuina voluntate pendet, nō ita quidem, vt si nolit acceptare non sit meritum; quamquam, & hoc etiam de absoluta potestate queat fieri, agente Deo ad extra liberè, non necessario, sed potius, quia ab æterno ita constituit se acceptaturum actum bonum ex gratia elicitum à voluntate, vt ordinationem habentem ad præmium. Habes insuper non esse contra rationem meriti, quod à comprehensore eliceretur, nisi quia regulariter ab æterno Deus constituit se acceptaturum opus ad præmium elicitum dumtaxat à voluntate cum gratia habituali in homine viatore, neque ob inde viæ status in interna meriti conditione inuoluitur, quæ in eo sita est solum, vt sit actus potentiæ liberæ elicitus ex gratia, & proinde ex suis principijs bonus; quamuis acceptatio, quæ actui illi complementum dat meriti, extrinseca sit, nempè diuina voluntas; sed de hac re fusius loco proprio agendum est: hæc delibasse satis ad subiecti actus meritorij captum.

Scotus vbi supra.

Completio formalis actus meritorij vnde.

45 Nunc Lugo, & Vasquezij argumenta diluamus. Primum quidem exile est supponens temporanea acceptatione fieri, vt actus non dignus fiat dignus; sed fuit ex doctrina Scoti statuente ex

Occurritur recentibus.

pactione

pactione, & ordinatione æterna habere actum illum ordinationem ad præmium: qua autem & ista temporanea quoque acceptatio expetitur, dilue argumentū, negando eundem actum immutatum omnino fieri dignum; habet si quidem habitudinem ordinis ad acceptationem, seu (vtar Scoti verbis) *habet relationem ad actionem diuinam, quæ licet sit de ratione meriti non est tamen sine actione diuina &c.* In quibus obserua haud quaquam meriti internam rationem spectari, nam nihil respectiuum est de interna quidditate, & ratione absolute; actus autem meritorius est quid absolutum, & relatio illa ad acceptationem diuinam est respectus, sed pro ratione intellige inclusionem necessariam, itaut in actu ipso meriti necessario inuoluatur habitudo illa, neque exinde est omnino actus immutatus, qui non habuisset prius hanc habitudinem, nisi dispositione. Secundum argumentum falsum ad falsi probationem inducit: quod enim quotidie peccent in inferno damnati blasphemantes: hoc est Lugo probandum; quod nō probatur mihi: licet enim de ijs dicatur in psalmo 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper:* tamen actus illos non imputari ad noua peccata certius est in Theologorum Gymnasijs, quibus cōstat exacta vita expleri peccata. Quod si inferat Lugo: ergo ex ratione status damnati peccare nequeunt, & econuerso ex ratione status beati mereri nequibunt, quia oppositorum est eadem ratio. Quidquid sit de hac oppositione, qualis, quantaque sit, & propterea quomodo facienda sit propositio illa: oppositorum est eadem ratio: adhuc instantia leuis est, nam & ipsa status diuersitas ex diuina ordinatione dependet. Aio igitur nec mereri comprehensores, nec demereri damnatos, non eatenus, quasi vero in ratione meriti, vel demeriti formaliter includatur conditio, & exigentia viæ, sed quia sic Deo libuit. Tertium argumentum luditur negando quotidie Sanctos elicere opera digna maiori præmio, nam qua constantia negauimus elicere damnatos opera demeritoria, eadem imus inficias meritorios esse comprehensorum actus; ex quo Deus ab æterno pactus est se opera acceptaturū in via, nō in termino; non ita vt via, vel terminus sit de, vel extra rationem meriti ex interna natura, sed, vt dixi, ex dispositione Dei. Sola superesse posset difficultas de orationibus Sanctorum, an, scilicet, sint meritorij actus pro nobis: Verum de hisce alias dicendum est: interim hæc ad subiecti meritorij actus notitiam, quasi supponendo, diximus.

Solutio secundi argumenti.

Solutio tertij argumenti.

46 Principia meritorij actus quarto loco rimanda proposuimus, & hæc etiam ex proposita meriti diffinitione clarescunt; qua statuitur meritum esse actum potentiæ liberę acceptatum, vel acceptandū &c. vt planè deducatur verum principij meritum esse creatam voluntatem habentem pro forma habitualem gratiam. Hic autē obserua aliud esse quærere principia vera meriti; aliud autem inquirere, quæ ad meritum exquirantur; vera enim meritorij actus principia sunt volūtas, & gratia; præter hęc autem ad meriti complementum exquirūtur diuina acceptatio; & per Scotum communis influentia; quæ duo non sunt pari modo principia meriti, vt voluntas, & gratia, sed communis influentia est necessaria, prout ad singulos eliciendos actus necessaria statuitur; & diuina acceptatio necessario expetitur, vt complementum largitura merito. Quid autem communis influentiæ nomine intelligat Scotus, qui de hac re abundè differit in primo d. 17. citata, haud planè ex ipso competies, fortè tamen non erit ab re asserere, nomine communis influentiæ non intelligi generalissimum quendam Dei concursum ad opera, qui nec ipsis denegatur Infantibus, multoq; minus intelligi motum ex puris naturæ viribus factum; alioquin infantes, qui gratia habituali per Baptismi Sacramentum donantur meritorios actus elicere possent, quod est falsum; sed intelligi specialem diuini auxilij motum, siue motum; cui nomen influentiæ generalis indidit Scotus, quoniam illud omnibus liberi arbitrij vsu pollentibus, gratiæque habitualis forma adiutis ad elicitionem meritoriorum actuū elargitur misericors, ac prouidentissimus Deus; quemadmodum etiam in 4. d. 14. q. 2. nomen communis influentiæ Scotus idem vsurpauit: quidquod in p. loc. cit. hanc communem influentiam in habente solum vsum liberi arbitrij, & gratia memorat littera KK; vt plane pateret

Quid sit communis Influentia ex Scoto.

Scotus in 4. d. 14. quæst. 2.

fieret nostro modo præexposito nomen influentię communis á Scoto acceptum; in additione etiam ad *litteram HH*, quã-uis vereri possimus an ea de Scoti effluxerint calamo, ad Scóti certè aures impressa vereri non possumus; ibi verò dilucide satis significatum prærequisitæ ad mor tum communis influentiæ habetur his verbis. *Ponitur quod ad actum meritorium non sufficit voluntas cum charitate, sed requiritur influentia specialis, forma mouentis, non permanentis*, quod & tripliciter probat. Ita igitur interpretandam communem, ac generalem influentiam hoc loco reor; quod de gratiæ auxilijs in plura sermonem contexere lex constituta, locique expetentia vetat.

Scoti verba.

47 Constat planè meriti principium esse voluntatem cum gratia, an autem gratia sit verum principium partiale meriti, an autem conditio expetita tantum in principio, quod est voluntas longissimè disputant nostrates post Scotum in *loco citato*, & de hac re proprio; nos autem probabiliori sententiæ inhærentes constituimus, & voluntatem, & gratiam principium esse meriti; voluntatem quidem, cuius vi absolutum illud in actu, & in intensione elicitur, gratiam autem cuius merito actus ille habet rectitudinem, facilitatem in producendo, & acceptabilitatem à Deo; vnde cum Scoto ibi monuimus in actu quouis meritorio hæc posse spectari, puta, actum ipsum, eiusque substantiam, intensionem actus ipsius, delectationem potentiæ elicientis actum, facilitatemque eius in agendo, rectitudinem actus, conformitatem rationi rectæ, & acceptabilitatem à Deo, quorũ aliqua ex ipsa suapte natura potentia elici possunt; quædam vero ab ipsa, vt habitu formata; licet enim de se potentia exire queat in actum, & in actum aliqua intensione præditum, quod certè ad tantæ intensionis actum exeat, delectetur in elicitione eius, facileque exeat in actum ab habitu venatur, à quo etiam cõformitas, ac rectitudo fluit & acceptabilitas à Deo eiusdem actus; quare merendi principium duplex, voluntas vnum, gratia alterum. Verum primum gratia ne, an voluntas?

Habes an gratia sit principiũ & quomodo.

Quæ, & quot in merito cõcurrant.

48 Mitto disputationem ad hunc locum ineptam, & post Scotum, suppono breuiter vtrumque esse partiale principium meritorij actus; primarium vero voluntatẽ secundarium gratiã; meritum enim in sua finitione dicitur actus potentiæ liberæ formatæ gratia, non vero actus gratiæ formantis voluntatem; estque ratio Scoti ad hanc veritatem dilucida, quia scilicet potentia vtitur habitu ad actũ, non vero habitus vtitur potestate, & rursum, ne libertatem à meriti principio ademamus, primariam eius causam voluntatem constituere debemus; atque ita si generatim petaris; quod nam principium meriti primarium? tessare tuto, voluntatem; Rogatus: meriti, vt meritum est, quod nam verò principium primarium? distinctione munitus responde, quo ad substantiam actus, eiusque intensionem, & fortè etiam quoad rectitudinem moris, & conformitatem rationi rectę primariam causandi rationem ad voluntatem deuoluendam, quoad acceptabilitatem à Deo ad gratiam; gratia enim duplicem habet habitudinem, alteram ad rectitudinem actus, alteram ad acceptabilitatem à Deo; secundum hanc extremam primariam causandi rationem ad gratiam deferre ne verearis; siquidem non qua à voluntate, sed qua à charitate elicitus est actus, vt præmio dignus acceptatur à Deo, vt ibi Scotus monet, quod & multiplici confirmat exemplo, diuisionis corporis medio gladio, soni ex ordine percussionis corporis, & ex ipsa percussione corporis sonantis, matris, ac patris respectu filij.

49 Atqui hæc sunt meritorij actus elicitiua principia. Cæterum completio eius ex diuina acceptatione depender. Hanc conditionem rident Thomistæ post Sanctum Thomam *p. 2. q. 114. art. 4.* arbitrantes actum dici verè meritorium, eo ipso, quod à voluntate per habitum charitatis, vel gratiæ formata procedit præcisa acceptatione quacumque à Deo; & cõtra Scotum præsertim debaccantur Recentes cum Suarezio *3. p. d. 39. sect. 1.* & Vasquezio *p. 2. disp. 214.* qui opinionem Scoti paulò differre ab Hæreticis sensit, à quibus, & à Vasquezij censura vti doctorem vindicet multum, laborat Faber *in 3. disp. 21. cap. 3.* qui *num. 19. in fine* concludit acceptationem æternam ita concurrere ad opus, vt non sit extra opus, immò operationem ipsam intrinsecus constituat meritoriam. Mihi, vt quid

Suarezij, & Vasquezij censura ad Scotum.

sentiam,

ſentiam, dixero, præexplicatis nonnullis videtur diſputatio verbalis, potius quã realis; neque de Vaſquezij ad Scotum cenſura laborandum eſt, laborandum vtique fuiſſet, ſi Inquiſitionis munere functus eſſet hic auctor, & non potius contumelijs, quam ratione certaſſet.

Prima ſuppoſitio.

50 Præſuppono primo, aliud eſſe loqui de præmio abſolute, aliud autem de vero præmio, quod eſt bonum æternum, & æterna beatitas; humana enim præmia, quæ in hiſce caducis naneiſcimur maiorem ex vi propria proportionem habere poſſunt ad meritum, quam præmium æternum, ad quod proclamet Apoſtolus, non eſſe condignas paſſiones huius temporis; quod tu intellige ex interna paſſionum huius temporis natura, ſecus autem ex diſpoſitione Dei; potiò ex hoc discrimine ita de humano, ac de diuino eſſati præmio lapſus eſt non leuis, ſed, & ſi liqueſcet ordinationem, pactũque intercedere inter humanum meritũ, & præmium, de quo minus videtur neceſſarium pactum, ex quo maiorem habet proportionem ad præmium, per regulam logicam, multo magis neceſſarium erit in aſſecutione premij æterni, ad quod humanum opus proportionem non habet, aut condignitatem ex ſuis viribus. Iam vero in humano merito ad præmij aſſecutionem pactum intercedere experimentum probat, quo de mercede in laborantibus paciſcimur, eſtque euidentiſſimè pactum ipſum præcedens opus, & ratio eſt, quia cum retributio ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ, & merces ſecundum hanc iuſtitiam pendeat, vel ex vſu, vel ex lege Principis, vel ex peculiari cõuentione hominum; hinc fit, vt ſemper pacto antecedere, quocunque modo ſpectetur merces, intelligatur; nam ſi attendatur vſus, ipſum præcedere ad opus, quod nunc exhibetur, probatione non eget; ſi ex lege item, quoniam lex obſeruantiam præit; ſi ex conuentione pariter, quæ ad opus anteire dicenda eſt, vt in vſu probamus.

Nota hãc diſtinctionem.

Quomodo pactũ dicatur anteire.

51 Non equidem inficier, pactum, & cõuentionem interdum ſubſequi ad opus; vt exempli gratia, cum ad laborem aliquem deſtino homines, nullam de mercede faciens ante laborem memoriam; cui tamen labori, vtpote nouo, nullam vſus, aut lex conſtituerint mercedem; verum, & tunc quoque temporis actuale intercedit præiens pactum; ita enim pronunciare in ſimili caſu conſueuimus: *eas ad opus, de mercede deinde loquemur;* vel alia ſimilia verba pronunciamus; quo caſu præit pactum, & ſponſio de pacto ſubſequente, vel ſi nihilominus dicimus virtualis conuentio præire intelligitur, ſecundum quam exacto opere mercedem actu ſtatuimus. Habemus huiuſce doctrinæ probationem ex euangelica Vineæ parabola *Matthæi* 20. vbi mittuntur operarij ad opus, & fit ſingulorum denarioru[m] ſingulis retributio; ecce merces, & meritum; additur ibi, *Conuentione autem facta cum operarijs &c.* en conuentio ſubſequens: habetur ante hæc, *Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis;* en conuentio, & pactum præiens opus. At (inquit Vaſquez) hæc eſt conuentio ſubſequens, nõ antecedens. Non percipit contextus ſenſum; aio enim: quomodo ſubſequens, ſi promiſſio facta fuit ante opus? Dicet; conuentionem ſubſecutam, cui ægre ferebant operarij ſtare, exiſtimantes quod plus eſſent accepturi. Refellitur; etenim hoc ex operariorum ortum eſt ignorantia; quibus iuſtitia operis non innoteſcebat; certè pater familias ante laborem ſpopondit ſe illis ex iuſtitia retributurũ, porrò retributionem iuſtitiæ non aliunde, quam à legibus præconſtitutis, vel hominum præeunte conuentione, aut pacto deducere poterat. Quare ex hoc ſuppoſito colligendum in vniuſcuiuſque mercedis retributione pro merito etiam humano pactum, ac conuentionem intercedere; ita vt retributionis obligatio, non ex interna operis natura dumtaxat, ſed ex ſponſione dependeat, ac pacto; alioquin immutarentur mercedes ad merita, & ſemper eodem res venderentur pretio; quod experimento docemur eſſe falſum.

52 Præaccipio ſecũdo, acceptationis vocabulum hoc loco interpretationem exquirere, id enim non ex rigore vocis vſurpatur pro receptione, quomodo ipſum cum acceptatione confundunt Rethores, & Grammatici; ſed neque pro benè ſibi complacente in aliqua re, quomodo ſicut id dicitur acceptum, quod placet; ita acceptator eſſet, qui in accepto complacet; alioquin actus volunta-

Secunda ſuppoſitio

tis ac-

Scot. in p. d. 17. q. 2.

ri beneplaciti Dei diceretur acceptatio, quod tamen Scotus tenuit in *p. d. 17. q. 2. littera DD*, est igitur acceptare hoc loco velle diuinum respectu hominis, & respectu actus eius ad retributionem æternam, & sicuti diuina volitio, quamuis vna omnino sit, & inuariabilis, spectari potest æternaliter, & in tempore, seu secundum presentem iustitiam, vniuersa mutatione facta ex parte obiecti; ita acceptatio duplex, alia æterna, alia temporalis, & hanc quidem dici subsequi ad opus non inconuenit, sicuti nõ inconuenit asserere iustũ nunc diligi, quẽ antea iniustum oderat Deus; ita enim ex nostro concipiendi modo ex obiectorũ mutatione de diuina voluntate differimus; illam verò præire dicimus omnino in operis ipsius præuisione, hoc modo scilicet, vt intelligatur Deus præuidens opus ex voluntate, & gratia eliciendum cum gratia, voluisse, ac decreuisse actum illum, & opus ordinatum ad gloriam, & ordinando illud ad gloriam voluisse dici meritum ad gloriam. Hæc est acceptatio de Scoti mente *in 1. loco citato*; quasi determinatio actus ad præmium, & nomenclaturæ actus ad meritum, quę si displicet Recentibus, ac Thomistis, displicere etiam debet vniuersa moles, & methodus ex nostro modo intelligendi concepta in Deo in ordine electionis rerum ad extra ab æterno; verum ipsi nõ secundum hunc sensum acceptationem vsurpantes, facile potuerunt à Scoti sententia deflectere, Scoticumque sensum carpere; equidem nisi sensum suum Scotus explicasset, excusarem Recentes circa nominis acceptationis significatum, proinde rectè dixi in principio huius dubitationis, petitionẽ esse fere verbalem; asserit enim Scotus actum sub ratione meriti habere ita complementum ab acceptatione diuina, quia Deus ab æterno actum huiusmodi ex gratia elicitum voluit ordinari ad præmium, ipsumque actum vocari meritum. An hæc negarent aduersarij? Non vtique, sed illi arbitrantur hanc ipsam operis condignitatem ad mercedem ex interna operis eiusdem conditione manare, quamuis ire, nequeant inficias ita Deum decreuisse ab æterno. In hoc planè constitui altercatio potest, quod ipsi tenent constitutum ab æterno, vt esset hæc ratio condigni deratione interna operis eliciti à gratia, non autem ex pactione, seu velle dumtaxat extrinseco Dei. At refelluntur argumentis à Scoto adductis, & infra adducendis.

Acceptatio duplex ex Scoto.

Scoti sensum non percepere Recentes.

53 Interim præaccipiendum tertio, rationem ordinationis ad præmium in merito non esse quid absolutum, sed respectiuum, proinde ipsum meriti complementum relationem inuoluere, sicut etiam ipsum nomen sonat, *meritum mercedis meritum*, videturque in sua formalitate inuoluere respectum ad præmium, & ad ipsum Deum ordinantem; hunc quidem realem ex parte operis terminatum in Deo, in quo nulla relatio realis ad creaturam, sed rationis dumtaxat; illum vero realem tamquam causæ moralis ad effectum, seu dispositionis ad terminum, neutrum tamen internè aduenientem, vt patet, quia non consurgit ex ratione interna extremorum, sed ax decreto, ac pacto Dei; sic ergo intelligitur res se habere in tempore stante diuina acceptatione æterna, quod eleemosynæ opus elicitum ex charitate à voluntate sit actus absolutus eiusdem voluntatis rectus, & bonus, & rationi rectę conformis, cui merito gratiæ alterius operis illius causæ insurgit relatio ad voluntatem diuinam acceptantem, & ad premium, quod illi respondet: dixi merito gratiæ, quia gratia, quæ est qualitas in voluntate habens in se quodammodo obiectum sub ratione diligibilis inclinat in illud; propter quam inclinationem actus ille à Deo acceptatur, estque exinde gratia in elicitione actus causa secundaria; in ratione verò, ob quam actus acceptetur, dicitur causa prima, nec est impossibile nancisci in effectu relationem aliquam externè accedentem, quæ magis à secundaria, quã à primaria effectus causa dependeat; immo ipsamet gratia statuitur ratio acceptandi naturam ipsam, & eius actum; naturam quidem quia eo ipso, quo animæ insidet gratia, cum sit quædam forma nobilitans, ac decorans subiectum, quę propterea animæ decor appellatur, ratio acceptandi naturam vocatur; complacet enim diuina voluntas in animi nostri munditia, ac decore; & vt videa acceptatio hæc est potius temporalis, quam æterna; & extra germanum ac-

Ordinatio ad premiũ quid sit.

Gratia est animi decor.

ceptationis vocabuli significatum, quod supra diximus non esse in voluntate beneplaciti, & complacentiæ positum: est autem ratio acceptandi actum, quia inclinat potentiam ad determinatos illos actus, sanxitque Deus ab æterno actu secundum inclinationem illius habitus ordinabilem esse ad præmium, proindeque meriti vocabulo decorandum.

Decipitur Faber.

54 Ex his deceptum vides Fabrum existimantem *numero illo 19.* acceptationem non esse quid extra opus, cum tamen acceptatio per Scotum sit velle Dei, prout autem ordinationem ad acceptationem inuoluit, relationem ex eodem Scoto indicat *loco citato ante littera MM*, per hęc verba *satis quippe probabile est præter causam principaliorem effectus competere illi effectui aliquam relationem ad extra minus principalem.* Cæterum opus est quid absolutum, extra cuius rationem est communis respectus exterrè præsertim adueniens. Insuper deceptum, dum ait, acceptatione opus intrinsecè fieri meritorium; intrinseca enim ratio meriti est relatio in actu voluntatis merentis ad actionem diuinam; hæc autem relatio non est vtique sine actione diuina; sed non est ipsa formaliter actio diuina, quę est illi quid externum; est enim relatio forma simplex, quæ se ipsa internè completur, licet actio externa requiratur; si autem velit Faber eo loquendi genere indicare ex actione diuina haberi quod opus intrinsece dicatur meritoriũ, hoc est compleatur in esse meriti, non diffitemur.

Obiectio.

55 Quod si hic petas. Si meriti ratio cõpleta in relatione cum actione diuina sita est, qui dicitur esse actus voluntatis liber, & in potestate elicientis? Commodat tibi responsum Scotus *littera LL*, substratum actus, eiusque intensionem, totumque absolutum, quod est in merito esse in potestate voluntatis formatæ gratia, esseque verè liberæ potestatis actum, quoad relationis verò rationem, & quoad cõplementum meriti non esse in potestate voluntatis formaliter, sed dispositiuè; dispositio è tamẽ hãc de lege ordinaria infallibiliter sequitur effectus, sicuti organizationẽ corporis sequitur animatio; & ex hoc habes quam bellè voluntas diciqueat causa meriti, nam sicuti pater, & mater, quæ causæ sunt naturales generationis filij, filii causæ nuncupantur, quamuis animatio, quę verum dat esse filio, non sit in eorum potestate, sed Dei liberè animam infundentis, quia tamen sunt causæ organizati corporis, sanxitque Deus pactum organizato corpori se animam elargiturum, rectè causæ animationis dispositiuè dicuntur, seu dicuntur dispositiue habere in sua potestate animationem: cõsimiliter philosophare in merito, in quo voluntas, licet non sit causa naturalis, sed libera, cum habitu charitatis habet in sua potestate positiuum actus, quod est in merito, eiusque rectitudinem moris, & conformitatem rationi rectæ; rationem autem completiuam meriti, quę ex Deo dependet, habet dispositiue solum in sui potestate; quatenus, videlicet, ad actionem illam rectam voluntatis semper sequitur completiuum meriti.

Responsio ex Scoto.

56 Hisce præacceptis acceptationem diuinam ad complementum meriti necessariam esse Scotico dilemmate probatur. Nisi ad meriti complementum diuinam acceptationem concurrere concesseris, planè tibi concedendũ erit quoscumque actus à voluntate habituali gratia formata manantes, siue elicitos, siue imperatos meritorios esse æternæ vitæ; consequens est falsum, ergo & antecedens: sequela probatur, quia ad actus eliciendos meritorios, omnium consensu, gratia, & voluntas exquiritur; quarè si acceptationem demas, quoscumque actus à voluntate gratiam habente elicitos, vel imperatos meritorij nomine decorari necessum est: falsitas euidentissima est; etenim venialia peccata elici possunt à voluntate habente gratiam, quæ per illorum perpetrationẽ nõ amittitur; quare & illa meritoria esse concesseris, oportebit: Insuper comestionem, potum, & similes operationes meritorias esse concedas, necessarium erit.

Argumentum ex Scoto egregium.

57 Dicent fortassis Aduersarij veniale peccatum formaliter actum non esse, sed defectum actus, proinde meritorium non esse; quoad substratum vero non implicare forsan asserere meritorium esse, iuxta illud Pauli Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum &c.* Quibus Augustinus addidit: *etiam peccata:* Et ad actus comestionis, & potus asserent eos

Aduersariorum occursus.

Rom. 8.

esse

esse naturales non voluntarios: non hæc, inquam, illi, sed fortè pro illis quispiam: Occurre tamen, responsum leue; etenim impliceat in primis eidem substrato operis annexam esse deformitatem, & decorem, relationem acceptabilitatis, & non acceptabilitatis, quæ sanè eueniret; si quis actum materialem peccaminosum peccati venialis putaret posse esse meritorium, quia esset in eo decor, qua acceptabilis, dedecus, qua deformis, licet deformitate veniali, acceptabilis qua meritorius, non acceptabilis, qua peccaminosus. Neque interpretatio, vel additio Augustini ad locum Pauli nostrum responsum euertit, qui non de proprijs, sed de aliorum peccatis loquitur; aliorum autem peccata ordinari quandoque ad bonum electorum docuit Sanctus Thomas *q. 5. de verit. art. 7.* qua de re vide Aluarezium *disp. 30. de auxilijs num. 7.* Demum actus comestionis, & potus, quanquam in brutis naturales sint, liberos esse in nobis negauerit, qui non pro sua, sed pro aliorum voluntate comederit, aut biberit.

S. Thom. q. 5. de verit. art. 7. Aluarez de auxilijs disp. 30.

Duo alia Scoti argumenta.

58 Duo alia profert dilemmata Scotus ad hanc assertionem. Alterum, quia ex opposito sequeretur Deum non posse non retribuere præmium merenti, si tota meriti ratio ex ipsis penderet internò causis, voluntate, & gratia. Alterum autem, quia alias Deus non præmiaret vltra condignum, si ex ratione actus debitum esset homini præmium. Possent tamen hæc duo argumenta difficultatibus vrgeri. Primum, reflectendo Scoticam doctrinam, nam & diuina acceptatione supposita, non potest Deus non reddere præmium merenti, ne fiat iniustus Iudex; hinc Paulus coronā se ait expectare iustitiæ, quam redditurus ei erat iustus Iudex, & sicuti ex pacto non potest non infundere animam organizato corpori, non potest non dare gratiam dignè sacramēta suscipientibus; ita ex acceptatione nō potest nō dare cōplemētū operi meritorio, nec exinde denegare præmiū. Alterum argumentū vrgeri posset, quod illo concluditur ex interna actus eliciti à voluntate per gratiam natura, non posse haberi æqualitatem præmij, non verò præmium ipsum. Vt verò Scoti partes tuearis, oppositioni primæ dicas non eadem necessitate teneri Deum in casu nostro, qua teneretur, si internam haberet meritum ad mercedem habitudinem; quia in re nostra tenetur dumtaxat ex pacto, cum sit causatio moralis; hypotesi vero data teneretur, sicut hominem esse rationalem, & risibilem esse tenetur modo suo, & meliori, aptiorique exemplo, sicut non potest esse pater, quin sit filij pater, ita tunc non posset ex interna habitudine esse actus elicitus ex gratia, seu ex voluntate habente gratiam, quin referretur ad præmiū, quod falsum esse exemplis adductis ostendimus; & ad Pauli auctoritatem dices, vtique coronam dici iustitiæ gloriam, & reddendam à Deo iusto iudice; verum hæc iustitia nō ex vi operis, sed ex Deo paciscente spectanda est. Alteri verò obiectio facies satis dicendo, actui elicito à voluntate cū gra ia nullum aliud deberi præmium, nisi gloriam, quæ est verè corona certantium, ex Paulo *loco citato*; conuincit igitur argumentatio Scoti non fore verum commune effatum, quo dicitur Deus præmiare vltra condignum, si ex natura rei operi deberetur merces; gloria enim essentialis est vera merces, iuxta illud Genesis, *ego ero merces tua magna nimis*; en quomodo, & magna, & nimia dicitur, quippequæ excedebat omne Abrahami meritum, cui verba illa dixit Deus. Certè acceptationis Dei necessitatem vitare nequeunt aduersarij, nedum illius memoriam facientibus scripturis passim Psal. 50. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ*; quibus, & de iustitia retributionis, deque acceptione diuina fit mentio; 2. *ad Chorint. 6. ecce nunc tempus acceptabile &c.* certum est autem esse ibi tropum, quia per se tempus nec est acceptabile, nec non acceptabile, sed sumitur tempus pro opere in illo elicito; & in Canone Missæ, *& accepta habere, sicut accepta habere dignatus es &c.* vbi obserua non dici, acceptare, sed accepta habere, quia re vera acceptum habere est subsequēs magis opus; quam præiens; acceptare autem modo præexplicato antecit, non subsequitur opus, sed quod acceptatione statuitur dignum æternaliter acceptum habetur in tempore, nedum inquam hisce, & consimilibus auctoritatibus acceptationis memoriam recolentibus scripturis, sed eam potissimum sacri Concilij Tridentini Patribus statu-

Vrgentur

Genesis.

Psal. 50.

2. Chor. 6.

Missa in Canone.

entibus *sess. 6. de Iustif. cap. 16.* & clarius *sess. 14. cap. 8.* vbi docemur, fructus quos facimus pœnitentiæ dignos à Christo vim habere, & per illum offerri patri, & acceptari à patre; en quomodo fructus alioqui digni, hoc est vim habentes à Christi gratia, acceptantur à Deo ad retributionem, vt clarè pateat sensisse Patres ad complementum operis meritorij acceptationem esse necessariam.

Occurritur Suarezio.

59 Nec erit difficile ex ijs Recentium fundamenta diruere. Primum Suarij fundamentum est, Extrinseca imputatio non facit opus dignum pœna, ergo nec extrinseca acceptio dignum mercede ex regula logica. *Contrariorum eadem ratio.* Hoc dilue, quidquid sit de regula illa logica, reflectendo vim eius, opus malum non esse pœna dignum nisi vltra malitiam haberet annexam dispositionem ad pœnam; sicut enim peccatum non cognoscimus nisi per legem, ita nec peccati pœnam nisi per imputationem, quare, & opus bonum vltra rectitudinē, & conformitatem non est dignū premio, nisi acceptatum.

Ruit argumentū Vasquezij.

60 Secundum fundamentum Vasquezij. Si Scoti placitum arrideat, concedendū esset quodcumque opus, cui Deus vitam promisit æternam, fore meritoriū, quod esse falsum patet in opere remissionis iniuriarum, & condonationis inimico, quā do non elicitur ex gratia. Hoc de se ruit in præceps, nam nisi eliciatur ex gratia, nō est opus, cui Deus mercedem repromiserit.

61 Tertium eiusdem; ex Scoti sententia sequitur debere Christum orare Patrem, nedum vt gratiam nobis largiatur, sed, vt opera ex illa elicita acceptet; & sic duæ expeterentur Christi actiones; sed præterquam quod hoc argumentum loquitur de temporali, nos de æterna acceptatione. Quid si concesserimus duas illas Christi actiones? An derogatur Christo pro nobis interpellanti? Verū de hoc infra.

Quæ sint meriti obiecta.

62 Et hæc quidem de meriti principijs attigisse satis in hac disputatione, in qua ex accepit ad Christi meriti inuestigationem viam sternimus. Nunc ad obiecta meriti descendamus, circa quæ meritorius versatur actus; siue, & rectius ad ea, quæ attinguntur ex merito; seu quæ cadunt sub merito, quæ vt meriti effecta fines suo modo dici possunt.

63 Quia in re certum est; beatitatē æternā verā esse meriti mercedē; nō ita vt sit perfecta meriti, & præmij æqualitas ex ipsa operum natura; sed quia sic Deus acceptauit, decernendo ordinabilitatem illorum actuum ad præmium; quod pro mercede eorum constituit ab æterno. Hanc veritatem Sacræ Paginæ inculcant passim. Apocal. 22. *Merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua* 2. ad Thimot. 4. *Cursum consumaui fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ;* & in discussione vltimi diei vocantur electi ad possessionem Regni, eo quia esurienti Domino dederunt cibum, sitienti potum &c. & alibi passim, contra quæ scripturarum testimonia si quæ se tibi offerant, quæ oppositum quid sonare videantur, tutò incessteris interpretari e ea de operibus nostris præcisa acceptatione diuina spectatis, naturalem ipsorum metiendo valorem; vel etiam de operibus absque gratiæ adiutorio à voluntate elicitis, vel imperatis. Hanc etiam veritatem suadet, licet alia citeriori suasione non indigeat, ipsa actus meritorij diffinitio: si enim meritum est actus bonus voluntatis habentis habitum gratiæ acceptatus à Deo ad retributionem, & beatitudinē æternā, vt in secunda Scoti diffinitione patet; procul dubio dicenda est ex diuina ordinatione æterna felicitas primo cadere sub meritum; & confirmatur, quia Deus boni tantum est largitor; cum non sit causa retributiua malorum pro opere bono, alioquin non esset iustus, bonus ergo retribuit pro bono; at quod est verè bonum nisi gloria? quare gloria sub meritum cadit, exque hoc eodem principio temporalia bona dici possunt cadere sub meritum, quia bona sunt, licet non bona simpliciter, & primo, sed quasi secundario, & secundum quid; nam & hæc pro operum bonorum retributione, ac præmio reddit Deus.

Præitadoest præmium meriti.

Similiter, & bona temporalia.

64 Certum est secundo: primam gratiam Non cadere sub merito proprio, nec etiā sub alieno, dempta consideratione Christi de quo in sequentibus; est enim satis diuersa ratio de eo, & alijs, & loquimur de merito condigni, quod verè meritum dicitur, non de merito congrui: veritas hæc etiam ex scriptura deducitur

Prima gratia nō cadit sub merito.

Rom. 11.

Rom. 11. *Si autem gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia;* & recto sanè consilio, cum hæc g aria prima potissimum gratia dicatur, quia gratis datur, hoc est, *sine* vllo merito datur; & quidem hæc veritas de merito proprio tam dilucida apparet, vt persuasionem negligat; cum & paruuli in gratia, quã per baptismum recipiunt nullo vsu liberi arbitrij pollentes nullum habeãt actũ, & adulti in gratia, quam per iustificationem recipiunt; quamquam obicem non ponere debent, & sese ad illam disponere tenentur, meriti tamen de condigno rationem nullatenus attingunt. Ratio potissima est diuina voluntas, quę voluit primam gratiam omnino gratis dari, si humana respiciantur opera; hanc dignitatem ad sola Christi merita referendu; persuaderi tamen potest in hunc modum. Si prima gratia Petri, exempli gratia, potuisset cadere sub merito Petri, alterum, vel alterum secutum fuisset incommodum; vel quod Petrus habuisset meritum illud primum sine auxilio gratiæ; vel quod idem esset sui ipsius causa, quorum vtrumque tam falsum est, vt primum Pelagianum sapiat errorem, secundum vero vniuersæ philosophiæ, immo & Theologiæ ordinem destruat; sequelæ deductio patentissima est; quoniam ad assecutionem illius gratiæ, vt mereri dici posset Petrus, intercedere debuisset Petri opus, quod cum nõ sit meritorium, nisi eliciatur ex gratia, fiet, vt ratio meriti desiderata fuerit in Petro ad primam illam gratiã, vel quod habuisset illam Petrus merendo sine merito, quod implicat: rursum ex eodem principio, cum gratia sit meriti principium, & causa, sequeretur actum meritorium Petri ad gratiam fuisse principium gratiæ, quæ est principium actus; idemque proinde esset sui ipsius causa. Ceterum falsitatem illorum deductorum probat commune Theologorum pronũciatũ, quo statuitur principiũ meriti nõ cadere sub merito; quare, cum gratia sit meritorum omnium radix, & principium, haud planè cum veritate concedi poterit ipsam sub proprio cadere hominis merito.

Rom. 11.

Persuasio non leuis.

Principiũ meriti an cadat sub merito.

65. Celebris huiusce pronunciati Theologici nos meminisse debemus in hoc opere quam sepissime, præsertim dum de mysterij huius moralibus, ac meritorijs causis disceptabimus; exinde veritas illius hoc loco enucleanda est. Suarez, & Ruuius, ille quidem *tom. 1. 3. p. disp. 10. sect. 4.* hic vero *disp. 6. sect. 2.* pronunciatum illud de ordinata Dei potestate cõcedunt, de absoluta negant, tam secundum eam absolutam potentiam etiam phisicè posse aliquid seipsum producere. Sed, vt dixi, ex hoc eorum responso vniuersus ordo philosophiæ destruitur, in qua tam impossibile est causas in eodem genere causæ esse sibi inuicem causas, hoc est, effecta, & causas, quam quod impossibilissimum; nec dissonat Theologia, quæ distinctionem inter causas, & effecta perpetiens; dum in beata illa natura identitatem confitetur maximam; vt productiones nanciscatur, distinctiones patitur personarum, itaut Pater distinguatur à filio, quamuis non sit vera causa, sed principium filij.

Ruuij, & Suarez glosa.

Inanis.

66. Franciscus Suarez *loco citato* superiori responso ferè neglecto, vel ad vberiorem doctrinam respondet, vtique quod est principium meriti in intentione esse non posse præmium meriti in eadem intentione, at quod in intentione est meriti principium, in executione fieri meriti mercedem, ac præmium, non implicare. Sed hęc respõsio est superiori indoctior; etenim, quamquam ordo executionis conceditur ordini intentionis contrarius, quia quod primo mouet est in executione postremum; hinc fabrefactor primo domum intendit, quam ligna, & cæmentarias materias: in executione tamen primo materiam constat, quam domum; non ob id tamen causarum essentia in effecta pertransit, itaut sit effectus, & causa in eodem genere causæ; siquidem cæmentaria materies, quæ in intentione constituebatur ædificandæ domus causa, adhuc in executione est domus eiusdem causa.

Alia Suarez nulla.

67. Alij, quos refert Erice *disp. 28. cap. 2.* & Alarcon *tract. 4. de prædestinatione disp. 3. cap. 3. num. 6.* effatum illud in causis phisicis concedunt, quod, scilicet, *causæ nequeunt sibi inuicem esse causa*, in moralibus negant; & propterea principium illud negligunt, quo statuitur principiũ meriti non cadere sub merito, quippe quod non est phisica, sed moralis causa præmij. Verum hæc interpretatio principium

Aliorum ex Erice, & Alarcon vana.

cipium petit; cum de hisce nos causis statuamus illud principium, quod meriti principium nõ est meces meriti; dum solam moralem causalitatem meriti ad mercedem agnoscimus, sed & in hisce moralibus causis verum esse effatum illud, quod idem nequit esse sui causa, ne fit causa, & effectus simul in ordine ad se ipsum, probatur, quia morales causæ ad instar Phisicarum regolantur, dempta sola influentia in effectum ex interno rei causantis principio, quare sicut in Phisicis nihil potest causare se ipsũ, nec in moralibus, in quibus agens, quod effectum producit ex causa illa mouetur iuxta pactum inditum ad causandum effectū: manifestatur hoc totum exemplo sacramenti vniuscuiusque, quod ita moraliter gratiam causat, vt non sit illius gratiæ, quam causat, nec esse possit vllo modo effectus.

68 Ferdinandus à Salazar *in tract. de Conceptione cap. 34. sect. 5.* pronunciatum illud admittit in eo tantum, quod est per se, & necessario principium meriti, sine quo actus meritorius esse non posset; negat autem in iis quæ sunt ita meriti principia, vt sine ipsis meritorius actus esse queat. Distinctio tamen hæc ad rem non facit, in qua de vero, & per se meriti principio loquimur.

69 Gabriel Vasquez *3. p. disp. 23. cap. 4.* tanti principium illud facit, vt etiam in causis remotissimis cõcedat esse verũ. Sed excessiue loquitur Vasquez, quoniã remotissimæ causæ non sunt veræ per se causæ remotissimi effectus; quippequæ effecta respiciunt immediata, ad quæ veræ sunt per se causæ. Quare pronunciatum illud in Theologorum Gymnasiis receptum non est, cur de per se causis, ex diuersa Recentium opinatione, conturbetur: cum igitur actus meritorius ab æterno prædefiniatur à Deo, vt voluntatis, & gratiæ effectus; necessum est in executione ita fieri, vt sit solum voluntatis, & gratiæ effectus, non vero alterius illorum principiorum causa.

70 Sed quid, si decreuisset Deus primam gratiam dari homini ex mero bono vsu moralis liberi arbitrij, siue habitu gratiæ: numquid tunc dici posset principium merici cadere sub merito? De potestate Dei absoluta videtur concedere Ruuius *disp. 5. de prædestinatione sect. etiam 5.* cum nulla adsit implicatio; quamuis moraliter impossibile fuisset, vtpote dedecens diuinam bonitatem, & gratiæ dignitatem comprimens: sed reprehenditur ab Alarcone *loco citato num. 24.* cum nihil sit impossibile magis, quam quod Deum moraliter dedecet; ipsa enim dedecentia est turpitudo. At ego quidem, licet de potestate Dei ordinaria non cõcesserim, nec concessurus sim principium meriti sub meritum cadere; ex quo iuxta constitutas à Deo leges actus meritorij rationem induere nequit, nisi elicia tur à voluntate, & gratia, & nisi acceptetur à Deo ad retributionem; petitionem tamen propositæ dixerim; quod, sicuti de absoluta potestate posset Deus dare beatitatem homini sine omni merito, ita posset dare gratiam ex puro voluntatis opere, non tamquam ex merito; eo modo meritum spectando, quo nunc illud spectamus, sed vel absolute ex diuina liberalitate, vel etiam in ordine ad illum actum, quem poterat disponere acceptare absque omni gratia; neque tamen arguitio Ruuij, & redargutio Alarconis alicuius est ponderis: quoniã, quod honc spectato constituto rerum ordine Deum dedecere putamus, absolutam Dei potestatem metiendo, non dederet, nec esset indecorum; vt alibi dicturi sumus postulantes, an Verbum potuisset assumere naturam irrationalem.

71 Contra hanc doctrinam vrget vulgatum illud dubium de milite, cui Princeps equum dat, quem ex futuro sibi mereatur obsequio: quare à simili potest Deus dare alicui gratiam, quam per subsequentia mereatur bona opera. Respondet primo S. Thomas *q. 29. de veritate art. 6.* talem bonum vsum non habere rationem meriti in milite, sed veluti gratiarum actionis. Respondet secundo *In 2. d. 27. q. 1. art. 4.* quod in his, quæ sunt de iustitia commutatiua, potest solutio pretij esse prior; vt patet in emptione, & venditione. Respondet tertio ad rem magis *p. 2. q. 114. art. 5.* *quod omne bonum opus hominis procedit à prima gratia, sicut à principio; non autem procedit à quocumque humano dono: & ideo non est similis ratio de dono humano, & dono gratiæ.* Hæc ille. Hanc responsionẽ non hoc modo referunt Valquez, Turrianus, & Alarcon

Ruuius disp. 5. de prædest. sect. 5.

S. Thom. q. 29. de verit. art 6.

In 2. dist. 27. q. 1. art. 4.

Prima 2. q. 114. art. 5.

con, sed aiunt S. Thomam docere valorem operis non esse ex libero arbitrio, sed potius ex gratia; at verò equus non datur nisi propter dexteritatem militis, quæ tota est ipsius, & non equi, licet sinè equo exerceri non possit, tamquam sinè instrumento. Hæc illi referunt ex S. Thoma ibi, cuius solutionem nos verbatim retulimus, vt mirum sit; qua libertate responsum proprium sancto doctori inueant, quem forte nec à cortice ibi salutarunt.

72 Singulæ tamen responsiones leuis sunt momenti. Ruit prima, quia Rex, aut Princeps supponitur in petitione dare equum equiti intuitu futuri obsequij, & seruitij; nisi enim consideret equitem compensaturum equum succedentibus meritis, non daret equum; non ergo in casu gratiarum actio, sed expectatum meritum. Ruit secunda, nam & si pretij solutio anticipetur interdum, at certè præit in pacto, & acceptatione, immo & in translatione dominij res, pro qua soluitur pretium in iustitia commutatina, quamuis ex indulgentia nondū capiatur quandoque vsus, at in re nostra dicendum non posse in executione præire præmium ad pretium, nisi vt acceptatū ab æterno à Deo, quomodo Deus præuidens Christi meritum ab æterno intuitu illius decreuit dare gratiam hominibus; de alijs autem hominibus non sic. Ruit tertia respōsio, vt principium petens, quoniam hoc est quod petit ratio ab exemplo posse dari prius præmium, quā meritum à Deo, sicut potest hoc fieri ab homine; nec allata dissimilitudo alicuius est valoris, nam vt equus præsupponitur dari ad hoc, vt eques per succedentes actus meritorios compenset eum danti; ita arguit ratio, posse dari gloriam homini, vt per actus subsequentes merendo illam compenset; quid autem ad rē nostram dexteritas equitis, vel equi? certè non hanc inuoluit, nec postulat allata petitio, sed nec in responso illo S. Thomas, quod potius ex cerebro effingunt Recentiores allati, sicut ex capite petitionem ad bonum vsum equi post dationem eius à Principe diuertunt, vel difficultatem non percipientes, vel effugiendo mille illam ambagibus complicantes; ipsa autem Sancti Thomæ responsio tertia difficultatem, vt vides, nō attingit. Gabriel *in 2. dist. 27. q. vnica concl. 1.* disparem esse ait vtrobique rationem, quia Princeps non daret equū, nisi præsumeret compensationem per actus equitis meritorios; at Deus dat primam gratiam absque vllo intuitu meritorum. Responsio principium petit, quia hoc petimus, cur si intuitu meritorum homo dat homini præmium, nequeat Deus, vel saltem nolit dare primam homini gratiam futurorum intuitu meritorum?

Euelluntur respō. a S. Tho.

Gabriel in 2. d. 27 q. 1. conclus. 1.

73 Respondet Alarcon *loco citato* inter Principem, & equitem intercedere cōtractum innominatum, *do, vt facias*, dat enim equum, vt illo vtatur, & non aliter; sic etiam Deus dat gratiam, vt homo respondeat, & non aliter, sed cum hoc discrimine, quod Princeps abdicat à se dominium equi, quod transit in equitem perfectè, licet ratione contractus teneatur ad vsum, licet è contra sit, & quo ad equum, & quo ad vsum eques perfectè, & adæquatè dominus; at Deus in largitione gratiæ non ita, quia non abdicat á se dominium illius, ita vt homo non sit gratiæ habitæ dominus, nec etiam quo ad vsum, qui prout est ab homine, non est hominis adequatè, sed Dei præcipuè mouentis, allicientis, adiuuantis; hinc Princeps datum semel equum tollere non potest, at verò datam gratiam Deus tollere potest. At hæc respōsio quid pugnans dicit; ait enim verè contractum innominatum inter Regem, seu Principem equi largitorem, & equitem, *do, vt facias*, postmodum ait, abdicari ita dominium Principis, vt equū amplius tollere non possit; sed, ego inquam, si contractus iste innominatus est quasi conditionatus, si namque dat vt faciat, ergo si non facit, non censetur dasse; exinde ex conditionata largitione non abdicatur perfectè dominium largientis; en ergo pugnantia in responsione Alarconis. Rursum in omni contractu est iustitia, ergo si in isto contractu tenetur eques ad vsum, non vtendo, vt non vti potest si vult, iniustus est detentor equi, & propterea non est perfectè dominus equi, quem ex conditione, vt eo vtatur dicitur accepisse.

Alarconis responsio.

Repugnat sibi.

74 Vt hanc difficultatem tollam, aduerto declarandam esse petitionem; vel enim eo vergit, vt ponat equum liberè

Tollitur difficultas declarando petitionem.

dari

datiâ Principe absque vlla conditione, ac pacto cum milite, cui datur; quamuis ipse secundum sa largitor aqui intenderet militem meriturum largitionē equi ex operibus; vel eo vergit, vt velit equū pactione præcadente dari militi, vt eo benè vtēdo intelligatur fieri dominus equi: priori modo, ac sensu largitio illa est simplex donum, cui nihil ad meritum, vel præmium; est enim meriti completiua ratio ex acceptatione, ac pacto, quod in casu nullum intercessisse supponitur: posteriori sensu, quo pacto intelligere postulationem auctores videntur, dispar est ratio de exemplo, & re nostra; primo, quia equus ex hipotasi accōmodaretur, non daratur, non sic autem gratia, quæ ex ipso nomine gratis datur: secundo, quia equus nō est ita causa bonæ exercitationis militis, siuè equitis (vtroque enim nomine idem intelligimus hoc loco) sicuti actus meritorij gratia, quæ est eius varè principium, non instrumantum dumtaxat, vt aquus, immo ad meriti cōplementum ipsa ast voluntatem dirigēs, non à voluntata directa; sicuti econtra non equitem dirigit, sed ab aquite dirigitur equus: hinc gratia ex Augustino dicitur se habera ad voluntatem vt sessor ad equum, nō vt equus ad sessorem. Vide disputationem nostram da causis meritorijs huius mysterij, vbi nonnihil de hoc axemplo dicemus.

Alia Alarconis responsio cribratur

75 Dat aliam solutionam Alarcon, non equidem spernendam, sed cum propria doctrina pugnantem: ait enim disparem esse rationem, quoniam bonus vsus aqui non euaderet causa equi, sed causa translationis dominij aqui; vsus vero gratiæ in opere euaderat causa entitatis gratiæ. Vides lector, quam ridicula disparitas; nam, si iam gratia data præsupponitur, vt quid peteretur, vel sequeretur eius vsum fore gratiæ causam, & non possessionis potius illius? Sed & vides, quomodo è sententia dacidat Alarcon, prius dixerat, in exemplo militem esse plenè, ac adæquatè dominum equi, & vsus eius, & in prima equi traditione abdicatum à largitore dominium; nunc verò ait, bonum vsum equi fore causam translationis dominij aqui; ante vsum igitur non translatum dominium, vt putabat Alarcon in responsione priori.

76 Hactenus longa verborum decursione cribratum principium illud pro assertione nostra veritatem eius lucidiorem reddidit, primam gratiam non posse sub proprium cadere meritum; sed neque sub alienum, inde patet; quod finis gratiæ collatæ hominibus est executio, seu exitio in actus, quibus sibi vitam mereatur gratiam habens æternā; datur enim ad bonum proprium, non ad alienum; solum in Christo data ast gratia ad aliorum meritum, da quo in sequentibus; vnde iam Scotus in 3. *d.* 19. *q.* 1. *littera C*; quā S. Thomas *quæst. postrema p.* 2. *art.* 6. munus hoc merandi alijs primam gratiam ad solum Christum dominum referunt Ecclesiæ totius caput, cuius est in membra, & fidales suos, inque totam Ecclesiam influare, vt sua disputatione nos etiam diximus.

Corollarium ex dictis.

Scot. in 3. d. 19. q. 1. S. Thom. q. vlt. p. 2. art. 6.

77 Certum est tertiò, nec perseuerantiæ gratiam sub meritum cadere alienum, aut proprium (non hic loquimur de Christo, vt iam diximus) probatur ex Concilio Tridentino *sess. 6. de iustif. cap.* 13. vbi hæc habentur verba, *quod quidem aliunde haberi non potest,* (loquitur autem de perseuarantiæ munere,) *nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, vt perseueranter stet, & eum qui cadit restituere.* Hæc ibi, quibus à solo Deo homini perseuerantia traditur, nec obscurè ob id indicatur nullam ad illius assecutionem habere partē humani arbitrij operationem. Insuper ratio mariti postulat, vt quod assequitur ex quadam iustitia sit illi debitum; at perseuerantia nullo iure est debita operi, quæ propterea donum, ac munus passim à Concilio Tridentino vocatur, tum *loco citato,* tum *Canone* 16. eiusdem *sess.*

Perseuerantia nō cadit sub meritum.

Concilii Trid. sess. 6. de iustif. cap. 13.

78 Certum est quarto. Nec quemquam sibi mereri posse reparationem post lapsum, ita Scotus *in* 4. *d.* 22. & S. Thomas *art. 7. q. vltima prima secundæ.* Ratio est, quoniam, aut per merita ante lapsum, aut sub lapsu; at neutrum horum; non primum, quia iam merita illa per peccatum mortificata sunt; habentque ius mortificatum ad retributionem; neque secundum, quia actus eliciti à peccatore nullo præmio sunt digni spirituali, ex quo deficit in eorum elicitione alterum principium, quod est gratia; vnde communis est Theologorum distinctio, merita quædam esse viua, quædam mortua,

Reparatio post lapsum non cadit sub meritum proprium.

quædam

quædam mortificata; viua, quæ verè ſunt merita, vtpote à voluntate cum gratia habituali fluentia; mortua, quæ verè merita non ſunt, ſed vel potius demerita, vel indifferentia; mortificata, quæ prius erant viua, & accedente peccato mortali vim amittunt, aut, vt rectius dicam, mortificato iure, ac ſuppreſſo reſpiciunt præmia; ex quo igitur poſt lapſum hæc opera antecedentia, quæ vere erant meritoria compreſſa ſunt, nihil actualis condignitatis habent ad mercedem; ex quo opera mortua merita non ſunt, nec ex ijs reparationem paciſci ſibi poteſt peccator; ex quo viua elicere nequit deficiente gratia, deficit obinde ratio meriti in eius opere ad reparationem de condigno aſſequendam. Vide Scotum ibi egregiè docentem hominem, qui plura habuit merita, cadentem facilius reſurgere, non quia ex merito reparationem habeat; ſed quia Deus, qui obliuioni opus bonum non tradit, facilius ad condonandum illi ex ſua liberalitate, & etiam ex quadam congruitate ob illa merita mouetur.

Opera, viua, mortua, & mortificata quæ ſint.

79 Quare ex his concludendum cadere ſub meritum dumtaxat gloriam, augumentum gratiæ, & bona temporalia, & de gloria quidem ſupra dictum eſt; de augumento gratiæ probatur auctoritate, & ratione; auctoritate inquam Auguſtini *ad Bonifacium*; dicentis, quod gratia meretur augeri, vt & perfici mereatur. Ratione vero, quoniam gratia quandam habere debet proportionem ad gloriam; at gloria ita ſe habet, vt in merito eius operans ex gratia poſſit proficere, quominus igitur impedit, vt reſpectu gratiæ poſſit merēs proficere, an ex parte gratiæ? & hoc non, cum hæc ſit forma accretionem pati potens; an ex parte voluntatis? & hoc etiam non, cum hæc habeat in ſua poteſtate actum, actuſque intenſionem; nullo igitur ex capite impedimento manante dicendum eſt accretionem gratiæ haberi poſſe ex merito. De temporali bono res certior eſt, vt probationem reſpuat.

Conſectarium ex dictis in hac digreſſione.

80 Atqui ex his etiam collige qui ſit meriti finis; cum enim meritum ſit quaſi via ad præmium, & terminus viæ ſit finis viæ; præmium, ac merces dicenda tibi eſt finis meriti; cumque finis ſit duplex, alter cui, cuius alter; finem cui meriti ne vereare confiteri creaturam rationalem beatificabilem; finem cuius beatitatem, augmentum gratiæ, & bona temporalia; licet hæc ſecundario, illa primo, ita vt finis cui pene recidat in ſubiectum capax præmij; finis cuius in obiectum meriti. Hactenus craſſo quodam ſtylo de merito in genere effati ſumus, vt quid diſtinctius de merito Chriſti pronunciare poſſimus, ſaltem ne vocis, ac quidditatis rei notitia ignorata, quo diſputationem dirigeremus ignoraretur, vberiorem de hiſce remittentes ſermonem ad tractatum de gratia, & prædeſtinatione Sanctorum.

Finis eſt duplex: alter cuius, alter cui.

REGRESSIO AD QVAESITVM PRINCIPALE.

CAPVT V.

81 Vt, quæ in superiori digressione dicta sunt percipias, obserua ex Scoto præfati meriti radicem, ex qua pullulat, siue fundamentum, ex quo inducitur, esse affectionem iustitiæ, non autem affectionem commodi; quid autem vtraque sit affectio facile ex eius doctrina declaratur. Affectio iustitiæ est voluntatis libertas eliciens actum conformem regulæ superiori, & quoniam hic actus elicitus duplex esse potest, alter directus in obiectum, alter autem moderans affectionem commodi, hinc & ipsa iustitiæ affectio duplex est, altera tendens directo in obiectum ipsum, si bonū sit super omnia eligendo, & diligendo; altera moderatiua affectionis commodi, quæ ve nimium in commodum propensa aliquando potuisset à rectitudine deficere: exemplum primæ affectionis est, si Deū super omnia diligamus, est enim actus dilectionis Dei cōformis superiori regulæ dictanti, & rectus; exemplum secundæ sit, Si commodi voluntas se ferret ad summā beatitudinē, actus voluntatis moderans illam, complacens se in eo felicitatis gradu, quem elargiri vult sibi Deus, diceretur actus affectionis iustitiæ. Ex his habebis, quæ sit commodi affectio, *est enim voluntas nimium in suum commodum propensa*, ex hac vtriu'que affectionis quantumuis tenui, ac crassa notitia deducimus, meritum habere sui radicem affectionem iustitiæ, non commodi. Ratio est, quia commodi affectio non Deum primo, sed proprium voluntatis bonum quandoque inordinatè respicit, quod si fiat, non solum actus secundum illā elicitus meriti nomen, ac rationē nō habet, sed demeritorius est potius, nisi affectione iustitiæ regulas passus fuerit; affectio autem iustitiæ Deum, vt obiectum respicit, quod obiectum est primum, circa quod aliquis meretur, ita docet Scotus *in 3. d. 18. litera B.* Vno verbo, affectio iustitiæ respicit Dei amorē; affectio commodi amorem proprium. Proprius autem amor sui inordinatus radix est malorum omnium, sicut amor Dei, & charitas omnium bonorum est caput, lege Augustinum *in p. lib. de Ciuit. Dei. Duo amores fecerunt sibi duas Ciuitates &c.*

Quid sit affectio iustitiæ.

Scot. 3. d. 18.

Aug. lib. 1. de Ciu. Dei.

82 Hisce pro terminorū necessaria cognitione decursis, asserendum est primo; potuisse purum hominem Deo acceptum tam pro suo, quam pro totius humani generis reatu pœnas Deo soluere, & facere Deo satis, quæ satisfactio acceptatione diuina supposita rigorosa fuisset. Assertio triplici parte cōstituitur, Prima firmat hominē purum, hoc est, Deo vnionis gratia non vnitum, pro suo peccato potuisse satisfacere Deo. Altera constituit, hunc eundem hoc idem pro hominum aliorum peccato præstare potuisse. Tertia demum satisfactionem hanc futuram fuisse rigorosam. Singulæ probātur. Prima quidem, & secunda indiscriminatim, est enim ratio eadem de suo, & alieno peccato; quod eiusdē speciei, & rationis in homine satisfaciente, & eis pro quibus esset facienda satisfactio, dijudicatur. Probatur autem sic.

Assertio 1.

Tripliciter constituitur, & probatur.

83 Et si verbum vnione hac admirabili carnem ad se nostram non assumpsisset; potuisset Deus aliquem ad felicitatē fruendum æterna, producere, ergo potuisset pro suo, vel alieno peccato quis Deo pœnas soluere: antecedens patet ex superiori capite appendice secunda, qua Sanctorum Patrum testimonijs cōuicimus, non defuisse alios modos redemptionis humanæ, quamuis Christus vnionem hanc non fecisset, quibus planè tenemur asserere, potuisse Deum aliquem tunc temporis euocare ad gloriā, & non ex merito vnionis hypostaticæ, sed alio redemptionis ordine. Neque responsiones aduersantium admittimus, concedentes vtique hoc fieri potuisse, at non ex satisfactione, sed ex Dei largitione, hanc si quidem responsionem pensato verbo redemptionis, quod recuperationem alicuius significat soluto prætio suppressimus. Consecutio verò probatur, nam iustè ad gloriam peccator non admittitur nisi peccato dimisso; at si à Deo per alium redemptionis modum introduceretur ad gloriam; ergo non nisi peccato dimisso. Hoc argumento ad hanc assertionem persuadendam vtitur Scotus *in 4. d. 15. q. 1.* patitur tamen

Ratio ad primam, & secundam partem asserti.

Scot. 4. dist. 15. q. 1.

tamen hāc reſponſionem ex doctrina noſtra ſuperioris capitis, vtiq; potuiſſe hoc fieri, vt quiſpiam intruderetur ad gloriā, ac etiam condonato peccato, non ob hanc cauſam tamen iudnei potuiſſe fieri ſatisfactionem à creatura, quia caſu hoc ipſo ſuppoſito dixiſſem condonatam fuiſſe gratis culpam, dimiſſamque pœnā, & hoc iuſtè, quia, vt dictum eſt, iuſtè fit, quod ſcienter, & volendo fit; ſicuti iniuſtè fit cum nolenti, & neſcienti iniuria fit. Hæc reſponſio ex noſtra præcitata doctrina elicitur, qua ſtatuebamus, potuiſſe Deum mundum etiam ſine ſatisfactione reſtaurare, idcirco, ſi quid probaturū eſt allatum argumentū, ſupponere debet decretum de recnpeࢻatione mundi per ſatisfactionem.

84 Rurſum argumentor. Si quid fuiſſet cauſæ, quo minus homo non vnitus hac vnione Deo potuiſſet Deo, ſiue pro ſuo, ſiue pro alieno peccato facere ſatis, hoc

Alia argumentatio.

potiſſimum fuiſſet, quia vera tunc temporis neutiquam futura fuiſſet ſatisfactio; atqui hoc ridendum eſt omnino, ergo, & id, ex quo deducitur: maior, ſiue quam mauis dicere, antecedens probatur ex aduerſarijs, qui ſuppoſita ſatisfactionis neceſſitate ad conſequendam gloriam, ſatisfactionem in creatura ad Deum impoſſibilem reputur; quare impoſſibilitate deſtructa, poſſibilitas noſtra incolumis permanebit: minor, ſiue falſitas conſequentis probatur; nam tota impoſſibilitas faciēdi ſatis à creatura Deo ſtatuitur, vel quia cum peccatum ratione obiecti ſaltem ſit infinitum, & ſatisfactio à creatura elicita futura fuiſſet finita, certè nec futura fuiſſet vera ſatisfactio, vt putant Thomiſtæ; vel quia cum peccatum ſecundum ſe, etiam ratione offenſæ ſit infinitum, nulla ſatisfactionis proportio; quia æquiualens non redderet, vt arbitrabatur Anſelmus, cui

Caiet. 5. p. q. 1. art. 2.
Anſelm.

adſtipulari videtur Caietanus *in Com. art. 2. q. 1. 3. p.* & Recentes plerique; vel quia debens omnia is homo Deo non poſſet ſatisfacere de bonis, quæ alio iure debitor creditori tenebatur impendere, vt idem putat Anſelmus *lib. 1. cap. 20.* vel aliam ob cauſam. At quæ prolatæ ſunt cauſæ, & ſi quæ ſunt producendæ non obſunt; verè igitur vera potuiſſet inter Deum, & creaturam ſatisfactio intercedere; minor ſubducta probatur; nam, quæ pertinent ad infinitatem offenſæ, ſecundū ſe illudenda ſunt, non eludenda; nam ſi peccatum formaliter ſpectes, actum cenſebis finitum à finita creatura manantem; ſi obiectiuè, licebit appellare infinitum, quo etiam modo creaturæ ſatisfactionem formaliter finitam, obiectiuè infinitam dicere non vereberis. Porrò formalitatem peccati finitā ex habitu oppoſito metiere, Peccatū formaliter eſt priuatio gratiæ, cuius defectu nō eſt peccator amicus Deo, ergo ſicuti gratia formaliter finita eſt, ita priuationem finitam peccatum cenſeas oportebit

Finitas peccati qua.

Quod ſi dicat quiſpiam vulgo peccatū dici deſtructiuum Dei formaliter, quate videtur formaliter infinitum. Reſpondeo rectè in primis dici effatum illud vulgò proferri; quod tamen ſapientes non proferrent, ſi quidem nihil dicitur effectiuum in aliquid quod effectionis capax non eſt; hinc ignem quis diceret calefactiuum eius, quod calefieri nulla virtute poſſet? an enim tu dixeris ignem calefactiuum Angeli, vel Dei? Atqui Deus nec mori, nec interire poteſt, aut deficere. Patientes autem vulgi effatum illud reſpondemus, peccatum idcirco dici deſtructionem Dei; non quā ſcilicet queat Deum ſimpliciter ad nihilum reducere; ſed qua hominem priuat gratia, & charitate, cuius merito erat coniunctus Deo. Quæ etiam pro illa cauſa feruntur ex parte infinitatis peccati obiectiuè, iam argutiorē paſſa ſunt, qui namque peccatum non vereris infinitum dicere, quatenus obiectum habet infinitum, ne verearé futuram tunc ſatisfactionem fuiſſe infinitam ex acceptatione, & termino apud Deum, qui obiectū eſt infinitum. Quæ demum pro tertia impoſſibilitatis cauſa adducuntur ab Anſelmo *capite 20.* inania ſunt, homo namque tunc temporis ſatisfaciens, non obtuliſſet Deo bona aliās debita; ſed ſola, quæ illo iure ſatisfactionis debebantur Deo; nimirum penitentiam, ac contritionem: At pœnitentia, & contritio iure ſatisfactionis dantur Deo. Denique ſi quæ alia cauſa impoſſibilitatis produceretur, eludetur hoc argumento. Si quis æquiualens creditori reddat pro æquiualente modo in obſeruationibus relato ſatisfacere cenſetur, at dato caſu reddidiſſet homo æquiualens pro

Satis fit obiecto.

æquiualente, ergo feciſſet Deo ſatis. Maior patet ex nomine, *ſatiſfactio*, eſt enim ſatisfacere facere tantum, quantum ſit ſatis; eſt autem ſatisfactio, ſi nequeat dari amiſſum, æquiualens reddendo, vt probatum eſt. Minor probatur. Conuerſio illius hominis ad Deum fuiſſet actus ſatisfactionis, & meriti, at hic tantum cenſetur bonum, quantum malum cenſetur oppoſitus actus, qui debitorem fecit Deo hominem, quare vera fuiſſet æquiualentis pro æquiualente redditio. Minor ſubillata patet; eſt ſiquidem peccatum auerſio à Deo, eſt contritio conuerſio ad Deum; hæc habitus; illud priuatio, quorum vtrumque ſi metiaris æqualitatem reperiet aliquam, nam formaliter finiti ſunt actus ambo à finito principio manantes; finitamque formã, vel inducentes, vel educentes, gratiam enim inducit conuerſio, gratiam educit, ac amittit auerſio: obiectiuè ſi quam in in auerſione infinitatem nanciſceris, in conuerſione æqualem nanciſci debes, quia peccatum auertit, conuerſio conuertit ad Deum.

Tollitur oppoſitio.

85 . Scio quid dixeris diſparẽ eſſe rationẽ penes hoc caput, quia ſ. offenſa creſcit ex dignitate perſonę offenſę, ſatisfactio verò nõ creſcit niſi ex ratione perſonæ ſatisfaciẽtis. At hæc reſponſio ſolutionẽ bonæ difficultatis expoſtulat, an creſcat nimirũ peccati grauitas ex dignitate perſonæ, quod & ſi concedere non vereantur cõmuniter ſcolaſtici, certè veretur concedere Faber *diſp* 45. 3. *cap.* 2. *&* 3. aſſerens in iudicijs iuſtitiæ commutatiuæ non perſonarum, ſed ſolius lucri, aut damni rationem habendam, quæ ſi aliquando perſonæ habeatur, hæc, ait Faber, non ratione perſonæ, ſed ratione circumſtantiæ peccatum auget, vt committens peccatum cum coniugata magis peccat, quã qui cum ſoluta, quia illa circumſtantia eſt ſpeciali lege prohibita, & ideo illa ſunt propriè duo peccata.

Faber in 3. d. 45. cap. 2. & 3.

86 Abſq; fundamẽto tamẽ à cõmuni ſententia deflectendũ ob vnius Fabri placitũ non eſſe reor, quam confirmat Ariſtoteles 5. *eth.* docẽs, ſi magiſtratus quem percutiat non eſſe repercutiendum Magiſtratum, ac verò econtra, ſi quis magiſtratum percutiat, & repercutiendum eſſe, & ſupplicio puniendum. Nec valet reſponſio Fabri dicẽtis aliam eſſe circumſtantiam magiſtratus, aliam perſonæ, & magiſtratus quidem officium læſum augere offenſam, cum vicem is gerat rei publicæ, perſonam verò non augere offenſam, quantumuis illa virtute ſit, vel nobilitate prædita, quibus de cauſis congruentiam habet honoris; at ſi quis ei honorem nõ impenderet, non propterea peccaret. Non, inquam, reſponſio hæc quidquam valet, quæ potius ſe ipſam deſtruit, ſi enim ex offenſo Principe, vel Magiſtratu grauior redditur offẽſio, ergo grauitatem metitur offenſio aliqualiter ex obiecto offenſo, quod petimus. Quod ſi Faber dicat dignitatem perſonæ ex Scoto *diſt.* 21. 2. *q.* 2. aggrauare tantum accidentaliter peccatum. Reſpondeo, & ſi verum ſit formaliter peccatum non dici ex proportione obiecti, ſiue perſonæ offenſæ finitum, vel infinitũ, nihilo tamen minus grauari peccatũ ratione obiecti, ita vt offenſo obiecto infinito peccatum ſaltem obiectiuè infinitũ dici queat, patet ex Scoto tũ *ibi* tũ *in* 3. *d.* 19 tum *in* 4. *d.* 15. & alibi; & locus à Fabro ex Scoto depromptus non ſincere adducitur, dum enim Scotus *loco citato* 2. *art.* 3. quem Faber citat, ait grauari peccatum accidentaliter ex perſonæ dignitate, non loquitur de perſona offenſa, ſed de perſona offendente: conferens enim Adæ erratum cum offenſa vxoris, aſſerens grauius fuiſſe Euæ erratum, ſubdit poſſe grauari Adæ erratum ex circumſtantia accidentali perſonæ propter excellentiam, & dignitatem, quæ ex hoc magis tenetur præcauere peccatum. Hæc habet Scotus ibi, cuius verba ad perſonam offenſam referre, eſt auctoritatem detorquere ad prauum ſenſum voluntario. Quid, quod ſi Faber concedat grauari extrinſecè peccatũ ratione perſonæ, inani labore à communi ſententia deflectit; nihil enim vltra ſentimus, dum creſcere offenſam ratione dignitatis perſonæ dicimus, etiam conceſſo in iuſtitia commutatiua ſolius damni, ac lucri rationem habendam; vnde reflecto argumẽtum in oppoſitũ. Solius lucri, vel dãni in iuſtitia hac habenda eſt menſuræ ratio; ſed vbi perſona dignior læditur maioris fit damni incurſio, & lucri perditio, etenim offenſio illa priuat offendentem gratia offenſi, quæ maioris eſt lucri, quam alterius non æquè nobilis

ethic. 5.

Scot. in 2. diſt. 21 q. 2.

personæ

personæ gratia; quare ex suo fundamento tenetur concedere augeri offensam ex dignitate personæ. Demum quæ addit de peccato adulterij stomacum faciunt, non sunt enim verè aggrauantes circumstantiæ luxuriæ fornicationes, & adulteria, siquè circūstantiæ dicūtur, intellige tu libidinis species; similiter quod liber adulterium esse duplex peccatum Fabri cōmentum est, cùm ex iuris consultis sola sit species luxuriæ grauior, quam si duplicē esse culpam velit; dupli care tenetur singulas illius generis peccati species, vt in vnaquaq; sit peccatum generis, & speciei, puta in fornicatione peccatū fornicationis, & luxuriæ, in ince stu peccatū incestus, & luxuriæ, &c. Occurrendum igitur aliter difficultati propositæ, ac dicendum disparitatem de offensa, & satisfactione adductam ruere; quoniam neque ex solo obiecto grauatur culpa extrinsecè, sed ex eliciente persona etiam quoquo modo, ex doctrina Scoti in 2. *d.* 21. *q.* 2. *art.* 3. sicuti satisfactio ex persona faciente satis crescit; neque ex solo eliciente maior fit satisfactio; cum ex obiecto etiam acceptante incrementum sumat; sicuti ex obiecto recipit grauitatem suo modo offensa; allata igitur dissimilitudinis ratio euellitur.

Scot. 2. d. 21. q. 2. art. 3.

Rursum assertio probatur.

87 Iam reuertamur ad asserti probationem. Potuit Deus alicui homini dare tantam gratiam, quantam animæ Christi fuit elargitus, proindeque potuit hominem illum constituere cæterorum caput, cum eoque pacisci de aliorum recuperanda salute, & sua etiam, ergo potuit homo ille, gratia adiutus, opera edere, quibus acceptus Deo pro cæteris faceret satis. Consecutio probatur; nam satisfactio, de qua loquimur, nihil expetit præterea, nisi redditionē æquiualentis, qualis generis fuissent opera ex charitate elicita accepta Deo; non enim iam de facto aliam ob causam censetur satisfecisse Christus, nisi per opera æquiualentia, stante pactione, ac sponsione diuina, ita vt qua homo iustus, non qua Deus satisfecerit, vt dicetur de merito Christi suo loco. Antecedens patet, quoniā ex eo nulla sequitur repugnantia, hinc Scotus in 3. *dist.* 13. *q.* 4. docens Christi gratiam fuisse summam, *lit. I.* docet, cuicunque gratificabili inesse saltem in obedientiali potētia capacitatē quantæcunque gratiæ; quod verò antecedens rationem capitis attingit confirmatur. Potuit Deus constituere purum hominem ex pacto cæterorum caput, vt in eo singulæ aliorum depositæ essent volūtates, ita vt etsi eius erratum suapte natura non debuisset ad cæteros diffundi, ex pactione in totam diffunderetur humanæ propaginis massam, vt patet de Adamo, quem ita mundi Deus constituit caput, vt eo errante dicantur errorem incurrisse cæteri, vt disertè probant, qui de originali loquuntur, & doctrina ex Concilio Tridentino de hac re decreta firmante deducunt, quænam igitur maior suppetit repugnantiæ ratio, obquam negemus potuisse Deum ex opposito hominem iustum caput cæterorum instituere, vt ex eius operibus acceptis iustificarentur quotquot erant præordinati ad vitam æternam?

Scot. 3. d. 13. q. 4

88 Altera asserti particula constituit, fore tunc, acceptante Deo, rigorosam satisfactionem, & hæc ex dictis comprobata fuit; in qua obserua, non simpliciter sentire nos satisfactionē sua natura tunc fore rigorosam, sed solùm acceptante Deo, quæ conditio satis rigoris nomen distrahit, facitque, vt à Thomistis solo verbo differamus; nam ipsi rigorem pressò vocabulo, nos lato, & amplo accipimus. Interim vna argumentatione perbreui hæc pars suadetur. Satisfactio est redditio æquiualentis pro æquiualente alias indebiti; ergo rigorosa satisfactio acceptante Deo est illa redditio secundùm acceptationem Dei: Si ergo Deus acceptet non æquiualens sua natura pro æquiualente, satisfactio, ac redditio illa secundùm acceptationem Dei rigorosa erit; nam, & ego in rigore debens Petro centum aureos, reddens quinquaginta, & quinquaginta, qui superant, donatus, in rigore, inquam, ex concessione Petri; Petro aliam pecuniam non debeo, fecisseque dicor satis: cæterum, si rigorosam iustitiam seclusa liberalitate spectemus, addenda est etiam huic assertioni.

Altera pars asserti probatur.

89 Appendix. Nullus homo ex toto rigore iustitiæ, seclusa liberalitate Dei, potuisset pro se, & alijs facere satis. Hanc appendicem meritò veriorem fateretur Scotus, qui *dist.* 18. *&* 19. 3. Christum etiam in hunc modum fecisse Deo arbitratur

Asserti appendix Scot. 3. d. 19. & 18

tratur

tratur satis, vt cùm Christi redditio non fuerit, seclusa Dei acceptione; eius quoque satisfactio de toto rigore iustitiæ secundum pressiorem sensum dici nequeat, à quibus etsi discordes fiant Thomistæ (qua de re alibi) certè in hac appendice concordes fiunt. Hæc autem ipsa appendix si declaretur, probationem ferè respuet omnem; declaratur autem cognito significato iusti, siue iustitiæ rigorosæ. Aristoteles optimus moralium præceptor in Ethicis *lib.* 5. *cap.* 6. Postquam iustitiam latè vagantem in iustitiam ciuilem, quam & iustitiam simpliciter vocat; Iustitiam Herilem, & Echonomicam partitus est, insuper in iustum gentium, familiare, paternum, & dominatiuum, aliaque eiusmodi, quæ videntur ad alteram illarum trium reuocari, ius namque gentium, & ciuile penè idem: ius familiare, & echonomicum ferè idem: ius herile, & paternum, ac dominatiuum vnum ferè, ac idem; hæc, inquam, partitus de iure ciuili loquens versari propriè illud docet inter vitæ socios, qui sunt liberi, & æqualis libertatis, vt nec vnus sit alterius seruus; alioquin esset ius herile; nec alter alterius filius, ne confundantur iura herilia, paterna, & ciuilia. Ius igitur ciuile ex Aristotele ibi, neq; inter Patrē versatur, & filium, nec inter seruum, ac dominum; nec inter vxorem, & coniugem virum; inter quos sicut nulla est æqualitas, ita nulla propriè iustitia, quid enim seruus habet, quod non sit domini? Quid vxor, quod non mariti? Quid filius, quod non patris? Inter hos igitur nulla propriè iustitia: nulla propriè iniustitia; sed siquæ talis sit, illa censebitur iniuria, non iniustitia; & si vocatur iustitia, vel iniustitia, vocabula erunt secū dum similitudinem, non secundum proprietatem. Horum ratio delibata est; quia, cum nec seruus, nec vxor, nec filius quæ sua sint simpliciter habeat, aliquid planè facere satis ex operis exigentia ipsi nequeunt, sed satisfacere dicuntur concedente, & condonante domino, marito, patre.

Aristoteles eth. 5. cap. 6.

Quid sint diuersa iura, hic habes.

90 His ce declaratis materiam conflandæ rationis habes ad hanc Appendicem. Homo purus est filius Dei, ergo nulla in ipso perfecta iustitia ad Deum, ergo, si faciat satis, non faciet ex toto iustitiæ rigore satis; quid enim habet, quod non acceperit à Deo? Iuxta illud Pauli *Quid habes homo, quod non accepisti?* Porro homines faciendo satis, nihil vltra Deo reddunt, nisi actus voluntatis meritorios; at isti actus à voluntate quidem emanant, sed vt informata est charitate, & gratia, quæ immediate, & gratis à Deo datur; & proinde non eliciuntur simpliciter, ac totaliter ab homine ex humanis, at per diuinam donationem: cum igitur non sit absoluti redditio ex proprijs, rigorosa, ac vera satisfactio non erit, hæc enim inter cæteras, vt diximus, conditiones satisfactionis circumfertur; vt fiat ex proprijs, siue, quod redditum alicui aliquo alio iure non sit debitum.

Probatur Appendix.

Rom. 8.

91 Scio posse aliquem rationem hanc nostram repræhendere ex his, quæ habet Suarez *disp.* 4. *sect.* 7. fore tunc satisfactionem ex proprijs; quia per actus proprios hominis, quorum is est dominus, qui, & si per gratiam fuerunt eliciti, propria tamen hominis industria fuissent comparati. Vanam ego nihilominus repræhensionem ipsā iudicabo, qui proprij nomine non id, cuius quis est dominus, quoquo modo intelligam, sed id, quod elicere quis ex se potest, hinc liberorum voluntatis actuum nuncupor dominus, quia ex propria libertate voluntatis elicere possum, at fructus meritorij non ita se habent, quos vtique voluntas elicit, at in natiua, ac libera voluntatis potestate non ita sunt siti, vt ex nuda voluntate promanent; si namque gratiam, alterum vtpote principium illorū actuū, humana voluntas desideret, frustra elicitionem illorum actuum sine gratia desiderabit: non ergo illi actus simpliciter ex proprijs educti sunt, sed ex proprijs, & concessis, nempè ex voluntate, & gratia. Suarez *loco citato* cum cæteris ex Diui Thomæ familia alio medio appendicem hanc probat: Illud autem est ex infinitate obiectiua peccati desūptum hoc modo. Peccatum est infinitū, satisfactio creaturæ finita, ergo non erit hæc comparabilis illi. Argumentum hoc tamen leuissimum est, & vitiosum, nam, quā peccatum est infinitum, ea satisfactionem diximus infinitam, obiectiuè videlicet, vel terminatiuè.

Obiectio. Suarez.

Eluditur.

Reprehēditur Suarez. & Vasquez

92 Gabriel Vasquez, *disp.* 4. *cap.* 5. longissimā de more aliam rationem accōmodat, quę

dat; quæ si vellet, hoc modo breuior fieret. Si posset pura creatura pro se, & alijs de condigno satisfacere, certè id esset, impetrando eis auxilia gratiæ; nam per solam suam iustificationem exteræ non iustificarentur; sed hæc auxilia gratiæ nulla pura creatura potuit impetrare, ergo nec potuit satisfacere, minorem probat hæc ratio. Si hoc potuisset pura creatura, numquid ex proprijs viribus potuisset, an ex gratia? non primum, quod est hæresis Pelagij, sed neque secundum, nam quænam fuisset illa gratia; vnionis ne, an adoptionis? non vnionis, vt supponitur, quia loquimur de puro homine; ergo adoptionis; sed hæc non potuisset hoc efficere, fuisset enim eiusdem rationis cum gratia, quam nunc habent iusti, qua tamen nō possunt alijs primam gratiam mereri, sed sibi dumtaxat incrementum gratiæ, & adoptionem gloriæ. Nullo igitur modo satisfacere potuisset. Hæc ratio eleganter folia locupletare potest, cæterum à sententia neminem dimouere potest; singulis nāque concessis; negandum est adoptionis gratia non potuisse alijs primam gratiā mereri creaturam simplicem, ex quo nāque gratia illi collata summa fuisset & fuisset proinde gratia capitis, equè potuisset, ac gratia Christi, quæ nunc nobis defacto primam meretur gratiam, siue, vt rectius loquar, qua Christus nobis primam gratiam meruit; neq; propterea fuisset eiusdem rationis, siue perfectionis cum gratia iustorum huius temporis, quæ neque summa est, neque gratia capitis. Hoc idem Vasquezij argumentum euellendum assumit Faber *disp.* 48, *numero* 20. sed nusquam euellit, nescio quo casu. Præiacta nostra ratiocinatio acta est. Pater Lugo ex alio capite hāc impotentiā venatur, nēpe ex auctoritate Sanctorum, & Pontificum Basilij *in psalm.* 28. Cypriani *lib. de operibus Christi Cardin.* & aliorum, explodentium hanc potentiam à puro homine; sed Patres, vt infra dicemus loquuntur ex suppositione decreti de Aduentu Christi non absolute, & simpliciter, vnde etiā hæc Lugo arguitio leuis est.

Argumentum Vasquez.

Nullius valoris.

Argumentum Lugo nullū.

Assertio 2. duplici parte constat.

93 Assero secundò, & pro peccatis venialibus multo magis potuisse hominem Deo facere satis, sed & posse nunc etiam hominem ex se sine gratia facere pro illis satis. Hæc assertio duplicem habet partem; prior statum possibilem respicit; nisi Verbum nostram sibi mortalitatem vniisset: posterior est de facto. Vtraque probatur, & prior quidem tam euidenter ex superiori assertione deducitur, vt superflua videatur quæcumque vlterior probatio; nam si de quo minus inesse quid videtur, & inest, ex Logica regula, multo magis inerit ei, de quo magis; at in fuisset homini faciendi satis pro mortali potestas, de qua minus videtur, cum valde difficile sit pro ijs satisfacere; ergo multo magis infuit potestas satisfaciendi pro venialibus, pro quibus solutio facilis. Præterea duæ versantur opiniones de venialis peccati solutione, deleatur ne simul, quo ad culpam, & pœnam; an vero deletio culpæ sit à solutione pœnæ diuersa: sed quæcūque opinio sustineatur semper verum est asserere, potuisse pro huiusmodi peccato satisfacere hominem; si enim solutio pœnæ diuersa sit à deletione culpæ certè, quemadmodum ex actu meritorio intenso poterat maior solui pœna, quæ debebatur pro mortali, & deleri culpa grauior, qualis erat mortalis; ita potuisset exilior pœna solui, & leuior culpa dimitti: si autem priorem sententiam probemus; cum nihil sit aliud secundum illam peccati venialis remissio, nisi solutio pœnæ temporalis debitæ pro eo; potuisset tunc temporis homo hanc soluere pœnam, & proinde à peccato veniali liberari. Pars hæc prima asserti controuersiam non habet; propterea non est vlterius de ea laborandum.

Pars prima probatur.

94 Altera assertionis particula tantam habet controuersiam, vt Suarez arbitretur illam esse errorem Pelagij, qui nimiū humanæ tribuens voluntati diuinæ gratiæ valorem negligebat. Putat insuper Suarez partem hanc esse scripturis contrariam, quibus omnis peccati remissio Christo, & Dei gratiæ tribuitur; vt patet ex Paulo *Rom.* 4. & ex Concilio Mileuitano *cap.* 6. 7. 8. & Arausicano 2. *cap.* 17. & ex Tridentino *sess.* 6. *de iustificatione cap.* 11. vbi dicit illam esse iustorum vocem *Dimitte nobis debita nostra*; & esse ibi de venialibus sermonem. Acrius tamen, quam Christianum, ac Religiosū virum deceat, Scoti opinionem reprehendit Suarez: Scoti, inquam, viri alioquin

Altera pars assertionis.

Rom. 4. Concilium Mileuit. Arausi. Trident.

quin

quin ab omni arrore inculpati, neque etiam eadem macula in hac re culpandi; quamuis enim ſingulæ Patrum, ac Scripturarum, & Conciliorum locutionea poſſent ad mortalis peccati deletionem referri, quæ niſi intercesſerit gratia, fieri nequit, relatæ atiam ad veniale Scoti opinionem non auertunt, qui non de facto, ſed de poſſibili loquitur; non de ſatisfactione ſuperabundanti, quæ Chriſti merito euenit iuxta illud Regij Prophetæ *Copioſa apud eum redemptio;* quod & ipſe ſeruator in Euangelio expreſſit, *ego* inquiens *veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant;* De qua etiam intelligẽda ſunt Tridantini Concilij verba, niſi quis velit aſſerere, Orationis Dominicæ verbis illis, non ita peti venialium remiſſionem, quaſi verò nequeant illa dimitti ſine habitu charitatis, & gratiæ, ſed vt Deo quaſi ob oculos referamus iuſtitiæ commutatiuæ decretum, quo dimittentibus dimittere debet, iuxta illud Seruatoris; *dimittite, & dimittetur vobis;* propterea in oratione illa additur, *ſicut, & nos dimittimus;* non igitur dimiſſio petitur, ſed talis dimiſſio; qualis à nobis noſtris debitoribus impenditur, vt eo loquendi modo nos ipſos Deo coarctemus magis ad dimittenda proximis peccata; ſi eodem modo à Deo nobis petimus peccata dimitti; alioquin ſenſus ille ſatis videretur incongruus; quaſi verò nos Deum docturi eſſemus dimiſſionis modum: de hac igitur ſatisfactione ad menſuram modi præſcripti, de qua ſatisfactione copioſa Scotus non loquitur, ſed de ſufficienti. De qua eius ſententia clarentior probatur ex ſuppoſita doctrina: Dimiſſio venialis peccati eſt tantum pænæ pro peccato illo debitę ſolutio; Sed ſolutionem hanc poteſt homo, & ſi iniuſtus facere; ergo poterit illi peccatum dimitti veniale, etiam ſine gratia. Maior quę eſt ſecundum primum modum ſentiendi, quem Scotus refert; ac valde probabilem ratur *d. 21. 4. ſent. loco citato* patet, nam poſt actum tranſeuntem venialis peccati reatus dumtaxat ſupereſt ad pænam debitam; qua ſoluta reatus nullus eſt, nullumque proinde veniale peccatum ſuperſtes: Minor probatur, quia pæna, quæ debetur veniali peccato temporanea eſt, non æterna, ſed hanc homo iniuſtus ſoluere poteſt, ergo ſimpliciter reatum illum ſoluere poteſt; Maior ſubducta patet, nam debitum pænæ æternæ non ſtat cum charitate, & gratia, at veniale peccatum ſtat cum gratia; ergo veniale peccatum non dicit debitum æternæ pænæ. Porrò veniale ſtare cum gratia conſentiunt omnes; debitum vero pænæ æternæ cum gratia perſiſtere nõ poſſe probatur, quia per charitatem eſt homo dignus æterna gloria, ergo ſi ſtarent ſimul gratia, & debitum ad æternam pænam; vnus idemque homo eſſet ſimul ex debito dignus pæna æterna, & ex gratia dignus gloria; quod falſum eſt. Cæterum temporaneã illam pænam abſque gratia ſoluere hominem poſſe, ſicut in minori ſecundæ argumentationis innoluebatur, patet; nam ſi homo poteſt ſoluere pænam, hoc eſt ſatisfacere pro peccato mortali dimiſſo, delapſus in alia peccata mortalia, non equidem ſatisfactione placante, aut reconciliante, ſed reddente æquiualens pro æquiualente, in qua redditione vniuerſa ſatiſfactionis collocata ratio eſt, quid obeſſe poterit, quo minus quodpiam voluntariè ſufferendo, vel moralẽ aliquem actum eliciendo, poſſit reatum, ac pænam venialis culpæ temporaneam ſoluere? Legendus eſt de hac re Scotus *d. 15. 4. q. 1. & q. 1. d. 21.* quibus locis docet veniale poſſe dimitti non dimiſſo mortali, nedum in hac vita, ſed in igne purgationis, & quod mirabile eſt, etiam in Inferno, de quo & ſi verum eſt nullam eſſe redemptionem, præceptore Iob, id tamen de eo cenſetur verum, pro quo quis in Inferno detinetur, quale eſt mortale, non veniale peccatum, nam peccatum mortale, cui æterna debetur pæna, nuſquam dimittetur in Inferno. Cæterum de his alibi fuſius.

Pſalt. 29
Ioan. 10
Luca 6.
Obſerua egregiam interpretationem ad Orationem Dominicam
Scoti ſententia probatur
Scot. 4. d. 21.
Veniale peccatum ſtat cum gratia.
Scot. ibi.

95 Nunc vero, vt aliquando capiti huic præſcribamus terminum, aliorum argumenta diluamus. Primo igitur aſſertũ primum hiſce argumẽtis Thomiſtæ perturbant, Primum: bonum alicuius perſonæ particularis æquari non poteſt malo, in quod vniuerſa corruit per peccatum humana natura; ergo nequiſſet homo purus non vnitus Deo facere Deo ſatis; hinc egregiè monent Scripturæ *Iob. 9. non iuſtificabitur homo compoſitus Deo,* & *Rom. 9. quis prior dedit ei, & retribuetur, quia in ipſo, & cum ipſo; & per ipſum omnia,*

Thomiſtarum obiecta.
Iob. 9.
Rom. 9.

&c Leo

Leo PP. & Leo Papa *ser. 1. de natiuitate. Non afferret remedium nisi esset verus Deus.*

96 Secundum. Peccatum Adami infinitũ est, satisfactio hominis puri finita, non fuisset ergo æquiualentis pro æquiualente redditio, minor est euidens; quoniam à finita causa finitus effectus: Maior probatur ex Aristotele 5. *eth*, Grauitas offensionis crescit ex dignitate personæ offensæ; at primo Adami peccato Deus fuit offensa persona, qui infinitus est, quare culpa, & reatus infinitus. *Eth. 5.*

97 Tertiũ. Da oppositum, ergo Christus gratis est mortuus, quod falsum est; cõsecutio deducitur; nam si poterat pura creatura redemptionis obire officium, absque necessitate, & gratis omnino Christus aduenit. Alias leuioris ponderis rationes apud Recentes consulendæ sunt.

98 Hæc argumenta ita dilue. Primum negato antecedente, ratio est; quoniam sicut ex vnius Adami peccato vniuersa corruit humana natura; ita vnius hominis merito vniuersa poterat resurgere humana natura; hoc quidem præcipuè ex vi pactionis, & promissionis Dei, sicuti ex pacto etiam Adamo peccante cæteri ceciderunt, qui secluso pacto Adamo peccante non cecidissent: Neque scripturarum locutiones adductæ oppositum probant, quæ singulæ ex suppositione decreti de Christo venturo, & de facto loquuntur. Pari responsione occurrendum auctoritati Leonis Papæ. *Tolluntur.*

99 Argumentum secundum hucusque dilutum est; fuit enim Adæ peccatum formaliter finitum, obiectiuè infinitum, qualis etiam censetur satisfactio. Faber in huius solutione persistit negando maiorem, & probationem de grauitate culpæ ex dignitate læsæ personæ, sed hanc eius doctrinam non commendo, vt dixi. Commendo tamen eius distinctionem pro solutione tertij argumenti, quæ est elegans satis, ac vera.

100 Particula gratis bifariam sumitur, vel vt idem sonat, ac frustra, vel vt idem significat, ac sine necessitate, primo modo negamus Christi mortem fuisse gratis exhibitam, quia pro hominum salute exhibita est, pro qua licet secundum nostram sententiam satis creatura fuisset, oblata tamen est mors Christi, vt copiosa esset apud Deum redemptio, posteriori modo concedimus mortem Christi exhibitam gratis, hoc est sine necessitate, quia nec mundum absolute recuperari, nec cum satisfactione recuperari nec cum Christi satisfactione recuperari absolute fuit necessarium, vt hactenu abundè probauimus. *Fabri distinctio egregia.*

101 Contra secundum assertum, præter allatas scripturarum, & Conciliorum locutiones vnico argumento insurgit Suarez; Sine diuina gratia nihil potest homo facere, quod ad vitam consequẽdam æternam conferat, at remissio venialis peccati multum confert ad salutem consequendam æternam, ergo ad illam ineptus est homo sine gratia. Et confirmatur: Ad quamcumque satisfactionem, & meritum de condigno exigitur gratia; sed solutio venialis culpæ satisfactio, ac meritum est, ergo exigitur ad eam gratia; minorem improbatam relinquit, probando maiorem; quia sine gratia sanctificante homo est Deo inimicus, & inimico de iustitia nihil potest esse à Deo debitum, quare concludendum censet fieri non posse, vt homo pro veniali sine gratia satisfacere queat, & hoc loquendo de peccato suo, quia pro peccatis aliorum hoc arbitratur esse impossibilius. *Argumentum Suarezij.*

102 Sed hæc Suarezij argumentatio tenuissima est, & facili labore eneruatur distincta minore: in qua vel loquimur de veniali adiuncto mortali, vel de veniali absque mortali, si loquamur de veniali cum mortali, maiorem concedimus, minorem negamus, nihil enim ad vitam confert venialis dimissio indimisso mortali, si de veniali secundo modo loquamur, non sumus in casu, qui de homine iniusto loquimur, si autem de iusto loqueremur, iam satisfactio illa elicita ex gratia meritoria foret. Confirmatio assumit minorem falsam ob eandem rationem, quia satisfactio pro veniali dato casu non esset meritoria, sed simplex redditio æquiualentis pro æquiualente, erat ergo Suarezio minor probanda, non maior, de qua nullam agitamus litem. *Tenue satis eluditur.*

NECESSITAS ABSOLVTA INCARnationis ſecluditur ex dictis, conditionata probatur.

CAPVT VI.

103 Hactenus diù, ac longè, per diuerſas diſputationes vagari, ordine quidem abundanti, ſed neceſſario, ad litem quam in ipſo diſputationis huius veſtibulo propoſuimus reuertimur, vt excluſis neceſſitatum Incarnationis cauſis, ipſam quoque Incarnationem non fuiſſe ſimpliciter neceſſariam colligeremus: eſt igitur in hoc capite.

104 Primum aſſertum; Verbum inhumanari non fuiſſe ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium. Aſſertio communiter traditur á Scolaſticis, & ex ijs auctoritatibus ſcripturarum patet, quibus opus hoc Incarnationis miſericordiæ, & liberalitatis appellatur, qualis eſt auctoritas Sancti Leonis Papæ *ferm. 2. de Natiuitate cap. 3. Verax miſericordia Dei hanc potiſſimam ſanandi viam elegit*; ſimiliter ex ijs, quæ dilectionem, ac amorem Dei maximè in hoc opere relucentem mirantur; vt patet Ioannis 3. *ſic Deus dilexit mundum*; & facili ratione probatur.

Aſſertū primum probatur

Leo PP.

Ioan. 3.

105 Si Inhumanatio Verbi eſſet ſimpliciter neceſſaria, certè intrinſeca neceſſitate neceſſaria eſſet; nam extrinſeca neceſſitas abſolutam neceſſitatē rei minimè inducit, ſed ex ſuppoſitione, vel alio modo; atqui implicat aſſerere Incarnationem hoc modo neceſſariam fuiſſe; implicabit ergo dicere eam fuiſſe abſolutè neceſſariam: Maior probatur, quia neceſſitates impedibiles abſolutè neceſſitates non cenſentur; pugnat enim aſſerere aliquid eſſe neceſſarium abſolutè, vt fiat, & poſſe impediri ne fiat, cum abſolutè neceſſarium nulla queat virtute vitari; ſed neceſſitates extrinſecæ, ſiue ab extrinſeca manantes cauſa ſimpliciter impedibiles ſunt, ergo abſolutè neceſſitates non cenſeantur: huius ſecundi argumenti minor probatur, quia extrinſecæ cauſæ ad rationem internam effectus non coeunt; præcipuè autem ſi liberæ ſint; non igitur internam conſtituunt effectus neceſſitatem; Minor autem primi argumenti patet; nam intrinſecè neceſſarium eſt, quod ſemper eodem modo ſe habet, cuius conditionis ſi fuiſſet incarnatio, ſemper Deo coæua fuiſſet, qui ſolus eſt hac neceſſitate neceſſarius. Et confirmatur ratio, quia omnia, quæcumque Deus operatur ad extra, liberè, & contingenter operatur; at incarnatio eſt opus ad extra, ergo eam Deus liberè, & contingenter eſt operatus, non eſt ergo ipſa Incarnatio neceſſaria ſimpliciter, cum neceſſarium ſimpliciter, & liberum contingens opponantur; minor eſt euidēs; maior patet apud Theologos, apud quos ita Deus operatur ad extra, vt quidquid operatur pro interna ſuæ voluntatis libertate operari, & non operari queat, quod eſt liberè, & contingenter operari. Iam metiamur externas cauſas Incarnationis fuſius.

Ratione ſuadetur.

Cōfirmatio argumenti.

106 Incarnatio, ſi effectricem quæris cauſam, Deum reſpicit; ſi finalem petis, illa eſt, vel mundi ornatus, & perfectio, vel humani generis reparatio, vel Deo ob peccatum Adami ſatisfactio; ſed cauſæ iſtæ omnes partim liberæ, partim contingentes ſunt, ergo effectus ipſarum, qui eſt Inhumanatio Verbi contingens erit ſimpliciter, non neceſſarius; à cauſa namque impedibili, & variabili non poteſt effectus neceſſarius prouenire, ſimiliter à cauſa libera liberè operante. Maior patet; nam nulla alia Incarnationis ſuppetit ratio, & cauſa, niſi vt perficeretur mundus, vt liberaretur homo, vt ſatisfieret Deo. Minorem partim hoc ipſo capite, partim in ſuperioribus decurſauimus; nam quod pertinet ad cauſam effectricem, hucuſque teligimus, Deum ad extra nulla neceſſitate operari, ſed ex ſola voluntaria libertate: quod autem pertinet ad cauſas finales, hactenus nec neceſſarium ſimpliciter fuiſſe hominem reparari, nec per ſatisfactionē reparari probauimus, contra ea, quæ pro Anſelmi, & Richardi ſententia ferebantur; quod nec etiam ad perfectionem vniuerſi probatur, quoniam hæc ſola Deum non neceſſitat ad opus, alioquin cùm poſſit Deus perfectionem aliquam citeriorem addere creatis rebus; iam illam adiungere teneretur, quod eſt falſum; Porrò poſſe Deum aliter, & perfectius res aliquas velle fieri, vide Scotum *d. 44. primi ſententiarum*, alioſque ſcolaſticos. Raimundus igitur Lullius à Vaſquezio

Citerior probatio de cauſis externis.

Scot. p. d. 44.

Lullius.

quezio

quez'o relatus commodo erravit, si quid
io oppositum sentit, non est enim de
ratione perfectissimi agentis, vt perfe-
ctissima producat effecta; si agens sit vo-
luntarium, sed vt vult, & quomodo vult;
cum nulli sit debitor.
Assertio 2. 10ͻ Assero secundo necessitate secundũ
quid necessarium fuisse verbum inhuma
Probatur ex Patribus. nari. Hoc assertũ singulæ persuadent Sã-
ctorum Patrum, & Scripturarum locu-
tiones necessitatem huius operis adstruẽ
Chrysost. tes, quales sunt. Chrisostomi *hom.* 10. *in*
Ambros. *Ioan. non aliter poterat restitui nostra natura;*
nisi Deus manum porrexisset hoc opere. Am-
brosij *in cap.* 5. *ad Heb. tantum fuit nostrum*
peccatum, vt saluari non possemus, nisi Chri-
stus moreretur, & similes aliorum Patrum,
quos Recẽtes fusius memorant Scolasti-
ci. Hũc spectant eiusdem rigoris Sacræ
Luca 24. Scripturæ elogia, *sic oportuit pati Christum*
Luca 22. *&c. filius hominis vadit, vt definitum est de*
Ioan. 3. *illo &c. Sicut Moyses exaltauit serpentem sic*
exaltari oportet &c. quibus, & consimili-
bus abundant noui testamenti codices,
quæ in re citra controuersiam mittimus.
Ratio pro asserto, ne dũ ex Aristotelico
illo educitur effato *in lib. periherm. omne*
Et ratione. *quod est quando est necesse est esse*, Incar-
natio autem facta est, manetque Incar-
natum Verbum, quod quę semel assump-
sit numquam dimisit, proindeque ne-
cessaria est hoc modo Incarnatio, sed ex
Theologorum consensu vnanimi firman-
te, suppositum Dei de aliquo effectu de-
cretum irritum fieri non posse, ergo de-
creto supposito de Incarnatione Verbi,
necessitate conditionis, & consequentiæ
necessarium fuit Incarnari Verbum.
Ad hunc locum reuoca, quæ de necessi-
tate prædestinationis diximus in primo
sententiarum.
108 Assero demum, modum redimendi
Assertio 3. homines per hoc vnionis mysterium cõ-
uenientissimum fuisse. Traditur à B. Au-
August. gustino *lib.* 13. *de Trinit. c.* 10. asserẽte, fuis-
se Deo alium redemptionis modum pos
sibilem, at conuenientiorẽ hoc ipso nul-
Ioan. 21. lum, elicitur ex illo *Ioan.* 21. *expedit vt*
vnus homo moriatur &c. & communi con-
fessione firmatur. Conuenientiæ autem
ratio multiplex affertur, tum ad osten-
Ioan. 3. sionem diuinæ misericordiæ, & amoris
ex illo Ioan. 3. *sic Deus dilexit mundum*,
Rom. tum ex ostensione iustitiæ ex illo Pauli
ad Rom. *quem proposuit propitiatorem ad*
ostensionem iustitiæ suæ. tum ad ostensionẽ
infiniti amoris Dei ex illo Lucæ 12. *ignẽ* *Luca 12.*
veni mittere in terram; tum ad gloriam
hominum, qui ex vnione hac admirabi-
li nihil maioris poterant consequi digni
tatis, cum enim Deus factus est homo,
homo factus est Deus sine commixtione,
& sine diuisione ex illo Ecclesiæ *Mirabi-* *Eccl. in ant.*
le mysterium &c. tum ad veritatem in-
ferendam orbi ex illo Ioan. 18. *ego ad hoc* *Ioan. 18.*
veni in mundum, vt testimonium perhibeam
veritati; egimus nos de hisce congruen-
tijs orationem præludendo ad hunc ter-
tium; agunt de his passim Anselmus *lib.* *Anselm.*
vtroque, cur Deus homo; Bernardus *in can-* *Bernardus.*
ticis, & in lib. de diligendo Deo, Augustinus
lib. de spiritu, & anima, & alibi, & Patres *Augustinus.*
passim. Vnde ad assertum hoc loco ra-
tionem hanc accommodamus solam.
Modum conuenientiæ operis ex duplici
capite metiri possumus, vt cætera mit- *Ratio ad assertum*
tamus, nempe ex parte conferentis, &
ex parte recipientis illum, ita vt id cen-
seatur conuenientissime datum, quod
vtramque conuenientiam præstolatur;
sed Verbi Inhumanatio ex vtraque par-
te conuenientiæ rationem accommo-
dat; ergo conuenientissima fuisse cense-
bitur humana per hũc modum redemp-
tio. Minor probatur ex parte dantis;
quia ex eo elucescit in primis diuina mi-
sericordia, quod sine meritis, immò mul-
tis præcedentibus demeritis tãto hono-
re donauit hominem, quo maioris non
erat creatura capax, ex Augustino asse- *Augustinus.*
rente *in rebus ortis nullam esse maiorem gra-*
tiam, quã quod homo fieret Deus, Deus homo,
Elucescit diuina iustitia qua innocens
Christus pro hominibus fideiussor pœ-
nas pro hominibus soluit, iuxta illud
Ecclesiæ *qui pro nobis æterno Patri Adæ de-* *Eccl. in benedict. Cerei Paschalis.*
bitum soluit &c. Elucescit diuina pote-
stas, dũ exhibitum est opus inter omnia
Christi opera supremum iuxta illud *Ma-*
num suam misit ad fortia, Elucescit diuina
sapientia, cuius arte factum est, vt homo *Prouerb. 31.*
in ea carne demonem superaret, in qua
fuerat à demone superatus, vt vnde *mors*
orta est (canit Ecclesia) *resurgeret vita.* *In præfat. Crucis.*
Elucescit, & conuenientia ex parte reci-
pientis. Quid enim homini gloriosius,
quam Deo nexu admirabili vniri, quid
honorabilius, quam Deo satisfactione
tam celebri facere satis? Quid vtilius,
quam ad bonum hoc Sacramento inci-

tari, & à malo reuocari? Quod nisi quis præstat vilis propemodum, & ingratus tāti beneficij plectetur aspernator. Hilce si quid vtilius, & conuenientius hoc Sacramento nancisci potes, huic Sacramēto conferendum, aut anteponendum puta; sed nihil planè tale putabis, quia tale nihil.

Dubia in opp. 109 Hanc postremam assertionem duo perturbant dubiola. Primum est, conuenientissimus redimendi modus est, quo magis humana natura Redemptori tenetur; at hoc mysterio non magis tenetur creatura Christo, ergo conuenientissimum non erit; minor probatur, quia potuit homo alio reparari modo ex dictis, sed magis tenemur alicui, à quo solo beneficium possumus recipere, quam si possemus ab alio eodem ditari beneficio, ergo magis debuissemus Christo, si à solo Christo redemptionis beneficium potuisset humana recipere natura, cuius obinde obligatio minor, dum ab alio potuit beneficium idem accipere.

Secundū dubium. 110 Alterum est. *Incongruit* maius bonum ad minus ordinari tamquam ad finem, at finis aduentus Christi censetur humana recuperatio, ex Symbolo *propter nos homines, & nostram salutem descendit de Cælis &c.* *Symbol. Nicenum* quæ est minus bonum, quam Christi mors, vita, & passio, ergo Christi mortem, vitam, interitum ad nostram ordinari salutem incongruit omnino: maior declaratur ex humanis, in quibus centum aureos exempli gratia ad decem ordinari non nisi ab insipienti videmus; ratio est, quia finis est semper ijs, quæ sunt ad finem præstantior, eius enim gratia fiunt cætera, propterea finalis causæ præstantiam celebrant Philosophi.

Eueruatur primum. 111 Occurre his dubijs, primo quidē negando minorem, cuius probatio quidpiam fortasse coloris haberet, si beneficiū illud possemus totaliter ab alio accipere, qui sit eiusdem dignitatis cū dāte; huius exēplificationis ratio est probationem falsam reddens, quia si beneficium, quod à Duce recipere possem, à Rege reciperem, magis tenerer Regi, qui potens per alium præstare, in amoris signum à se solo præstitit; at nūc vero licet recuperationis beneficio posset humana natura ditari ex pura creatura acceptāte Deo opera eius ad solutionem pœnæ pro peccato, quia tamen hoc beneficiū Deus per filium concessit, quem ad hoc misit in mundum; nonne magis Deo debet homo præstanti per filium, quam per seruos? Enimuerò si beneficij accepti dignitatem ex dignitate personæ concedentis metiaris, nihil hoc beneficio dignius reperies; vt proinde si se tibi Deus, hac vnione tradidit, & tibi te reddidit, Doctore Bernardo, pro alijs quid debeas non inuenies. *Bernardus.*

112 Occurre secundo, distinguendo maiorem, quæ vel de fine vltimo profertur, vel de fine ordinato ad vltimum finem, priori sensu vera est maior, neganda minor, ratio est, quia etsi ad salutem hominis destinata sint Christi merita, at non tamquam ad vltimum finem, qui est Dei gloria, posteriori vero sensu falsa est maior, vera minor; probationi autē eius dicendum reflectendo instantiam, immo negotiatorum esse proprium, centum aureos expendere, vt viginti superaddatur lucrum, quod non est finis vltimus negotiationis, sed finis ordinatus ad citeriorem finem, nempè ad augmentum aureorum, qui augetur in negotiatione ex illo lucro viginti nummorum effecti centum viginti; dicendum igitur, quod si finis mercatoris esset cū amissione centum aureorum, quos impenderet, solius viginti aureorum lucri causa, ineptus is esset mercator constituens lucri ū leuis ponderis, tam grandie expensæ finē, & si finis esset additio viginti ad cētum, sanus mercator, ita in re nostra, si Christi vita, natiuitas, ac passio ad homines vt ad vltimum esset destinata finem, non fuisset congruum ita fieri, sed quia vltimus rei huius finis Dei gloria censetur, & Christi exaltatio, iuxta illud, *sic oportuit pati &c.* verè igitur congruum fuit inhumanari &c. *Flocci fit secundū.*

AN ITA NECESSARIO INCARNATIO cum humana recuperatione sit connexa, vt si homo non peccasset non fuisset facienda Incarnatio.

CAPVT VII.

213 EX hoc vno capite perfecta necessitatis huius mysterij inquisitio poterat desiderari, nunquid scilicet sit ita cum humana salute coniunctum, vt, ex quo ea ponenda positum fuit, è contra ea non ponenda ponendum non fuisset in esse mysterium, vt hinc etiam necessitatem habitudinis causæ illius ad hunc effectum elucesceret, causæ enim propriæ, ac necessariæ, relatæ ad effectum positæ ponunt effectum, non positæ non ponunt effectum.

Grauitas propositæ difficultatis.

Presens disputatio omnium huius misterij celeberrima, perennis est scolasticorum litterarius ludus, vt ea ignorata, totum latere putent materiæ disputandæ negotium, in qua tamen litem vniuersam ex diuina voluntate pendentem, certo decidere, & rescindere is poterit, qui potuit arcana Dei intueri, non erit tamen nobis temeritati tribuendum, si quousque ratione, & coniecturis euehemur in huius consideratione immoremur, inde egregie Scotus *d.* 3. 3. *q.* 3. hoc ipsum quæsitum enodandum proponens absque alterius melioris sententiæ censura tantum locuturū sese profitetur, nō solum vt natiuæ modestiæ aliquod specimen daret, vt putat Faber, sed quod potissimum est, vt oblatranti alicui patum in scolastica versato arena, quasi verò arcana Dei humano quodam proponantur inuestigenda scrutinio, hisce lensatie verbis occurreret.

Scot. 3. 3 q. 3.

214 Disputationem propositam duæ contrariæ opiniones vexant. Altera Sancti Thomæ, altera Scoti. Affirmat Scotus *d. c.* futurum fuisse, sin minus Adam; & absolute homo in errata dilapsus à perenni illa gloria proscriptus esset, vt Verbum humanam sibi vnione hac admirabili copularet naturā, quia nempe Christi electio ad gloriam antecedenter ad præuisionem peccati facta est, occasione eius doctrinæ declarandæ, crassa Mineruа hoc loco ordinem à Doctore præscriptum in Dei electione æterna referemus. Bis igitur de electorum prædestinatione æterna, deque præscitorum reprobationis ordine locutus est Scotus, semel *in* 1. *d.* 41. Item *in* 3. *d.* 19. Sed in primo genericè de prædestinatis, in tertio specificè de Christo. Mittamus ordinem electionis constitutū *in* 1. *d.* 41. & de Christo loquentes ordinem ex 3. *sent.* referemus. Is igitur est ordo à Scoto constitutus. Vt in primo signo Deus intellexerit se sub ratione summi boni: in secundo cęteras creaturas intellexerit. In tertio prædestinarit electos ad gloriam, quorum caput fuit Christus, mox beatissima Virgo, circa reprobos nullum habens actū. In quarto præuiderit homines casuros in Adamo. In quinto ordinarit Christi passionem in remedium, ex quibus elicit, quod cùm Christi electio facta fuerit in tertio signo, nullo adhuc præuiso peccato, & si nullum futurum fuisset peccatū, secutura fuisset incarnatio, quæ non ob occasionem peccati facta est; nam ordinatio de remedio in quinto signo, non absolute Christi aduentum in carne; sed modum aduentus Christi constituisse intelligitur. Hæc est opinio Scoti.

Opiniones è diametro diuersæ.

Ordo in electione à Scoto positus in 3. d. 19.

215 Negat è contra S. Thomas *p. p. q.* 1. *art.* 2. simpliciter arbitratus, nullo peccato existente nullam futuram fuisse Verbi incarnationem. Scotum sequuntur Scotistæ, & ex Diui Dominici familia Catherinus *opusculo de eximia Dei prædestinatione.* ex externis Iacobus de Valentia *in psal.* 18. Galatinus *lib.* 7. *de arcanis Catholicæ veritatis.* nonnulliq; alij recentes. Sanctum Thomam imitantur Thomistæ, ibi, & *Richard. in* 3. *d.* 1. *art.* 1. *q.* 4. Abulensis *in cap.* 24. *Matth. cap.* 44. Argentina, & alij.

S. Thom. Chaterinus. Valentia Galatinus. Richardus. Tostatus Argentina.

216 Inter vtramque medios, si quid medium inter contraria sisti potest extrema, se præstitere alij, qui neutri opinioni astipulantes tertiam innexere sententiā, & hi non vno loquuntur ordine, ac modo. S. Bonauentura vtriusque sententiæ relatæ *d.* 1. Iudicium ferens ait, primam imitari iudicium rationis magis, secundam verò consonam esse sacræ scripturæ, Patribus, & pietati fidei, cui & ipse ex innata pietate studens, in secundā propendere videtur sententiam. Gabriel Biel satis in hac disputatione inconstans, & leuis, modò ait, modò negat *d.* 19. ordinem

S. Bonauentura. Biel.

dinem Scoti reprehendens Sancto Thomæ adhæret *d.* 32. ordinem Scoti admittens; Scoto consentire tenetur, *dist.* autem 2. *q. vnica. dub.* 3. vtramque sententiam probabilem tetur, vt fortasse vnicuique pro voluntatis arbitrio concederetur, eum in propriam vocare sententiam. Quicunque verò palam loqui non erubescunt, sed aperto ore propriũ propugnant placitum, quales sunt Recentes opinionem suam in alia frusta secant, Consentiunt quidam Scoto constituenti electionem Christi ante præuisum peccatum; à Scoto tamen dissentiunt, & proinde Sancto Thomæ consentiunt, ponenti non fore, vt fieret sine peccati permissione incarnatio.

Variæ sententiæ.

Hæc etiã sententia bipartita est; quidam sunt in opinione, fuisse quidẽ Christum prædestinatum ante præuisionem peccati, atqui ex vi illius decreti, Christum non venturum, homine non peccante; eo modo, quo dicitur Deus prius elegisse prædestinatos ad gloriam, quàm ad merita, nihilo tamen minus ita eis vult Deus gloriam, vt nolit dare sine meritis, ita vt, licet Christus prædestinatorum sit princeps, & causa finalis, possit tamen prædestinatio eius ordinẽ ad posterius dicere, quia prius in illo genere finalis causæ pendere potest à posteriori, tanquam ab efficiente, vel medio necessario, vel modo, sine quo non, Hanc sententiam refert Suarez *disp.* 5. *sect.* 5. Alij verò sentiunt in primo signo Christum simul fuisse prædestinatum ad gloriam, & ad vnionem in carne mortali, ac passibili, vt simul fuerit prædestinatus homo, & hominum redemptor. In hanc sententiam Faber citat Suarezium; sed perperam, vt patet apud ipsum Auctorem *loc. cit.* & ante *sect.* 4. quibus in locis perpetua est Suarezij sententia primum incarnationis motiuum, vt eius vtar verbis, non fuisse incarnationem, & *sect.* 7. *concl.* 2. constituit, ante præuisionem peccati Christum non fuisse prædestinatum, vt redemptorem hominum; gratis ergo, & sine causa hæc sententia à Fabro tribuitur Suarezio.

Suarezij.

Decipitur in exponenda sententia Suarezij Faber.

117 Nostra sententia nõnullis prædeclaratis apparebit. Primo autem loco reuocandum est ad memoriam, ex his, quæ tum in tractatu de originibus diuinis tum in materia de prædestinatione Sanctorum diximus *in* 1. *sent.* secundum Scoti sententiam non esse in capessendis diuinis ordines quosdam à Scholasticis inuentos negligendos, sine quibus nec res ipsa aliter fieri posse intelligitur; quinam autem sint hi ordines, quæue signa; expressimus; dum etiam impartitam Dei agnoscentes voluntatem, impartitamq; scientiam diuersa tamen instantia, siue signa in actibus intellectus, & voluntatis constituimus, quæ signa, siue ordines potius dicendi sunt obiectorum ad inuicem, & ad diuinum intellectum, & voluntatem, quam intellectus, & voluntatis Dei, quorum ad extra vnicus est intelligendi actus, vnus volendi. Allatæ autem hisce locis doctrinæ addendum est, ordinem à scolasticis constitui inter intellectum, & voluntatem, inter actus intellectus ad inuicem, inter actus volendi ad inuicem. Inter intellectum, & voluntatem ordo sumitur ex ordine, & connexione formali potentiarum ad inuicẽ, etenim cũ suapte formali natura intellectus voluntati præponatur, saltem ordine naturæ voluntatem anteibit; is enim pro munere habet obiectum eligendum proponere, iuxta illud scolasticorum commune adagium, *nihil volitum nisi præcognitum*, quoniam voluntas numquam fertur in incognitum, hinc in diuinis etiam hoc modo intellectũ voluntati dicimus ordine quodam anteire sine prioritate, aut posterioritate vera tẽporis, quæ nulla est ibi. Inter actus diuersos intellectus ordo sumitur ex obiectis ipsis diuerso modo intellectis, & consideratis, cũ enim res, vel vt possibiles futuræ, sine affirmatione, vel negatione, & quo ad terminos dumtaxat intelligi queant, vel vt futuræ absolute quoad affirmationẽ, & negationem, & propositionum complexionẽ, fit, vt duplicem scientiam (indiuisa tamen Dei scientia, & essentia) in Deo Theologi collocarint, quarum eam, quæ res ad extra respicit, non vt absolute futuras, sed vt possibiles, non affirmando, aut negando, sed quo ad veritatem terminorũ dumtaxat, scientiam appellarunt naturalis, ac simplicis intelligentiæ, eam verò, qua res, vt absolute futuræ intelligi spectantur, scientiam visionis, ac liberam dixerunt. Recentes Theologi ex diuersa obiectorum partitione tertiam scientiam in Deo constituerunt,

Signa ad diuinorũ captum necessaria.

Scientia Dei quotuplex.

Scientia media Recentiorũ.

tuerunt, quam, & conditionatam, & mediam nominarunt, quaue res dicuntur, non vt possibiles solum, nec vt absolute futuræ, sed vt sub cõditione futuræ intelligi. Inter actus diuinæ voluntatis mutuandus est ordo ex ipsis obiectis ad voluntatem Dei eos dirigentẽ relatis, cum enim effecta ipsa sic se habeãt relata ad Deum ordinantem, vt quædã sint quasi aliorum effectorum finis; quædam verò sint ad finem illum ordinata, prius intelligetur volitum, quod ad nullum ordinatum, nec est alterius finis, postmodum verò ea, quæ ad aliud tamquam in finem reuocãtur, ita vt, exempli gratia, is constituendus sit ordo: Primo nosci, ac apprehendi dicuntur res à Deo, neq; sub certitudine, neq; sub incertitudine futuræ, nullo adhuc intellectode eis diuinæ voluntatis statuente decreto. Secundo res ipsæ à Deo volitæ, interque ipsas, primo illæ volitæ, quarũ gratia decretantur aliæ. Tertio intellectus diuinus, supposito rerum futurarũ decreto, certò res ipsas cognoscere dicitur. Vniuersa hæc ordinum doctrina ex ordinate volente patet, nisi enim quis præsciat quidpiam, quidpiam velle nõ poterit; in ordinata autem rerum volitione, primò sane finem eligimus, dehinc finis gratia optamus cætera, inter quæ proximiora fini primo, remotiora fini secundo, sensatè diximus in ordinata volitione, nam si agens liberum vellet res ipsas, non vt ordinari sunt natæ, sed pro suæ voluntatis arbitrio disponere, fortè non prius fini propinquiora, sed remotiora intelligeret. ac vellet, at is in ordinatus esset intelligens, ac volens, vide quæ diximus *disp. 6. de prædestinatione*.

Adnotãdi sunt ordines inter diuinos actus saltem ex nostro modo concipiendi.

118 Nota secũdò, tũ ex *1. d. 41.* tũ *ex 4. d. 19.* hisce signis à Scoto tã dilucidè nobis totum prædestinatorum negotium ob oculos volui, vt si quis in eo offenderit, lapidem sine lapide sole meridiano cæcutiens offendat. In primo signo Deus se se sub ratione summi boni intellexit, ac voluit. In secundo alia à se cognitione, quam Scotus possibilium, nos verò simplicis intelligẽtiæ dicimus, intellexit. In tertio quos voluit ad gloriam decreuit, horumque Principem Christũ iuxta doctrinã Pauli *Col. 1. & Rom. 8.* vocantis Christũ primogenitũ omnis creaturæ, & primogenitum in multis fratribus, mox B Virginem, cæterosque eximiæ sanctitudinis viros, non ita tamen, vt secundum singulos electos distinctionem patiatur hoc instans, sed vt pro eodem signo electi sint singuli, inter quos præcellens Christus honore primus dicitur. In quarto decreuit media, & gratiam electis, nedum absolute, sed tantã, inque tot gradibus, & proinde Christo summam, hominibus secundum exigentiam diuersam, quibus duobus signis tertio scilicet, ac quarto nullum Deus circa reprobos habuisse intelligitur actũ aut electionis ad gloriam, aut volitionis ad pœnam, sed negatiuum dumtaxat. In quinto permisit Deus vniuersam hominis naturam Adamo peccante in peccata dilabi; in sexto remedium, medicinamque paraturus Christi mortem, ac passionem decreuit, ita vt illa prima voluntatis electio, primumque illud de Christi aduentu decretum à quocumque modo aduentus præscinderet, neq; intelligeretur ex vi illius Christus prædestinatus in carne hac, vel alia, passibili, vel impassibili, quæ omnia admodum aduentus, non autem ad ipsum referuntur aduentum, quemadmodum, & in humanis constat, nam si cras decreuerim ire Romam, hoc ipso decreto, non statim constituitur itionis meæ modus, in quadrigis, vel equo, aurata, vel humili veste, decretum namque de profectionis modo, decretum de profectione suaptè natura subsequitur. Vltimo signo hominum demerita prænoscens, exilemque perceptum ex eius liberalitate prouentum, supplicijs mancipari præscitos decreuit æternis. Hæc est sincera Scoti sententia de ordine electorum, quam in hac disputatione insequemur: Quod si quis relectioni nostræ de prædestinatione subscribere se voluerit, quæ Deum aliquid denuo velle cõstituimus, quod noluit, sine sui alteratione, & mutatione, alij ordines sunt apponendi, de quibus nihil in præsentia.

Alia obseruatio.

Scoti signa in electi. prædestinatorũ apprimè notãda.

Colos. 1. Rom. 8.

De his signis vide Scot. in 3 d. 19. & in 1. dist. 41.

119 Scio Ochamum, & Gabrielem allata signa toto spiritu euellere, & toto stomaco in Scotum ferre, quia vnus est actus in diuinis re, ac ratione indistinctus ab ipsa essentia diuina, qua vnica notione omnia præuidit, omniaque voluit, nec est dicendum esse ibi ordines saltem

Ocham. Gabriel.

secun-

secundùm imaginationem nostram; quid enim est asserere ex nostra imaginatione esse ibi ordines? An verè nostra imaginatio imaginatur esse ibi verè tales ordines? An autem nostra imaginatio secundùm se priùs considerat Christi prædestinationem, mox aliorum? si primum, imaginatio nostra fallax est eò ordinem impingens, vbi nulli prioritatis ordines; si secundū, ergo sunt ordines nostri intellectus, non diuinorum, imò nihil ad diuina conferentes, alioquin me prius intelligente personas, quàm essentiam, personæ essent essentia priores, quod est falsum. Insuper, si hi ordines constituti vero essent similes, priùs nempe prædestinatos electos ad gloriam, sequitur, si Christus non fuisset passus, nihilominus futurum, vt saluarentur electi, quod est falsum. Hisce, & consimilibus ab Ochamo, & Gabriele *in 3. d. 19.* allata doctrina tentatur dubie, inani tamen labore, ac studio, quoniam vtique fatemur, verè vnicum Dei voluntarie actum, ac ex ratione obiectorum volitorum, prout transitione diuini actus, vt ita dicam, diuersa ratione concipiuntur terminare, ordines prioritatis in Deo ponimus, nullam successionem prioritatis, ac posterioritatis temporis agnoscentes in Deo, sed naturæ duntaxat, vel originis, loquendo ad intra; porrò prioritatis, ac posterioritatis vocabulum Deo tribuendum, nec nostrum est, nec nouum commentum, sed ex Augustino, & Patribus manauit, vt disertè probatum est *disp. vlt. de diuinis product. in gen. cap. vlt.* Ex his allata argumentatio Gabrielis enodatur, nec enim nostra imaginatione duntaxat sunt ordines in Deo, sed voluntatis ad intellectum suaptè natura; actuum voluntatis ad inuicem ex obiectorū diuersitate, siue ex diuersa actus in obiectum tendentia, licet ipse idem omninò immutatus perseueret actus, non proinde aut imaginatione fallimur, aut ordines diuersorum actuum, vbi vnicus est actus, inducimus. Ad quod vltimò affertur, libentissimè concedo, futurum vt saluarentur ex vi illius primi decreti electi, nisi peccasset Adamus, nisique Christus in carne mortali passus esset: at nego futurum, vt non per Christum saluarentur electi, is enim, qui stante peccato, vt redemptor aduenit, vt glorificator, vel alio modo homini profuturus aduenisset. Alia, quæ essent prænotanda ex *tract. de prædest.* promuntur.

Responde tur argumētis Nominaliū.

Augustinus.

120 Assero primùm. Ante præuisionem, ac permissionem culpæ prædestinatum Christum efficaciter ad gloriam, & gratiam, proindeque non peccati merito electum. Assertio ijsdem auctoritatibus, ac argumentis probatur, quibus in vniuersū, ac generatim præijsse, ac præpositā Sanctorū electionē præuisioni peccati docuimus *in primo in tract. de prædest. disp. 6. 7. & 8.* & rursum *disp. pecul. de prædestinationis caus.* quæ si de cæteris vera esse electis probauimus, ex quo Christum pro eodem signo electum dicimus, & prædestinatorum principem cum Apostolo confitemur, multò verius ea de Christo protulimus, vnde in hunc modum licebit arguere: Adam non est prius, quàm Christus prædestinatus ad gloriam, sed Adam prius electus est ad gloriam, quàm præuisus fuerit ruere in peccatum, ergo Christus multò magis ante præuisionem peccati prædestinatus est ad gloriam, & gratiam. Maior elicitur ex locis Diui Pauli citatis, quibus Christus dicitur Caput, & Princeps, & Primogenitus prædestinatorum. Minor ex disputationibus citatis probatur; Ordinatè volens prius vult finem, quàm media, quæ inter finem ponuntur, vel finem inducunt, vel prohibēt; sed gloria erat finis Adæ, gratia medium inferens, peccatum medium impediens, ergo Deus ordinatè volens prius dicitur Adæ gloriam voluisse, quàm gratiam, & permissionem peccati, quæ cùm sint opposita ad eundem ordinem spectant, alterum quidem inferendo, alterum auferendo finem. Maior subducta probatur experimento; nam ædificaturus domū primò ipsum domus ædificiū decernit, mox media disponit, & impedientia seponit; Deus igitur ordinatissimè agens, non diuerso modo dicitur voluisse. Scio Caietanum multis assertionem propositam in hac maiori conari infringere, & inde præsertim, quòd cùm Deus sit liberum agens, potest non velle finem, nisi per hoc medium, nempe peccatum. Scio alios cum Medina, idcirco maiorem illam paucifacere, quia Deus non tenetur primò nobilius, quàm ignobilius decernere, potens ex sua libertate eligere alte-

Assertio prima.

Persuadetur.

Argumētū Scoti. Achilles, cui nusquā sit satis.

Caietani, ac Medinæ oppositio.

te alterum altero prius. Scio autem è conuerso maiorem non absolute latam de volēte, sed de volente ordinatè, quod est autem ordinatè volens nisi id, quod primo vult primo volibile? igitur maior illa vera est, cum finis ad media relatus sit volibilis magis, & Deus sit ordinatè volens: quod autem Deus aliter possit loquendo de Dei potestate, secundum quam ordo spectatur à Deo rerum cōstitutus, nec etiam concedo, quoniam implicat esse ordinatè volens, & alio modo velle, quam sint res ipsæ volibiles, neq; proinde Deus diceretur teneri, quia hoc sua perit natura, & essentia, vt libere volens non possit non ordinatè velle; alioquin nō esset Deus si inordinatè vellet; non loquor autem de volitione ordinata ea, quæ respicit ordines ab alio præscriptos, cum nullus ordo à Superiori præscribatur Deo; sed loquor de ordine constituto ab ipsomet Deo, vel à rerum exigentia; quemadmodum filiū dicimus nos generare non posse, quia inordinata esset illa generatio, at non obinde Filium Patre impotentiorem dicimus: quare in sensu composito esse ordinatè volens, & velle finem post media non cohærent; esset namque idem volens ordinatè, & inordinatè: de absoluta autem Dei potestate non loquor in præsentia. Sed reuertamur ad nostra.

exponitur quid sit ordinatè velle?

22 Indecens est, & inuerisimile omnino bonum maius ordinari ad minus, at vita Christi, eiusque inhumanatio, & gloria longo tractu maius est bonum salute, & gloria Adami, ergo indecens, & inuerisimile est Christi inhumanationem, & gloriam ordinari ad Adami salutem, ordinata autē ad eius salutem fuisset opposita sententia concessa. Nec satis est dicere Christum volitum, & prædestinatum in libri capite, iuxta illud, *in capite libri scriptum est de me*; vt causam gloriæ, & gratiæ Adami, vti respondet Medina, ordinate autem volens prius vult causam, quam effectum, nostrūq; peccatum vt in massa absolutè ante præuisum; nā hæc ex responsione, in qua, vt mox ante oculos ponam, multa inuoluuntur falsa, sequitur positionem aduersariorum ruere, nam si Christus conceditur prædestinatorum caput, quonam modo asseri potest prædestinatus in remedium peccati primi hominis? Vt quid enim primus ille homo quærebatur sanari, nisi vt saluaretur? prædestinata erat illi igitur prius gloria; si ergo Christus ad salutem eius est prædestinatus, Christus non est primo prædestinatus, quia prædestinationis eius finis est aliena salus, quam ordinatè volens tenetur primo velle, quam media, redietque proinde argumentatio prior. Illud autem, vt cætera mittam, inuoluitur in hoc Medinę responso falsitatis, quod causam prius esse voliram docet, quam effectum, cum hoc in vniuersum philosophandi rectam viā destruat; quid namque effectus nisi finis? quid causa nisi mediū? quare quirūque asserit prius esse volitam effectu causam, mediū fatetur prius fine volitū, & ex altero principio refellitur. *Ordinatè volens prius vult finem &c.* Quod & exemplis verum esse demonstrant, & ex Aristotele elicitur *7. meth. cont. 27.* Non me prætereit Recentes quosdam nullum sibi super esse dignoscentes effugium ad distinctionem sese conferre, & alterum principiū concedentes de phisica causa, de morali negare; sed isti, vt gratis loquentes gratis etiam vnico in oppositum exemplo adducto refelluntur. Certū est sacram ēta gratiā cōferre, at non phisicè, sed moraliter, & nihilominus baptizaturus primo animam abluere intendit à sorde peccati, mox corpus externa ablutione lauare. Sed isti fortasse aduersarentur negādo sacramēta esse morales causas. Age quid de carnis maceratione dixerint, quā ad gratiam à Deo impetrandam adhibent fideles? nunquid non primo gratia optatur, cuius merito maceratur corpus? an verò illam quoque gratiæ phisicam dixerint causam? Alterum in responsione altera censura non caret, quo constituitur ante Christi prædestinationem non Adami, sed absolute, & in cōmuni humanæ speciei peccatum fuisse præuisum; numquid enim humana species à singularibus præcisa peccat? Certè humanæ naturæ massa nec culpæ, nec meriti capax est; nam, & deficiendo peccata, & efficiendo merita singulares homines inducunt, suntque hæc omnia suppositorum, siue indiuiduorum propria; quod, si quandoque Patres perditam humanæ gentis massam afferunt, non de humana specie à singularibus præcisa, sed vt in singularibus loquuntur, vno verbo

Probatur fortius assertum ratione.

Psal. 39.

Medina confutatur.

Adhuc validius vrgetur Medina.

Recentiorum quorundam effugium.

Tollitur exemplo de causa morali vera.

noo ſpeciem, ſed ſingularia ſpeciem participantia perdita eſſe eo loquendi genere ſignificant, neque in hiſce moralibus dao da eſt hæc ſpeculandi licentia, in quibus ſubtiles, & elegantes ſpeculationes euaneſcunt.

122 Rurſus reuertamur ad noſtra. Da mihi aſſertionis huius falſitatem, harum conſecutionum veritatem date tenebris, quas tamen eſſe falſas probabo ſtatim. Prima eſt; Chriſto gaudendum eſſe de noſtro peccato. Secunda; Incarnationem Chriſti non abſolute bonum, ſed occaſionatum bonum. Tertia; peccatū diuinam voluntatem mouere ad bonū, quæ ſingulæ deducuntur primo, mox probantur. Prima deducitur, quoniam ex peccato nactus eſt ſuæ gloriæ occaſionem Chriſtus, quare illi eſſet de peccato gaudendum, anima eius enim nec eſſe, neque gloriam, neque gratiam accepiſſet, nullo exiſtente peccato. Secunda tam lucidè ſententiam oppoſitam ſubſequitur, vt probatione non egeat, nam ſi occaſione peccati electus eſt Chriſtus, eſt igitur electio Chriſti, eiuſque inhumanationis præſtantia occaſionata à peccato. Tertia pariter deducitur, nam ſi ad ſolam hominis grauantem luem extinguēdam deſtinata eſt Incarnatio, hoc igitur fine ducta diuina voluntas eam præſcripſit, quare peccati ratio ſola formaliter Deum ad hāc voleudam illexit, vt ita dicam. Nunc ſingularum falſitatem probo. Primæ conſequentiæ falſitas legenda eſt Aduerſarijs apud Diuum Anſelmum *lib. 2. cur Deus homo cap. 18.* qui tamen ex dictis in ſuperioribus conſtitui debuerat Aduerſariorum in hac diſputatione Patronus, hæc habentem, *nulla eſt anima in Cælo, quæ ſibi perſuadeat ſine alterius peccato non futuram fuiſſe beatam, alioquin* (ecce locutionis Anſelmi ratio) *gaudendum eſſet hominibus de peccato ſuo*. Neque plene faciunt aduerſarij ſatis occurrentes præuiſionem peccati non fuiſſe electionis Chriſti præciſam cauſam, ſed cum ea concurriſſe Dei miſerentis pietatem, qua voluit humanū reparare genus. Non, inquam, planè faciunt ſatis, nam & hæc ipſa Dei miſericordia Chriſtum non elegiſſet, niſi occaſione peccati, peccatum igitur propria Chriſti electionis cauſa foret cenſenda, ſ teurreritur proinde argumentum. Falſitas ſecundæ conſecutionis probatur petendo, an voce, & nomine occaſionati boni intelligi velint exile, & leuis ponderis bonum, quod ſecundum ſe amabile non eſt, vel magnum bonum occaſione tamē alterius commodi volitum: quodcumque dicatur falſitas illa probabitur. Si primum: hoc parum cum fide cohæret, ſacrum hoc Incarnationis miſterium inter cætera à Deo hominibus præſtita maximum docente, vt patet ex Patribus, quorum vna illa auditur vox, nihil iam amplius à Deo poſſe humanā conditionem expectare. Si alterum aſſeratur, inſurgo, ſi Incarnatio eſt inter cætera præſtantiſſimum bonum, ergo non alterius occaſione deſtinatum, conſecutio deducitur, nam alioquin eſſet accidentaliter volitum, abſurdum eſt autem dicere bonum præſtantius accidentaliter eligi, & nō eligi, niſi in ordine ad aliud, nā vel ſequeretur aliud illud eſſe maius bonum, vel ſequeretur maius bonum ordinari ad minus, & ſic ſuaptè natura non eligi, ſed in ordine ad aliud, quorum vtrumq; eſt falſum, & certè ſi occaſione peccati facta eſt Chriſti electio, cum peccatum accidentaliter contigerit, & accidentaliter ex dictis ſit cum reparatione cōiunctū, accidentaliter quoq; Chriſtus electus fuiſſet. Falſitas tertiæ conſecutionis inde patet, quia peccatum formaliter bonum non eſt, ſed malum, at malum non eſt diuinæ voluntatis obiectum, niſi ſub ratione boni, alioquin cum ex diuina voluntate prodeant res volitæ, proderet à Dei voluntate peccatum, quod eſt falſum, non eſt enim auctor peccati, & mali Deus. Quæcumque ex Caietano cōtra ea, quæ diximus ferri poſſunt de ordine naturæ, & gratiæ ſatis ex Fabro, & Rada falſa eſſe conuincuntur; quæ, ne inutiliter repetentes fusè nimium vagemur, conſultò omittimus, quamuis, & ipſa Fabri, & Radæ doctrina poſſet correctionem pati, ſed non ſuor ſingula refellenda (quidquid dicat Vaſquez, qui *diſp. cit.* prolixionis hanc cauſam eam excogitauit, quia niſi ſingula refellas, nihil feciſſe videaris) ne inutiliter cum ipſo folia locupletemus. Vaſquez ad diluendū Scoti argumentum illud, ordinatè volens, prius vult propinquiora fini, quam remota magis, Chriſti autem Incarnatio fini propinquior eſt cæteris, ergo primo volita

Probatur inſuper aſſertio noſtra ex ſequelā incommodorū.

Anſelmus.

Obiectio.

Confutatio.

Occaſionatum bonum quid ſit.

Contra Caietanum vide Noſtra tes.

Radam, & Fabrum.

Vaſquez occurſus.

sita ante peccatum, quod est remotius; sex capita coaugmentare non erubescit, aliorum in eius dilutione responsa refellens, qua in re gratias agimus, & 6. cap. per totum ex propriis respondens eò devenit, vt velit finem cuius gratia Incarnationis Christi esse nostram redemptionem, ac salutem, finem cui esse hominem lapsum, neque in conueniens arbitratur hic auctor nobilius ordinari ad nobile minus, immò decentissimum hoc putat ad ostensionem summæ bonitatis, quæ in eo elucescit magis, quia nobiliori pretio, & maioribus expensis, nempe Christi sanguine, nos redemit, gloriam autem Christi non arbitratur esse finem Incarnationis, nisi impulsiuum, & allectiuum; proponendo filio gloriam, quam ex hac restauratione comparaturus erat.

Refellitur Vasquez. 123 In his quæ Vasquez refert, à cuius cõfutatione supersedendum duxeramus, nisi citata verba extrema illius disputationis stomacum fecissent, vix credas quam grandia inuoluantur errata, quæ, qua ratione cum recto fidei sensu cohereant, non video. Asserit Vasquez Christum prædestinatum hominem propter nos: asserit Paulus homines electos propter Christum, at hæc duo pugnãt ad inuicem, nimirum Christum esse causam finalem nostræ electionis, & electionis Christi nos esse finalem causam, alioquin esset simul Christus primus, & non primus prædestinatorum. Porrò Christum esse prædestinatorum Principem diserte docet Paulus ad *Coloss.* 1. vbi Christum Imaginem Dei inuisibilis vocat, & omnis creaturæ primogenitum. Sed fortè Vasquez non veretur negare Christum esse ita primogenitum, vt propter ipsum conditi, & electi sint cæteri, ita enim loquitur *disp.* 11. *cap.* 10. *num.* 125. vt velit Christum dici primogenitum, non ratione electionis, sed ratione dignitatis, iuxta declarationem Hieronymi superius allatam. Quod si dicantur (inquit Vasquez) omnia in Christo, & per Christum condita, hoc verum est relatum ad Diuinitatem; in filio namque vt Deo facta sunt omnia.

Coloss. 1.

Christus quomodo primogenitus ex Vasquez

124 Hæc tamen explicatio violenta satis diiudicabitur à quocunque patienter Pauli verba perpendente. Et in primis Christum vocari à Paulo ibi primogenitum quà homo est, non quà Deus, liquet ex Patribus, Chrysostomo *in cap. 8. Epist. ad Rom.* Hieronymo, & Anselmo *loc. cit.* & ex Ephesino Concilio *cap. 4.* vbi Christus dicitur vnigenitus vt Deus, primogenitus vt homo: Christum etiam hominem dici primogenitum non ob solã dignitatem, sed etiam in electione Dei, ex ipsa verborum Pauli contextura deducitur: subdit enim Paulus, quasi Christi primogenituræ rationem reddẽs: *quia in ipso condita sunt vniuersa, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, vt sit ipse in omnibus primatum tenens &c.* Quod si Hieronymus ait, Christum ratione excellentiæ, & dignitatis vocari electorum Principẽ, hoc non ideo dicit, quasi vero propter nos Christum arbitretur electum, cum nos in ipso electos doceat Paulus; sed quia cum omnes electi sint in eodem signo, non est putandum signum illud diuidendum esse in alia signa, vt diximus, vel dicendum ratione excellentiæ dici Christum primogenitum, at non obinde negari dici causam finalem, immò ex hac excellentia, ac præstantia concludi magis esse prædestinatorum finem, quoniam finis præstat cæteris. Præterea verba illa Pauli, *in ipso condita sunt omnia &c.* violenter pati relationem ad diuinitatem patet ex eodem Paulo, qui mox vt Christum dixit primogenitum, rationẽ reddens per particulam *quia*, siue *quoniam*, quæ est redditiua causæ, multiplicem tulit, & ait primo. *Quia in ipso cõdita sunt omnia;* quæ si referãtur ad Deitatem, Pauli ratio nulla est, ex illa namque primogenitura inter homines, secundum quam homo erat, non probatur. Deinde cæteræ particulæ subsequentes dilucide de Christo homine loquuntur, vt quid igitur hæc vna inter alias multas particula ad Diuinitatem redigenda est? At (amabo Vasquezium) quid si hanc ei licentiam interpratandi de vna illa concesserimus particula, pro cæteris particulis respondi, vel potius figmenti somniabit? Paulus ait, Christum primogenitum, quia caput corporis Ecclesiæ, at (ego inquam) sciscitor Vasquezium; caput ne propter membra, an membra propter caput eliguntur? enimuerò, nisi noua me aliqua fallat philosophia, caput ideo cõpositi caput,

Chrysost. Hieron. Anselm. Concilii Ephes.

Interpretantur verba Pauli.

quia Princeps, organorum Regia Sedes, sensuum domicilium, animi habitaculum, si ergo Christus est caput, membra homines, an homines propter Christum, an Christum dixeris propter homines electum? Agite, insequamur alia. Postrema ratio Pauli, qua Christi primogenituram inducit est, qui hisce verbis aperuit, *vt sit ipse in omnibus primatum tenens*. At quonam modo (ego inquã) primatum teneret in omnibus, qui in electione primatum non haberet? Adducerem contra Vasquezium Ruperti

Rupertus Abb.

Abbatis de hac re præclarum elogium, *lib.* 13. *de gloria Trinitatis cap.* 2. verbis hisce conflatum. *Reuerenter, ac rectius dicitur non hominem propter Angelos, sed propter hunc hominem Angelos; cæterosque homines factos*, nisi plane aduersarij nota mihi consuetudo Auctorum, & grauiorum Patrũ contemnendi sẽtẽtias à proposito remoraretur. Demum non satis benignè, ac patienter audio, gloriam Christi fuisse finem allectiuum, & impulsiuum, quasi verò debuerit hisce blanditijs verbum ad induendam humanæ carnis miseriam destinari. Hæc contra Vasquez Recentem auctorem, cuius placitum Recentes non referunt, nos retulimus præstita ab auctore ipso occasione vt aliquid fecisse videremur. His adde auctoritatem Pauli *Heb.* 2. qua mortis

Heb. 2.

Christi congruentiã præstans hæc habet *decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consumari &c.* Habet ex his Vasquez, dum à Paulo dicuntur omnia per Christum, & propter Christum volita, non loqui Paulum de Christo vt Deo, sed de Christo homine, nam Christus vt homo, non Christus vt Deus per passionem consumptus fuit. Habet etiam Christum multos filios adduxisse in gloriam, non solum per passionem, quia nondum de ea loquitur Paulus, sed per electionẽ, & causalitatem finis, nam ante mortem de facto in gloriam adduxit neminem, nisi in electione Dei. Nescio an auctoritati huic figmentum, ac somnium copulabit Aduersator: Habes ex his quid

Vide infra.

contra Lugo dicas itidem cum Vasquezio sentientem disp. 7.

Assertio 2.

125 Assero secundò decretum de Christi aduentu in carne passibili subsecutum fuisse præuisionem, permissionemque peccati, ita vt Christus electus fuerit redemptor præuiso, ac permisso peccato. Hanc assertionem fides constituit in Nicena Sinodo, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis*;

Symbolũ Nicænum

descensus igitur Christi à cælis de facto propter homines factus est, & factum ipsum secundùm exigentiam vltimi illius decreti completum est. Hanc eandem assertionẽ constituit Paulus *l. Heb. c.* vbi docet Christum voluisse per omnia fratribus assimilari; at quicunque alicui assimilatur, illum cui assimilatur, vt finalem exposcit causam, ergo prius homo præuisus est mortalis, & peccati merito passionibus obnoxius, dehinc verò præordinata est Christi passibilis caro, & mortalis. Probant hanc assertionem Patres illi, quorum testimonijs totum caput quintum decimæ disputationis Vasquezij impletur, quæ non plus probant, quàm Deum destinasse Christum in nostræ carnis indumento, vt salutem recuperaret humanam; ita loquitur Hieronymus in *cap.* 2. *Ecclesiastis*, *quia homo infixus in limo peccati maiori indiguit auxilio, idcirco venit ipsa sapientia, &c.* ita Aug. *lib.* 1. *de peccatorum meritis cap.* 26. *Apparet Dominum Iesum Christum non aliam ob causam in carne venisse* (supple tu passibili, & mortali, in hac enim aduenit) *nisi vt saluos faceret, &c.* ita Alex. Cyrill. 5. *lib. Thes. cap.* 10. *Sciebat mortales nos futuros per peccatum, ideo, &c.* ita alij, quorum placita mutuari ex loco citato possunt. Rationes ad assertum ex facto colligas, vt Patres probarunt; quia enim fide decernitur Christum hominem mortalem factum, & mortis cruentæ periculũ subijsse propter homines; aduentum in hac carne Christi passibilem propter homines sentiendum est esse decretum; adde ordinem executionis esse ordini intentionis oppositum; vt quæ primò intendantur, extremo compleantur loco, vt experientia mõstrat in ædificatore domus, qui etsi primò optauit domus ædificium, postmodum segmenta decreuit, & ligna; exequendo tamen, ac perpetrando fabricam, primò segmenta, ac ligna parat, mox ipsam domus perficit structuram. Sed executionis ordine primo Christus in carne passibili, & mortali aduenit, mox salutem recuperauit humanam,

Heb. 2.

Probatur auctoritate.

Hyeron.

August.

Cyrillus. Alex.

Probatur ratione.

manam, quam non nisi ex morte recuperauit, vt canit Ecclesia. *Qui mortem nostram moriendo destruxit.* & alibi, *Mors mortua tunc est in ligno*, *&c.* Ergo prius permissa erat humanæ naturæ iactura, & mox Christi recuperatoris constitutus aduentus. Adde mortem Christi non præseruatiuam solū morbi medicinā, sed curatiuam potissimè dici, ipse enim, vt homines curaret, magnus è cælo medicus venit: at curatiua medicina morbo præuiso paratur, ergo hæc passibilis Christi carnis accessio, ac destinatio non prius volita, quàm præuisum, permissumque peccatum. Quod si petis, cur si Christi incarnatio ante peccatum præuisum præuolita fuit, non item ante peccatum passio? Iam tibi responsum accommodauimus, quia passio vt medicina parata est curans, quæ morbum subsequitur, nō præcedit. Adde incarnationem esse bonum per se amabile, vt summum bonū, inter effecta extrinsecus, passionem verò non per se amabilem, sed pro redemptione humana.

Ecclesia in præf. & in an.

Petitioni satisfit.

126 Hunc in locum subrepit scrupulus, Numquid stante primo decreto de Christi aduentu ante præuisum peccatum, ex vi eius Christus aduenturus fuisset in passibili, an verò impassibili carne? Ab hoc scrupulo exempti sunt; qui Christū in remedium peccati duntaxat electum volunt; nos verò, qui oppositum sentimus, præfata dubitatione vexamur. Sunt qui putent in eodem signo Christū fuisse prædestinatum ad gloriam, & ad passionem, proindeque veliut ex vi illius primi decreti futurum fuisse, vt hominum redemptor in passibili carne, & mortali veniret. In hanc sententiam Faber citat Suarez *in disp. 5. sect. 3.* reuera tamen hæc est aperta impostura, cum Suarez hanc quidem opinionem arbitretur probabilem, sed oppositam duplici dicto propugnet. Habet hæc opinio in Patrū locutionibus non leue fundamentum; nam Ireneus, & Cyrillus, ille quidem *lib. 3. cap. 33.* hic autem *lib. 5. thes. cap. 8.* hoc profitentur apertè, vnde Cyrillus *Præfundatur ante nos Christus ante initium mundi in præscientia Dei, vt cum ordine diuino benedictio, malectionem antecesserit &c.* & Ireneus *prædestinauit*, inquit, *Deus alienū hominem, vt à spirituali saluaretur, quia cum præexisteret saluans; oportebat, vt saluaretur, vt non vacuum sit saluans.* Hæc ille.

Dubium magni pōderis, qua carne aduenisset Christus, si nō peccasset homo.

Faber perperam citat Suarezium.

Ireneus.

Cyrillus.

Ireneus.

127 Iuānes Rada *cont. 5. 3. p. art. 3.* dupliciter huic dubitationi occurrens duplici respōsione adiectū euodare dubiū conatur. Primo ait, ex quadam rationis necessitate, & ex quadam resultantia naturali secuturum tunc ex vi illius decreti, vt Christus impassibilis adueniret, quāuis de hac impassibilitate nullum habitum eo signo decretum fuisset: quod si illi obijcias, ergo decretum quarti signi de aduentu in carne passionibus subijcienda aduersarum est decreto illi primo. Non valet (inquit Rada) quia impassibilitas in primo signo non fuit decreta, sed secutura fuisset ex naturali resultantia, & Christus non fuit eo primo signo formaliter, sed causaliter impassibilis: idest habuit impassibilitatis causam. Secundo ait futurum tunc, vt Christus venisset quidem ex vi decreti illius, sed præciso peccato neque mortalis, neque immortalis ex vi illius, sed sicuti diuina voluntas determinasset: Ita vt secundum rei exigentiam liberum fuerit diuinæ voluntati mortalem eum, vel immortalem mittere.

Rada.

128 Faber *disp. 20.* etsi in solutione quinti argumenti principalis *cap. 5.* respondens Vasquezio neget primo illo decreto constitutum Christi aduentum in carne immortali, etsi etiam *cap. 4.* decretū de modo aduentus in quartum signum referat; tetur tamen *cap. 5. in solut. 1. nu. 32.* tunc futurum fuisse, vt incarnatio adimpleretur in carne impassibili, & immortali.

Faber.

129 Nonnulli alij, etsi putant incarnationem volitam in primo signo, & redemptionē in quarto signo, dubitatione conuicti arbitrantur, tunc futurum fuisse, vt incarnatio non fieret vllo modo, quoniam Incarnationis modum putarunt necessariò in ipsius Incarnationis decreto inuolui.

130 Singulæ tamen opiniones proprijs vrgentur dubijs. Prima opinio cuiuscunque sit refellitur; nam implicat quidpiam eligi in remedium alicuius, nullo supposito morbo; at Christi passio remedium est, ac medicina peccati: ergo implicat nullo existente peccato mori Christum, esseque redemptorem, cuius enim esset redemptor, nullo existente perdito? sed in illo primo signo nulla

Eluditur prima opinio.

erat

erat peccatum: ergo nullum remedium: Quod si dicas, at primum illud signum connexionem, ac ordinem habuit ad aliud, quo præuiderentur peccata, in easdem dilaberis difficultates, quas superiori asserto produximus; quarum ea potissima est, non fuisse Christum electum, nisi in ordine ad remedium, quod dictum est falsum esse. Et confirmatur ratio, quia si illo signo dicatur Deus voluisse Christum efficaciter redemptorē, ergo dicendus Deus est voluisse efficaciter peccatum, cuius namque voluisset redemptorem Christum, nisi hominis ob peccata à gratia excisi? atqui Deum efficaciter velle peccatum non probant Theologi, ne dicant Christum esse mali causam. Adde Christum ex Paulo *Heb.* 2. ordinatum fuisse passibilem, vt nobis fieret similis; at tunc in primo instanti, siue signo non poterat nobis similis fieri ex dictis, alioquin nos Christi electionis causa finalis essemus, non autem nostræ electionis Christus, quod falsum esse ostendimus: quare non poterat in illo signo prædestinari redemptor, & in carne mortali, nisi quis vellet conditionatum in Deo decretum ponere, quemadmodum conditionatam comminiscuntur in Deo Recentes scientiam, ita vt prædestinatus dicatur Christus redemptor, si homo peccasset, sin minus peccasset glorificator hominum, non redemptor; de quo decreto, & scientia nonnihil dictum est in primo.

Heb. 2.

Occurritur Sanctorum auctoritatibus.

131 Auctoritatibus autem Irenei, & Cyrilli occurrendum, Cyrillum quidem nihil vltra probare, nisi præelectum Christum ante homines, quod sponte nostra fatemur, dum Christum electorum caput cum Paulo confitemur; at non obinde ex Cyrillo colligi prædestinatum Saluatorem, ac redemptorem, etenim verba illa, *benedictio maledictionē antecesserit*, non sunt de benedictione restauratiua intelligenda, sed de electiua, vt sit sensus, *benedictio maledictionem &c.* hoc est, electio peccatum antecessit, quod verum esse concedimus, at si inde elicias, ergo Christus prædestinatus est redemptor, consecutionem nego: colligere potes ad summum, ergo Christus prædestinatus est benedictio, quo sensu benedictionem pro benedictione glorificationis vsurpando, concedo sequelam; distinctionis huius ratio ex modo loquēdi ipsius Cyrilli emanat, ait enim Cyrillus, *præfundatur Christus ante nos &c.* vt *antecesserit &c.* vbi obserua particulam, vt, non esse redditiuam causæ, quasi vero dicatur ideo Christus electus, vt nos saluaret, alioquin esset grammaticæ incongrua locutio per præteritum, quæ constitui debuisset per imperfectum, hoc modo, præfundatur, vt antecederet; quo sensu posset illa particula rationem finis explicare, in sensu autem allato à Cyrillo particula præfata modum potius, quā finem describit, estque sensus: Christus est prædestinatus ante nos, & proinde benedictio maledictionē antecessit; quo modo explicata auctoritas nullum nobis disputandi laborem facessit. Irenei etiā auctoritas est de modo prædestinationis, non de prædestinationis substantia intelligenda; nā hominis vniuersalis prædestinatio non est ad saluandum per Christum, sed simpliciter ad saluandum, prædestinatio autē ad salutem per Christum saluantem est prædestinatio de modo, non de facto, qua in re, & nos consentimus, modum & circumstantias habendi gloriam, & gratiam fuisse per Christi mortem, non autem in illo primo signo, sed in quarto, vel quinto, iuxta doctrinam in obseruationibus accōmodatam.

Explicantur verba Cyrilli.

Irenei sensus aperitur.

Refellitur Rada.

132 Prima Radæ interpretatio, quamuis communi Scotistarum arrideat placito, arridere mihi non potest, tum quia absolute venturum fuisse Christum in impassibili carne absque alio decreto, si Adam non peccasset arbitror inuerosimile esse, vt mox probabo opinionem meam explicaturus; tum etiam, quia, quamuis de facto nunc non dicatur subsecuto peccato quarti signi decretum obuiasse directè decreto primi signi, at certè oblique saltem obuiasset, fuissetquè illi contrarium; quoniam necessario ex ipsius Radæ sententia impassibilitas in illo decreto inuoluebatur, quamuis ea non fuisset directè decreta; at ego obliquitatem aliquam in diuinis illis actibus (eo modo, quo vnus idemque diuinus actus dici potest nostro modo concipiendi plures) ita vt imperfectionis ibi aliqua vel leuissima species inducatur, non concedo, nec concessero vnquam. Altera Radæ interpretatio Catholi-

cholica ſatis eſt, dum propriæ tenuitati non confitens, iuxta Pauli *Rom. 9.* effatum. *Quis nouit Domini ſenſum*, veritatis huius negotium ad liberam Dei voluntatem reuocat: Scolaſtici tamen diſputationis ſtudio, quamquam non eò tendant, vt plus ſapere petant, quam ſapere ſit opus, ſed vt diuinam liberalitatē, & gratiam pluris faciant, non erubeſcerent proprium aperire ſenſum, quem melius edocti parati eſſent corrigere.

Rom. 9.

133 Fabri interpretatio diſtinguenda eſt, nam dum aſſerit venturum fuiſſe tunc Chriſtum in impaſſibili carne; hæc propoſitio vel intelligitur ita, vt Chriſtus ex ſolius decreti illius primi vi eſſet in impaſſibili carne venturus, vel ita vt in carne impaſſibili venturus eſſet ex vi alterius decreti, quod factum fuiſſet: ſecundus hic ſenſus eſt omnino verus, ſuppoſito quod aliud futurum fuiſſet decretum; primus autem ſenſus eſt omnino falſus, & pari ſtudio corrigitur, ac prima interpretatio Radæ, cum qua ſenſus ille conuenit omnino.

Fabri ſententia corrigitur.

134 Auctores vltimo loco adducti è ſententia volentes decidunt, nam aſſerere non venturum tunc Chriſtum fuiſſe ſupponit, vel Chriſtum non abſolute electum prius, quod tamen ipſi negant, vel decretum efficax illud non fuiſſe, quod negant ipſi pariter, vel denique decretum efficax poſſe irritari, quod falſum eſt, & hæreticum, niſi quis in relectionē noſtram de electione iuſtorum ad gloriam deſcendere voluerit, de qua tamen hoc loco ad antes Scoti loquentes ſuperſedemus.

Reijciuntur auctores tertiæ ſententiæ.

135 Ego arbitror non poſſe propoſiti dubioli nodum vno ictu ſecari, ſed diſtinctiori incedendo tramite diſtinguendū, vel enim intelligimus Chriſtum electum ad gloriam, ad gratiam, & ad vnionem in hypoſtaſi, præſcindēdo à miraculo detentionis gloriæ intra animi ipſius limites, vel concernendo miraculum detentionis gloriæ, ne in corpus efflueret: in priori intellectu, & ſenſu caro aſſumpta à Chriſto, etſi ex noſtra maſſa deſumpta animæ vnita priuilegium vltra hominibus conceſſas gratias inuolueret, loquendo de viatoribus, quia ſcilicet per effluxionem gratiæ ab anima glorioſum conſtituiſſet corpus: in ſenſu poſteriori non intelligeretur corpus à noſtro diſſimile. Tunc aio, ſi decretum de vnione hac, & aduentu Chriſti cum ſumma gratia, & gloria fuit ita, vt intra animæ limites contineretur gloria, profectò eo modo philoſophandum eſt de Chriſto penes ſubiectionem, & non ſubiectionē naturaliter paſſionibus, quo de cæteris, ſi innocentiæ ſtatus perſtitiſſet, philoſophatur Scotus *in 2. d. 19. q. vnica*, etenim cæteros electos, in gratia vnionis, & habituali, inque gloria animæ exceſſiſſet Chriſtus, ſimiliter, & in modo naſcendi, inque perfectionibus accidentarijs, at in naturæ eſſentia, & conditione non exceſſiſſet, ne alienam diceretur aſſumpſiſſe naturam: ſentit autem de electis in innocentiæ ſtatu durante Scotus, fuiſſe quidem eos non morituros, quoniam ſtatuto, ac præfinito merito, ac tempore tranſlati fuiſſent: Inſuper ab extrinſeco futurum fuiſſe, vt non morerentur, neque vlli violentæ cædi futuri eſſent obnoxij, quam neque ab Angelis, neque ab hominibus, ſingulis vt potè innocentibus, neque à recta aeris contemperie, neque ab igne, & aqua, quorum ingluuiem vitaſſent, neque ab aliquo externo agente, neque á beſtijs, quæ fuiſſent hominum imperio ſubiectæ, ac mites machinari quidplam potuiſſet: at ab intrinſeco futuros fuiſſe mortales ob actionem contrariorum ad inuicem: in eo igitur ſenſu poſſet dici Chriſtus electus venturus fuiſſe in carne mortali ab intrinſeco, non autem ab extrinſeco. In alio autem intellectu, ex quo glorioſi corporis propria eſt impaſſibilitas, adueniſſet vtique in carne immortali, & impaſſibili, vel quoniam glorioſa corpora contrario carebunt, vt docet Sanctus Bonauentura *in 4. diſt. 49. p. 2. art. 2. q. 1. & 2.* vel ex voluntate diuina non coagente cauſis ſecundis corruptiuis, vt videtur ſentire Scotus *d. 49. q. 13. littera D*, quæ proinde impaſſibilitas eſſet ab extrinſeco.

Auctoris ſententia.

Scot. in 2. d. 19. q. vn.

In ſtatu innocentiæ quomodo homines fuiſſent immortales.

S. Bonauentura.

Scotus.

136 Si petas, quid ſentiam reſolute? Ex doctrina Scoti *d. 49. c.* Reſpondendū videtur, ex vi illius primi decreti, etiam ſi non peccaſſet Adamus, futurum, vt Chriſtus in paſſibili ab intrinſecis principijs carne veniret. De paſſibilitate autē, & impaſſibilitate externa, æſtimo decretum illud non eſſe referendum ad has circumſtantias, quæ ex aliarum circumſtan-

cumstantiarum sequela sequuntur, vnde passibilitas externa ex lapsu in humanam naturam inducta est, secundum quam mors dicitur pœna peccati, non ergo decretum de hac passibilitate ad primum illud signum pertinebat, quia hæc passibilitas rei decretæ naturam non insequebatur, sed quarto loco, vel tertio factum fuisset, non succe ssuro peccato, neque collapsuro in infectionem humano genere, de hac impassibilitate decretum. Interrogatus igitur de primo illo signo, an Christi caro destinata erat passibilis ab externo, an non passibilis decreta dico, quod neutrum horum, quorum alterum non necessario debet esse verum, cum illæ propositiones non sint contradictoriæ, negatione posita ad nomen, non ad verbum: quod si dicatur an fuit decreta passibilis, an non decreta passibilis, dico quod non fuit decreta passibilis, non tamen obinde fuit decreta impassibilis, transitus est enim à propositione cathegorica directa ad infinitam, qui est nullus in logicis, etenim propositionum æquipollentias in finitis, & infinitis edisserunt illi, & nos quoque harum virtutem in superiori disputatione de possibilitate Incarnationis tetigimus. Hoc igitur facturus propositæ dubitationi satis diacrim, saluo iudicio præstantiori, cui ratione conuictus assentire non erubescam. Iam ad institutam difficultaté capitis reuertens.

In primo signo Christi caro ab externo nec passibilis, nec impassibilis.

137 Assero tertiò futurum simpliciter fuisse, vt veniret Christus, & humanam in vnione hypostatica sibi vniret carné, quamuis primus humanæ propaginis parens Adamus non peccasset. Hæc est petita capitis assertio, quam Scotus vt probabilem insequitur *in 3.d.7.q.3. dubio* 1. vt certam Nostrates prosequuntur. Traditur dilucide à Ruperto Abbate *in lib. de gloria Trinitatis in superioribus citato*, cuius verba refert Sanctus Thomas *p.p.q. 89. art. 3.* & longo sermone prosequuntur Suarez, & Rada, quæ si Vasquez non curat, vt se non curare protestatur; siquidem vni Ruperto tot Patres opponere se posse gloriatur; nos sané curamus, qui oppositas Patrum sententias multi facientes nullum in ijs pro Vasquezij opinione fundamentum constrni posse infrà monstrabimus. Inducitur ex B. Cyrillo *lib. 5. thesauri* asserente benedictionem ante maledictionem fuisse; verba autem eius supra retulimus.

Assertio 3.

Scot. in 3.d.7.q.3.

Rupertus Abb.

Probat. ex Cyrillo

138 Sed audiamus (obsecro) Vasquezij *disp. 10. cap. 10. nu. 123.* pro Cyrilli auctoritate sententiam. *Non comparat* (inquit Vasquez) *benedictionem Cyrillus cum maledictione in præscientia, sed benedictionem in præscientia cum maledictione in tempore, quod patet ex verbis eius, quæ sunt. Præfundatur ante nos Christus, idque ante initium mundi in præscientia Dei; vt cum ordine diuino benedictio maledictionem antecesserit, & damnationem in mortem vita pollicitatio, & seruitutem Diaboli adoptionis libertas.* Hæc sunt verba Cyrilli; *in quibus* (subdit Vasquez) *eodem modo comparatur benedictio cum maledictione, quomodo comparantur seruitus Diaboli, & libertas; sed hæc duo comparantur secundum ordinem temporalem, non secundum eum, quem habuerunt in diuina præscientia; alioquin libertas in præscientia præcessisset seruitutem, quod est falsum; præcessit enim libertas in præscientia seruitutem in re.* Hæc Vasquez; quæ tam voluntariè adducuntur, vt sint confutatione indigna; nusquam enim vir iste verba Sanctorum singula sincero sensu, & sine mutilatione perpendit. Cyrillus ait, præfundari ante nos Christum. Hæc sunt verba, quæ vrgent, quomodo namque præfundatur nisi in præscientia Dei, vt ipse Cyrillus explanat? si ergo in præscientia præfundari, & præeligi sunt idem, Christus à Cyrillo anté nos dicitur electus, quod Vasquez negat: & particulas cæteras Cyrilli superiori assertione interpretati sumus. Hoc loco obseruet Vasquezij siquis est doctrinæ Patronus, cum à Cyrillo præfundatio intelligatur in præscientia, & particula, *vt*, ex dictis sit explicatiua modi, ineptè satis, & incongruè conferri benedictionem in præscientia cum maledictione in re, alioquin particula illa, *vt*, inanis esset, quis namque de hoc veritus fuisset? siue numquid aliquis de hoc vereri potuisset, præscientiam scilicet esse ante rem? Certè si nomen præscientiæ admittitur, ex rigore vocis scientia ante rem admittenda est, nihil igitur consideratione dignum in explicatione Vasquezij Cyrillus nos docuisset. Adde perperam Vasquez negare libertatem in præscientia præ.isse ad seruitutem in præscientia, quoniam, vt dictum est, ante seruitutem peccati

Euasio Vasquez.

Præcluditur.

Animaduersio ad Vasquezij glossam.

præbi-

præuisam, electus est homo ad gloriam, quæ est vera libertas.

Probatur assertum ratione. 139 Deducitur hæc ipsa assertio ex prima. Electio Christi efficax facta est in primo signo, præuiso, ac permisso peccati facta est in posteriori signo, ergo, ne dicatur Dei decretũ fallere, vel falli, aut secũ ſum decretũ fuiſſe primo contrarium quod implicat, & fallaciam in eo immiſcet; dicendum est ex vi illius primi decreti infallibiliter Christum venturũ: consecutio est euidens, nam eo ipso, quo decretum efficax esse ſupponitur, implicat non adimpleri, & proinde effugium tollitur illorum, qui efficacitatem illius decreti concedentes, ordinem adhoc posterius habere dicunt eum, quo ſcilicet non præuiso peccato, non futurum fuiſſet, vt Christus incarnaretur; nã ſi efficax, qui fiet vt poſſit impediti actua licet? ſi inefficax, destruitur aſſertio: antecedens satis fuit prima aſſertione probatum, nunc verò vno hoc dilemmate corroboratur aſſertum. Si Christus non aduenisset, nisi occaſione peccati, Christus vtique poſt Adami electionem electus eſſet, conſequens eſt falſum, ergo antecedens: falſitas patet, quia ex aduerſarijs Christus eſt prædeſtinatus, vt cauſa gloriæ, & gratiæ Adami, cauſa autem per ipſus effectum præcedit, & hoc ad hominem: ſecundum vero noſtram ſententiam falſitas probatur ex locis Pauli citatis in primo aſſerto, quæ ſatis abundè decurrimus; & planè nim's Christi electionẽ vilifaceret, quicũque ſictã eam ſubſequenter ad Adami electionem ſentiret, quaſi verò bona ſeruo prius fuerint deſtinata, quam domino: ſicuti diuinum ordinem vilifaciunt, qui Adamum propter ſe, Chriſtũ vero propter Adamum ſentiunt electum fuiſſe, Chriſtum enim deterioris conditionis, quam Adamum faciunt, ſi illum propter ſe, aliũ per accidens, ſiue propter aliud electum dicunt, reuertuntutque incommoda illa nunquam ſatis eluſa, quæ tulimus, quorum caput eſt, bonum hoc ter maximum aduẽtus Christi, eiuſque gloriæ fuiſſe occaſionatum.

Corroboratur.

Praeoccupatio Vaſquezij. 140 Non me fugit Vaſquezium, in ſolutione primi elaboraſſe, vt myſterij huius maiorem dignitatem oſtenderet decreti ex occaſione peccati, quam abſolute, quia, vt ipſe putat, maius beneficium eſt, quod præſtatur indigno, quam id, quod digno datur, hoc autem beneficiũ Adamo peccante indigno conceſſum eſt, non peccante conceſſum fuiſſet digno, hoc igitur maius eſt beneficium illo: vnde concludit Vaſquez, non ex ſua, ſed ex Scoti ſententia Incarnationis beneficium extenuari, & proinde occaſionatum bonum præſtare concludit non occaſionato. Hæc tamen omnia facile tideo; dignitas enim operis ex ſua natura menſuram primam ducit, mox ex fine, & ex elargiente, ex obiecto autem non ita, niſi in ordine ad gratiarum actiones, e.g. ſi Pontifex fine eligendi in Cardinẽ Eccleſiæ ſuſcitaret aliquem, beneficium hoc maximum, quod ex fine maximum dijudicatur, & ex agente, quo nihil eſt in humanis maius, ea ratione dumtaxat ex obiecto maximum diceretur, quia obiectum, ſiue ſub ectum maioribus gratiarum nexibus teneretur Pontifici, non tamen beneficium ipſum augeretur, quia ſua ptẽ natura gratis datum gratię tationem non excederet, tam ſi digno, quam ſi indigno donetur; ratio namque digni cõgruitatẽ, nõ verè cõdignitatẽ ad beneficiũ illud in ſũmo rigore diceret; ſed ſi etiã rigoro ſe cõdignitatẽ diceret nõ extenuaretur gratia, quia, & datur gratis, & ex merito, gratis quidẽ, quia gratia, ex merito autẽ, quia condignum eſt ſubiectum, vnde reſecto argumentum. Deus non dat nunc iuſtificantem gratiã ſine contritione, & penitentia, qua homo iuſtificari meretur, ergo extenuatur gratia, quia datur digno, eſſetque maioris valoris ſi daretur indigno, ita vt nulla ad eam diſpoſitione eſſet homo affectus, conſecutio falſa: eodem modo, & ſi non peccante Adamo dignior fuiſſet humana conditio, idcirco non extenuatũ, ſed grandius effectum fuiſſet hoc myſterium. Adde, in argumento Vaſquezij (& hoc eſt maximè aduertendum) ſupponi electionem Christi factam ſemper in ordine ad aliud, & inde concludi maioris eſſe valoris, ac dignitatis exhibitã, ac prędeterminatam pro indignis, quam pro dignis, ſed ſuppoſitio eſt falſa, & argumento ipſo vrgetur, quo diximus valde indecens eſſe, ſi dicatur Adam propter ſe, Chriſtus propter alios electus, alioquin non Adamus Chriſto, ſed Chriſtus Adamo teneretur obtenta gloria, quam

Eliminatur.

Argumẽtum Vaſquezij retorquetur.

non eſſet conſecututus ſine Adamo Chriſtus, quod tamen tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum, & ex hoc falſitas illius conſequentis in noſtro dilemmate probatur, ſequela autem maioris; ſiue antecedens ipſum noſtri argumenti probatur, quo ſcilicet dicebatur ſequi ex oppoſito placito Adamum prius Chriſto electum. Chriſtus ex Aduerſarijs electus eſt in remedium peccati primi parentis, vt ſcilicet eo deleto poſſet primus parens gloria potiri, ergo prius erat gloria primo parente prædecreta: quonam modo namque in tui gratiam eligam aliquid, niſi prius tibi me in electione placiturum ſciam, atque decernam? Ad hunc locum ſpectant ſingula argumẽta, quæ ad euellendam electionem ex meritis *ex primo ſent.* adduci poſſent. At Vaſquez hoc loco ſentiret Adamum, & cæteros, Chriſtumque ſimul fuiſſe electos poſt præuiſum originale peccatum, hoc autem improbauimus *diſp. 4. de prædeſtinatione in 1.* ſecundum quam etiam Vaſquezij ſententiam huius argumenti vim Aduerſarij non euitarent, quia ſiue præceſſerit Adami electionem peccati præuiſio, ſiue fuerit ſubſecuta, certè ſi Chriſtus eſt electus, vt gloriam parere poſſat Adamo; Adamo ipſi prius erat volita gloria, quod noſtra argumentatio petit, & ex falſitate conſequentis falſum hoc eſſe diximus.

Electio Chriſti vna cum alijs poſt peccatũ ex Vaſquez.

141 Ex his omnibus conſpicuum eſt, abſolutam neceſſitatem huius myſterij nullã eſſe, vt ſuperioribus capitibus eſt oſtẽſum, inſuper conſpicuum eſt nullam cũ recuperatione humana habitudinem habuiſſe neceſſariam, tum quia reparari humanum genus non eſt neceſſarium, tum etiam, quia etiam ſi non fuiſſet reparandus homo, Deus fuiſſet factus homo, non vt redimeretur homo, ſed vt glorificaretur homo. Nunc ſupereſt, vt doctrinam huius capitis ab aduerſariorum iaculis tueamur.

Concluſio dictorum

142 Et ego quidem miſſis aliorum Thomiſtarum rationibus, quibus Rada, & Fauentinus occurſant, de quorum occurſatione non curabo, vnius Vaſquezij, quem mihi præcipuum in hac diſputatione Aduerſarium elegi rationes affecto diluendas, quas etiam pro hac ſententia Lugo vſurpat. Auctor præfatus *capit. 4. diſp. 10.* auctoritate, & ratione inuehitur. Auctoritas duplicis eſt generis, quædam apertè negans venturum Chriſtum ſin minus peccaſſet Adamus, quædam finem aduentus Chriſti hominum ſalutem conſtituens. In prima Claſſe citatur Ireneus *lib. 5. aduerſus her. cap. 14. ſi nõ haberet caro ſaluari, nequaquam verbum Dei caro factum eſſet.* Athanaſius *ſerm. 3. cont. Arianos, hominum indigentia, ac neceſſitas anterior eſt, quam Chriſti natiuitas, qua ſublata carnem non induiſſet.* Auguſtinus *in pſalmum 36. ſi non dimitteres, ò homo Deum, non fieret pro te Deus homo, &* *ſerm. 8. de verbis Apoſtoli* explicans Chriſti verba, *Venit enim filius hominis quærere &c.* ait Auguſtinus. *Si homo non periſſet filius hominis non veniſſet.* Leo Magnus *ſerm. 3. in Pent.* Cyrillus 5. *dialog. de Trinitate* Gregorius *in 4. Regum cap. 1.* Cuius verba ſunt: *Redemptorem noſtrum carnem ſumere noſtram, ſi Adam non peccaſſet, non oporteret.* Eccleſia in quodam hymno *Peccatores non abhorres, ſine quibus nunquã fores tanto digna filio:* Et in benedictione Cærei Paſchalis *ò certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt.*

Cum vnõ Vaſquezio litem agimus.

Auctoritates Patrum pro Vaſquez

143 In ſecunda Claſſe adducit Vaſquez auctoritates Scripturarũ, & Conciliorũ: Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat:* Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum &c:* Primæ ad Timoth. 1. *Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere.* Concilij Niceni. *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis, &c.* His addit Tertullianum *lib. de Chriſti Incarn. cap. 4.* Nazianzenum *Orat. 4. de Theologia*, in qua hæc habet verba: *Quæ humanitatis propter nos à Chriſto ſuſceptæ cauſa? profecto, vt nobis pararetur ſalus.* Baſilium Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinũ, Cyrillum Aleſſandrinum, Damaſcenum, Chryſoſtomum, & aliorum dicta Patrum, quorum ſententijs relatis impunè licuit Vaſquez duo capita locupletare ſuæ diſputationis, & tot inutilibus verbis codicem compaginare, ſed quid inquam duo capita? immo quinque capita in vrgẽda hac vna ratione ab auctoritate conſumit amplectente caput quartum, & ſequentia vſque ad nonum, vt patientiſſimo cuiuis ſtomacum faciat, & patientiam lædat.

Auctoritates Scripturarũ pro eodẽ.

144 Hiſce auctoritatibus occurſarunt Rada, & Faber, conuinci ijs ad ſummũ,

Reſponſio Fabri, & Radæ.

Chri-

Christum aduenisse in carne passibili ad redimendos homines, cæterum potuisse fieri, vt alio modo veniret, non supposito peccato, nimirum in impassibili carne. Sed horum responsum inane redarguit Vasquez, quoniam quod est causa, vt aliquis veniat in aliquem locum tali modo, nempe indutus, vel nudus, non est simpliciter dicendum causa, vt veniat, scripturæ autem, & Patres simpliciter, & absolute pronunciant redemptionem nostram fuisse causam, vt Christus veniret, non autem fuisse causam, vt hoc, vel illo modo veniret. At ego, quamuis Fabri, & Radæ responso non subscribam, vt mox dicam, vtque superius dixi, quia verisimile arbitror venturum fuisse tunc Christum in carne passibili ab intrinseco, quamuis ab externo futurus fuisset immortalis, nihilo tamẽ minus Vasquezij arguitionem ridiculã cẽseo, quoniã & si quod est causa, vtquis tali modo veniat, non sit prima causa vt veniat, atqui est causa saltẽ, vt tali modo veniat, & hoc est satis, quoniã scripturæ, & Patres nõ dicũt absolute, hanc primã Christi aduentus fuisse causã, sed simpliciter dicunt fuisse causam, nũ verò modus in essentiæ loca citata non explicant, immo quædam sunt, quæ dilucide suapte natura explicantur, nã, dum Athanasius ait, *ablata hominum necessitate futurum, vt Christus non indueret carnem*, certum est loqui de carne, quam nunc induit passibilem etiam ab externo, non igitur facta fuisset, vt facta est Incarnatio, at simpliciter facta fuisset. Hoc idem explicat Gregorius. *Si Adam non peccasset, non oporteret Christum carnem sumere nostrã.* At, ego inquam, quæ est caro nostra nisi mortalis? de hac igitur ille loquitur, & Augustinus citato loco. *Non fieret pro te Deus homo, si non dimitteres Deum*, vtique concedo eo modo, quo factus est homo; sed alio modo non negat Augustinus, qui de incarnatione facta, nõ de possibili loquitur. Repræhensio igitur Vasquezij Inanis est, & hoc diximus in gratiam Fabri, & Radæ. In nostra autem sententia constituente futuram tunc fuisse Christi carnem ab interno mortalem, vrgerent allatæ auctoritates prioris Classis multo magis, nisi distinctio tacta plenè faceret satis. Incarnatio dupliciter sumitur, vel vt facta nunc temporis, vel vt facienda, primo modo concedo singulas auctoritates, tam quæ in prima, quam quæ in secunda Classe vocabantur, secundo modo nego, & sensũ hunc de Incarnatione vt facta attingũt auctoritates Euangelij. *Sic Deus dilexit mundum &c. Venit filius hominis &c.* Et Ecclesiæ. *Qui propter nos homines &c.* de facto enim verissimæ sunt, sed quid futurum fuisset, sin minus peccasset Adamus, neque auctoritates probãt, neq; probare Vasquez potest. De auctoritate illa Ecclesiæ in benedictione Cerei die Sabbati sancti in superioribus diximus, quæ forẽt obseruanda; nunc addo modum illum esse loquendi methaforicum, & figuralẽ ad expressionem magnitudinis mysterij huius, quæ in alio sensu difficultatem paterentur, hinc eo modo ibi peccatum dicitur necessarium, quo dicitur fælix, at non verè, & formaliter dicitur fælix, sed per figuram, alioquin essent facienda mala formaliter, vt euenirent bona, quod tamen aduersatur Apostolo Paulo, vel formaliter malum esset bonum, quod implicat. De alijs verbis in prosa, seu hymno ad Virginem est responsio Suarezij egregia, quæ erat obseruanda Vasquezio, & impugnanda si poterat, prosam illam nihili pendendam in nullo vsu Ecclesiarum positam, nisi forte in vsu Vasquezij.

Responsio Vasquez

Retunditur.

Explicatur Athanasius.

Gregor.

Augustinus.

Responsio auctoris.

Auctoritatibus occurritur.

Prosam Vasquezij non in vsu.

145 Secundo ratione arguit Vasquez *cap.* 9. Si Christus Adamo non peccante fuisset venturus, numquid passibilis, an impassibilis fuisset venturus? Non quidem passibilis, vt communiter aiunt Aduersarij, ergo impassibilis, sed, contra, impassibilitas in illo decreto non inuoluebatur, alioquin posterius decretum factum fuisset primo contrarium, ergo, cum nullus alius superfit veniendi modus, simpliciter non venisset. Hanc rationem cum aliorum responsionum censuris toto illo capite prosequitur Vasquez, cuius nugæ, & multiloquæ sententiæ nobis nullum facessunt laborem. Aio namq; ex dictis venturum tunc semper passibilem, siue potentem mori ab intrinseco; quamuis ab extrinseco nec passibilem, nec impassibilem ex vi decreti primi, vt dictum este sed nondum probauit Vasquez nullum postea futurum fuisse decretum de passibilitate, vel impassibilitate externa: quarum appellatione de-

Secundo arguit Vasquez ratione.

Respondetur rationi.

fectibilitatẽ, & indefectibilitatem intelligo, ne vis hat in nomine. Noſtræ igitur ſententiæ compendium eſt: fuiſſe Chriſtum venturum ex vi primi decreti potentem ab interno mori, quia compactus eſſe debuit ex contrariis; ſi autem Adamus non peccaſſet futurum fuiſſe aliud decretum de impaſſibilitate externa, quam, ſi perſtitiſſet innocentiæ ſtatus, homines ſinguli adepti fuiſſent. Non aliud contra nos Vaſquez oppoſuit; ad nihil igitur aliud nos illi reſponſuri tenemur.

Dictorũ concluſio

Cenſura ad doctrinam Lugo.

146 Sed libet Ioannis d' Lugo reſponſiones ad argumenta noſtra cribrare. Ait ergo ad argumentum illud *ordinate volens &c.* diſtinguendam eſſe maiorem; nam ſi loquamur de propinquioribus or dine cauſalitatis vera eſt: ſi de propinquioribus ordine dignitatis falſa; at nũc vero, licet Incarnatio ſit perfectior, non eſt tamen niſi remotum medium ad noſtram ſalutem. Hæc reſponſio ſi loquatur de facto, neſcio quid lapit: auctor viderit. Certè ſymbolum Nicenum in cõfeſſione fidei propter nos homines, & propter noſtram ſalutem canit Chriſtum deſcendiſſe de Cælis. Adde argutionem noſtram non de propinquioribus fini, ſed de fine ipſo fuiſſe inductam, cui proinde reſponſio allata inepte accomodatur.

147 Ad alterius argumenti deductionẽ, qua ex oppoſita ſententia inferebamus ſequi Incarnationem fuiſſe occaſionatũ bonum per hæc verba reſpondet Lugo. *Fuit occaſionatum, ideſt, non volibile niſi ex occaſione peccati, vt pænitentia; nego: fuit occaſionatum, ideſt, de facto non volitum niſi occaſione peccati, concedo; ſic enim dicit Eccleſia. O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte delendum erat; quaſi dicat, alioquin, niſi ex occaſione peccati, Chriſtum non haberemus.* Hæc reſponſio in primis ſupponit adhuc non futuro peccato Incarnationem fuiſſe volibilẽ, & proinde auctorem hunc etiam nolentem à ſententia deducit. Secundo, tranſit ab Incarnationis facto ad modum, ſcilicet, in carne mortali; quod magnum eſt in arguitione erratum. Tertio, Eccleſiæ verba arbitratu ſuo variat, & auget. Ait Eccleſia: *Quod Chriſti morte deletum eſt.* Ait Lugo: *quod Chriſti morte delendum erat.* Vides Lector: quam diſſona lectio,

Eccleſia in Sabbato ſancto

Eccleſiæ verba variantur à Lugo.

Scilicet, vt pro voluntate Inhumanationis neceſſitas ad peccata delenda concluderetur. Demumq; & ſi verba à Lugo confecta Eccleſiæ redolerent ſenſum, inepte adhuc concludit ex iis nos non, niſi ex occaſione peccati habituros Chriſtum, cum ad ſummum ei dicendum fuiſſet, non niſi ex occaſione peccati nos habituros fuiſſe mortem Chriſti; hoc enim Eccleſiæ verba concluderent ſi eſſent vt ipſe refert, *quod Chriſti morte delendum erat &c.* Denique loca ex Paulo decerpta de Chriſto vt Deo interpretatur, proindeque Vaſquezio adhærens, cum Vaſquezio ex dictis reuerberetur.

148 Petunt hoc loco Recentes cum Vaſquezio *diſp.13.cap.1.* & Lugo *diſp.7.ſect.5.* an ad deletionem omnium peccatorum ita aduenerit Chriſtus, vt niſi peccaſſet Adamus, & proinde ſi nullum fuiſſet originale, ad actualia delenda veniſſet; nec modicum in aliorum recenſendis placitis; iiſdemque refutandis concertant. At mihi in primis petitio ſatis videtur incongrua. Vt quid enim pertendo laboramus, an ſi nullum fuiſſet originale peccatum ad actuale delẽdum adueniſſet Chriſtus in carne mortali, ſi nullo originali exiſtente nullum futurum fuiſſet actuale peccatum; non enim peccaſſent poſteri niſi peccaſſet Adamus, in cuius voluntatis arbitrio poſitæ erant poſterorum voluntates, vt eo peccante peccarent, eo innocente innocentes perſiſterent poſteri, proinde videtur fucoſa potius, quam proficua petitio. Hypoteſi tamen data iuxta noſtram in ſuperioribus doctrinam ſimpliciter dicendũ, adventurum Chriſtum ad delenda actualia peccata, etſi nullum fuiſſet originale.

Nũquid, ſi nõ fuiſſet originale aduenifſet Chriſtus ad delendum actua.

149 Hæc aſſertio, ſeu potius dictorum append:x, eſt contra Suarez *diſp.5.ſect.6.* Vaſquez *diſp.13.cap.2.* Lugo *diſp.7.ſect.5.aſſertione 3.* vbi tamen aſſertio ſecunda deſideratur, ſed ponitur tertia poſt primam. errore Typographorum putarim melius, quam doctiſſimi viri obliuione; & facile ſuadetur ex noſtra doctrina, ſecundum quam Chriſtus abſolute aduenifſet, quamuis nullum futurum fuiſſet peccatum; aduenit autem in carne paſſibili ſolum ad faciendum Deo ſatis pro noſtro peccato: at ita Deo ſatisfaciendum erat pro actuali peccato mortali,

Eadem tur affirmatiue difficultas.

vt pro

vt pro originali; ergo isto adhuc nullo existente, sed futuro ex hypotesi tanquam mortali, adhuc Deo satisfacturum venisset in carne mortali Verbum. Hoc non incongrue indicauit Saluator *Lucæ 15.* parabola desumpta ex pastore ouium, qui relictis nonaginta nouem ouibus in deserto vnam quærit amissam; similiter de muliere amisso nummo; ex qua consequenter deducitur etiam ad vnius hominis recuperandam salutem aduenturum fuisse in carne mortali immortale Verbum. Adde per Aduersarios aduenturum mortali sub carne Verbum ad solum originale delendum; quamquam nullum esset actuale: at ego peto, cur non ex opposito aduenturum ad delendum actuale solum, licet nullum fuisset originale? certè vtrobique finis idem saluationis hominum, satisfactionis Deo. Sed (inquiunt) originale in omnibus, actuale in paucis. Contra: ad solam Petri salutem iterum Crucifigi se paratum Christus ipsemet Petrum alloquens testatus est; extatque in tantæ rei memoriam Ecclesia Romæ extra muros condita, titulo: *Domine quò vadis*.

250 At non silet Lugo, sed ait, quod sic ex hypotesi non tota corruisset humana natura, sed aliqui; sicut ex Angelis: proinde sicut ad restaurandos Angelos non aduenit Christus, ita nec aduenisset ad restaurandos homines. Sed occursus hic leuis est, & voluntarius, nam si propter vnum Adamum venisset, vt supponitur; cur non propter multos, & si non omnes homines? Scilicet in hoc opere diuina commendatur in humanum genus pietas, & misericordia; quia vt ait Paulus *Heb. 1. Nusquam Angelos apprehendit, & cui dixit aliquando Angelorum filius meus es tu?* Rursum insultat Lugo; Gregorium Magnum ita scripsisse *cap. 1. in 4. lib. Regum*; cuius hæc sunt verba. *Et quidem, si Adam non peccaret, Redemptorem nostrum carnem sumere non oporteret &c.* Quibus addit Ecclesiam, *O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte delendum erat.* Sed & Patrum, & Ecclesiæ sensum veneramur, Lugo auctoritatem nihili facimus; nam & verba Ecclesiæ in benedictione Cerei Paschalis vitiata à Lugo adducuntur, vt supra meminimus, & eorum sensum explanauimus; & Beatus Gregorius nobis fauet; nam nisi Adamus peccasset, de facto nullus peccasset; & rursum, nisi is peccasset carnem nostram mortalem non oporteret sumere Verbum, at quia Adamo peccante peccauimus; nobis peccantibus in nostra carne succurrit Verbum; sed quod, si non peccasset Adamus, nosque ex hypotesi peccauissemus, non aduenire oporteret Verbum, nusquam Beatus Gregorius edisserit; nisi quia Lugo placet. Hactenus de disputatione vniuersa.

(✠)

DISPVTATIO III.

DE INCARNATIONIS TEMPORE.

CAPVT VNICVM.

Vaſquezij cenſura ad quæſitum renunciatur etiam ex doctrina Suarezij.

1 QVanquã diſputatio propoſita ad Cronologiam potiùs, quàm ad Theologiam ſpectare viſa fuerit Vaſquezio *q.* 1. 3. *p. art.* 5. & 6. prætermitti tamen ad perfectam huius myſterij notitiam nec potuit, nec debuit; non ſolùm quia ipſa ſecundùm ſe ſpectata conſideratio, vt Suarez mouet *in princ. diſp.* 6. elegans eſt, ac iucunda, ſed etiam eo potiſſimùm, quod nuſquam ſatis contra Hebræos bellando factum hoc myſterium oſtendere poterimus; niſi facti tempus innoteſcat. Adde ſcholaſticam Theologiam maximè ad ſcripturarum latentes, ac ſubreptantes ſcrupulos euellendos neceſſariam eſſe: at quonam modo pugnantia, vt videntur de Chriſti aduentu ſcripturarum loca interpretabimur, temporis huius myſterij ignorata natura? Hoc contra Vaſquezium dixerim, ex cuius lectitatione mos eius ſingula redarguendi in noſtrum calamum irrepſit.

Aliorum numeratio varia

2 In hac diſputatione de annorum computo, quid alij ſentiant, non referam, ne excreſcat alieno labore folium: ſcio tamen quoſdam numerare ab ortu mundi vſque ad Chriſtum quater mille annos: quoſdam quinque annorum millia; quoſdam ferè ſex millia, ita vt ex humanarum inconſtantia hiſtoriarum inconſtantes inductæ ſint ſententiæ. Hoc tamẽ apud omnes in confeſſo eſt, mundi ætatem ſenario numero comprehendi, ita enim loquitur Auguſtinus *lib.* 1. *de Geneſ. contra Manich.* vbi Chriſtum docet ſexta ætate mundi aduenisse, non equidẽ completa, ſed ineunte; quod etiam repetit *lib.* 22. *de Ciuit. Dei. cap. vlt.* quod ſi *lib.* 2. *de Gen. contra Manich. cap.* 1. ſeptimam etiam orbis ætatem conſtituere videatur reſpondentem ſeptimo diei creationis mundi; ita enim de ætatibus philoſophatur, vt diebus reſpondere doceat; inſuper & octauam ætatem; non obſtat; nam ſeptima ætas eſt reſpondens Sabbato quietis Domini, in quo Deus requieuit ab omni opere, quod patrarat, ſignificatque ætatem hanc, qua anima corpore exuta gaudio fruitur cæleſti; octaua autem ætas dominicæ reſurrectioni reſpondens ſempiternæ ætati poſt iudicium reſpondere debet, dum anima cõglutinata corpori cum ipſo corpore beato in æternum victura beabitur. Sex igitur mundi huius potiores numerantur ætates. Prima numeratur ab Adamo vſque ad diluuium; ſecunda à diluuio vſque ad Abrahamum; tertia ab Abrahamo vſque ad Dauidem; quarta à Dauide vſque ad Babylonicam captiuitatem; quinta à captiuitate præfata vſque ad Chriſti aduentum, à quo vſque ad mundi interitum ſucceſſura eſt ætas ſexta. Ineunte igitur ſexta mundi ætate Seruator homo factus eſt.

Augu∫t. *Ætatum mundi numerus.*

Suarezij computatio non probatur

3 Harum ætatum ſuccedentes annos cõputat Suarez *l. c. ſect.* 1. ita tamen, vt correctione indigeat arbitratus ab ipſis mũdi natalitijs vſque ad Chriſti natalia effluxiſſe annos quatermille, vel expletos; vel explendos, plus, minus; quamuis enim certa huiuſce tẽporis haberi ratio non poſſit, verè tamen ab Eccleſiæ ſenſu decedendo temeritatis tantillam quis notam incurſabit; atqui Eccleſia, licet, vt egregiè Cardinalis Baronius admonuit *in adnotat. ad Roman. Martyrol.* viij. *kal. Ian.* nihil certi de hac re diffinierit, tamẽ in ſeptuaginta interpretum ſenſum, inque receptam magis propendet ſententiam eam, qua ab ortu mundi vſque ad Chriſti ortum anni enumerantur pluſquam quinque mille, ita namque eo die concinit in officio Primæ ad lectionem Martirologij. *Anno à creatione mundi, quando in principio Deus creauit Cælum, & Terram, quinquies millesimo &c.* Porrò ab hac recepta annorum computatione ſecedere neminem ſine tantilla temeritate poſſe credo, ſine temeritate inquam, quoniam, & ſi non ſit hoc fide ſancitum, eſt is tamen Eccleſiæ ſenſus, cui eſt ſubſcribendum, ne plus videamur velle ſapere, quam oportet. Cauſa autem erroris Suarezij ex computatione annorum in vitis Regum quarta ætate oriri potuit, quanto namque tempore ſinguli reges regnarint, ac principati fuerint deſcribit, interregna tamen non memorat, ſimiliter annos eos dumtaxat

Baronius

Martyrologium Rom.

regno-

regnorũ memorat, quos ſcriptura memorat, cum tamen multis annis vltra eos, qui recẽſentur in ſcripturis regnauerint Reges, quod patet apud Cronichon Euſebij; Anno igitur quinquies ſupra milleſimum expleto, ineuntibus ijs centenarijs, quæ Romano Martyrologio continentur, *Verbum caro factum eſt.* Cur autem tunc factum ſit caro, ipſum Verbum, quod caro factum eſt, nouit, congruentiæ variæ ſunt.

Euſebius in Chronico.

4 Prima, quia, cum Chriſtus mediator aduenerit, iuxta illud Pauli, *mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus &c.* decuit, vt in medio durationis mundi caro fieret, iuxta vaticinium Habacuc Prophetæ, *Domine opus tuum in medio annorum notum facies;* ſicuti decuit, vt caro fieret in medio terrarum orbe, vt minus diſtaret ab extremis temporibus, & regionum oris iuxta Prophetæ ſenſum, *operatus eſt ſalutem in medio terra.* Secunda, quia tunc magis aduentu Chriſti indigebant homines, naturæ lege quaſi abolita, & Moyſis lege in nihilum abeunte, iuxta illud Eccleſiæ, *Dum medium ſilentium tenerent omnia.* Tertia quia nec in fine, nec in principio mundi, neque in ſenectute, nec in ortu orbis decuit vt fieret, vt egregiè probat Sanctus Thomas *q. 1. art. 5. & 6.* non equidem in ipſis mundi primordijs, tum quia pauci Chriſti aduentu potiti fuiſſent, pauciſque tantum diffuſum bonum, vt docet Theodoretus *lib. 6. de curationibus &c.* tũ quia decuit rem tanti ponderis ſub multa expectationa coli, vt affectu maiori, & maxima veneratione ſuſciperetur, vt docet Auguſtinus *tract. 31. in Ioa.* tum denique vt cognoſcerent homines magis myſterij huius neceſſitatem, & fragilitatem metuentes humanam, legum ceremonijs, ac ritibus affecti ſupplices hoc peterent beneficium, vt factum eſt concinentibus Prophetis, ac orantibus. *Rorate Cæli de ſuper.* Neque in mundi ſenectute, & interitu debuit carnem ſuſcipere noſtram, ne omnes perirent ferè homines, iuxta vaticinium illud, *expedit vt Vnus moriatur, ne tota gens pereat,* quod à Caipha prolatum à Spiritu ſancto effluxiſſe docet Ioan. *cap. 11.*

Congruentia temporis varia.
Abacbuc 3.
Pſal. 73.
Quod nõ in principio mundi.
Eccleſia.
S. Thomas.
Theodoretus.
Auguſt.
Nec ſenectute mundi.
Ioan. 11.

5 Adde, quod ſicuti ſuprema huius myſterij maieſtas, ac dignitas popoſcit, ne in mundi natalibus fieret, ſed in mediã mundi ætatem (licet enim ſexta ſit, eſt tamen cæteris ferè diuturnior nullam patiens ſciſſuram) differretur, ita neceſſitas fecit, ne in mundi finem produceretur, ne ſpes nimium dilata affligeret animum, & deſperarent de hoc myſterio homines. Harum omnium inſtar eſt diuina voluntas, quæ in hunc fieri modum præſcripſit, vnde vltra curioſius eſt perſcrutandum nihil.

6 Vnum hoc præfatam à nobis doctrinã conturbare videtur dubiolum, quonam modo media orbis ætate, mediaque duratione mundi Verbum diximus hominem factum, cum è conuerſo ſcripturæ, & Patres, Chriſti aduentus tempus vocent ſenectutem mundi, & tempora extrema, & planè ita Ioan. loquitur in ſua Epiſtola prima *filioli nunc nouiſſima hora eſt &c.* ita canit Eccleſia in Veſperis Aſcenſionis. *Homo in fine temporum,* Ita rurſum in hymno Aduentus *Vergẽte mundi Veſpere &c.* Ita Auguſtinus *lib. 1. de Gen. cont. Manich. cap. 23.* hanc vocat ſenectutem mundi. Reſpondetur tamen à Paulo Chriſti Inhumanati tempus appellari plenitudinem temporis, ita loquitur ad Gal. 4. *At vbi venit plenitudo temporis* temporis enim plenitudo non ſolum ea dicitur, qua completa ceſſarunt vaticinia, collapſæ ſunt ceremoniæ, antiquata eſt lex, reuocata circumciſio, ſed quã tempus iuuenili ætate conſiſtens mox in ſenectutem vergere debet, vt homo plenus dicitur, qui æque à iuuentute, ac ſenectute diſtat, quo ſenſu Auguſtinus *lib. 83. q. q. q. 44.* Tempus Aduentus Chriſti adultam iuuentutem nuncupauit, idcirco negandum eſt ſimpliciter in mundi ſenectute factum eſſe hoc myſterium, & allatis ſcripturarum teſtimonijs, primo præſertim occurrit Suarez locutionem illam Prophetarum, *in nouiſſimis diebus &c. in nouiſſima hora,* idem valere, ac poſt hæc tempora, quæ dicuntur vltima reſpectu præcedentis, cum non ſit abſolute vltima, quidquid ſit tamen de hoc Suarezij occurſu, qui alijs contra citatis opponi teſtimonijs non poteſt. Reſpondeo ex ſuppoſitione loqui Patres, ſcripturã, Eccleſiam, dum hoc tempus ſenectutem, veſperam, horam mundi nouiſſimam vocant, ſuppoſitio autem eſt quinque elapſarum ætatum, cum enim ante Chri-

Dubitatio.
1. Ioan.
Eccl. in hymnis.
Auguſt.
Galat. 4.
Reſponſio Suarez non ſatis apta.
Reſponſio auctoris.

ſti ad-

sti aduentum quinque effluxerint ætates, & ineunte sexta ætate omnium extrema aduenerit, dicitur egregiè in Vesperis mundi, in hora nouissima, in senectute venisse, quia in vltima ætate videtur venisse. De hymnorum verbis nullũ negotium, hæc enim omnia nouissimè aboleuit Vrbanus Octauus summæ integritatis, ac sapientiæ Princeps.

Vrbanus 8.

7 Cæterùm hæc ætas, quò tardior, eò diuturnior, quoniam à sola prima ætate hactenus superatur; quinta enim ætas circiter 700. annos complexa est; quarta 700. plus minus; tertia circiter 995. vel mille; secunda 900. vel etiam mille, secundùm variam Græcorum, & Hebræorum cõputationem; prima verò 1656. hæc autem nostra hactenus durans annum attingit 1637.

8 Caue tamen putes, tot seculis asserere nos victurum post Christi natiuitatem mundum, quot ante Christi vixit aduẽtum; est enim res hæc ita incerta, quemadmodum incertus est extremus conflagrationis dies: sed ita coniecturam habentes locuti sumus, pertracti in hanc locutionem ex auctoritate Abacuch citata, estque hæc coniectura si ñ certa, satis probabilis. Hactenus de tempore; mensis enim Incarnationis Verbi, constitutaque mensis dies declaratur ab Ecclesia, quæ est vigesimaquinta Martij, cuius rei rationem reddunt Patres eam, quam Suarez refert, de respondente Christi, & Ioannis Baptistæ singulis anni temporibus Natiuitate in vtero, & ortu: nam primo mense veris facta est conceptio Christi; primo mense Autumni Cõceptus est Ioannes: primo mense Hiemis natus est Christus, primo mense æstatis natus est Ioannes: ita inuicem respondent Verbi, & vocis, Iudicis, ac præconis aduentus. Nec deessent aliæ coniecturæ, si id loci, ac temporis ratio peteret. Vide Sanctum Bonauenturam in cap. 1. Lucæ; vbi proportionem hanc in hæc verba prosequitur. *Primus homo sexta die est conditus, ideo & Christus venit sexta ætate, & sexto numero annorum, & sexto mense conceptus, & sexta feria passus, & sexta hora suspensus.* Hæc ille, quibus dum sexto mense conceptũ audis Christum, caue numerationem ab anni vestibulo aucuperis; secundum hanc enim vel primo mense secundum Hebræam, vel tertio secundum Latinam numerationem facta est Incarnatio, sed à conceptu Ioannis auspicare numerationis initium, qui incidit circa finem Septembris, à quo vsque ad Martium sex intercedunt menses.

Quo mense facta Incarnatio, & cur.

S. Bonauentura in cap. 1. Lucæ.

DISPVTATIO IV.

DE INCARNATIONIS QVIDDITATE.

EXistentiam Incarnationis, eique adminiculas difficultates hucusque transegimus, secundo loco ipsa se nobis mysterij huius essentia, & quidditas offert inuestigandam; quoniã verò essentia rei ex diffinitione tunc planè elucescit, cum non solum quidditas nota fuerit, sed quidditatis illius quantitas, & qualitas: hæc omnia sub hac tractatione redigentur; & primo ipsam secundum se vnionem examinaturi postulamus.

AN INCARNATIO SIT RELATIO, ET QVÆNAM.

CAPVT I.

1 DVM Incarnationis vocabulum inuestigaremus nonnihil etiam de eius quidditate attigimus; sicut etiam decebat iuxta Scoti doctrinam *in quarto dist. 1.* qua in habentibus quidditatem nomenclaturam rei partum à quidditate distare docemur: nonnihil etiam *disp. 1. de hoc mysterio*, de formali Incarnationis ratione diximus, dum vnionis relationem Incarnationis vocabulo designari crassa quadam Minerua interpretati sumus: nunc verò in proprio loco proposita difficultas exactiori methodo cribranda est.

Scotus in 4. dist. 1.

2 Gregorius de Arimino, & Ioannes Bacchonus, hic *in 3. sent. dist. 1. q. 1. art. pariter primo*, ille verò *in 1. dist. 27. in solutione 16. diffic.* conuenientes nobiscum in appellatione nominis, qua mysterium hoc interdum Incarnationis voce, interdum vnionis vocabulo nuncupauimus,

Opinio Ariminensis, & Bacchoni.

in ex-

in explicanda vnionis huius natura, & essentia diffiderunt, negantes simpliciter vnionem hanc relationem esse, & concordi placito firmantes vnionis vocem absolutum quid non respectum indicari, ita vt quemadmodum totum distinctum à suis partibus entitatem nullam dicit, sed aut totum dumtaxat resultans, aut partes solum vt vnitas, ita hæc vnio, vel dicet naturam humanam, & Verbum vnita, vel totum Christum ex his resultantem. Discrepant tamen ad inuicem, de significato vero vnionis, numquid scilicet dicat Christum, an Verbum, & naturam humanam, vt vnitam: Gregorius cui sententia constituens totum nihil esse præterea nisi partes vnitas arridet; æstimat vnionem hanc dicere Verbum, & naturam humanam, vt vnitam; Bacchonus, qui vnionem partium essentialium nihil aliud esse rerur, nisi totum ipsum (hinc vnionem materiei, ac formæ solum compositum denotare contendit) arbitratur vnionem hanc, de qua loquimur Christum ipsum importare. Ex alio etiam capite differunt præcitati auctores, quoniam Gregorius relationes omnes reales negligere videtur, Bacchonus autem non ita, sed relationis rationem, vt ad præsens spectat, à nostra hac vnione diuellere conatur. Vtriusque coniecturæ in fine capitis perpendentur.

Diffidium primum Arimin. & Bacchoni.
Diffidium secundum

3 Contra hos autem Theologos vniuersa disputantium capita proclamarent, singulis Vnionem hanc relationem esse confitentibus, In huius rei captum obserua ex Scoto *in 3. dist. 1. q. 1. littera L*, quod licet grammaticaliter duo ista verba, *Incarnare, & Incarnari* regulari videantur, vt actiuum, & passiuum: ita vt Incarnari sit passiuum respondens actioni Incarnationis expressæ per Verbum Incarnare; Theologice tamen non ita euenit, quoniam, cum in huius perpetratione mysterij nulla cadat ad Verbum passio; nulla potestas, sed passiones, si quæ sunt, reuocandæ sint ad naturam humanam, quæ potestate obedientiali substernitur, fit, vt licet Incarnationi actiuæ passio respondeat, non tamen alia passio, quam in natura respondeat; ratio autem huius est, quia actio Incarnationis non transit (quatenus in obiectum transire intelligitur) in Verbum, sed in naturam humanam assumptam, proinde passio actioni illi respondens erit passiua vnitio, vel assumptio; Incarnare autem, & Incarnari habent se secundum vocem dumtaxat, vt actiuum, & passiuum, secundum Thologiæ morem, & veritatem habent se vt actiuum efficiens, & vt relationem terminans, hinc Deus dici potest filium Incarnasse actiuè, hoc est efficienter hoc mysterium præstitisse, Verbum vero dicitur Incarnari, hoc est relationē hanc vnionis terminare. Hoc adnotasse volui, vt facilius Incarnationis quidditatem perscrutari queas, quæ nequit sine vnione intelligi formaliter, proindeque idem erit Incarnationis quidditatem, & vnionis naturam inquirere, cum passiua Incarnatio nihil sit nisi vnio, de effectrice autem Incarnatione ex dicendis etiam veritas conspicua fiet.

Oppositæ sententiæ verior.
Incarnari, & Incarnare qui differant.

4 Secundo obserua, non esse hoc loco sermonem de termino ex actione resultante, sed de actione ipsa, siue passione huius mysterij, quod vt capias, supponendum est tibi ex phisicis; actionis cuiusuis duplicem cōsueuisse philosophos assignare terminum, alterum, quem totalem, alterum, quem formalem vocant, terminum totalem aiunt effectum ipsum vltimo constitutum, ac in esse positum, formalem vero eum cuius meritò totalis terminus potissimum consistit: disseruimus nos etiam de vtroque termino nonnihil in primo postulantes, an essentia gigneret, & gignerent, quo loco singularem etiam præstitimus doctrinam, materiam posse esse terminū formalem; non enim vnum tantum formalem terminum dicimus, sed id omne, quod ad constandum compositum conspirat; hoc etiam modo, cum in vnione materiæ, & formæ sequatur compositū, hoc quidem totalis terminus, ipsa autē vnitionis relatio formalis actionis terminus poterit appellari: ita in re nostra, & si totalis terminus, & adæquatus ex Incarnatione resultans sit Christus Deus & homo secundum communem sententiam, formalis autem ipsa humanæ naturæ Vnitionis relatio ad verbum sustentans: porrò de vno pariter, ac de altero termino effari, grauis est lapsus. Supponenda est etiam hoc loco logicorum, ac metaphisicorum doctrina, relationes

Terminus duplex alter totalis alter formalis.

reales propugnans, quam ne ſingula ſingulis immiſceamus, nentiquam hunc in locum redegimus.

Aſſertū primum.

5 His prænotatis aſſero primum, Vnionem non eſſe quid rationis, ſed reale, non priuatiuum, ſed poſitiuum. Aſſertio duplici parte compacta eſt, exque ſufficienti diuiſione coagmentata, cum enim omne quod eſt, vel rationis ſit, vel re, alterum horum erit hæc vnio; rurſum, cum reale quidpiam, vel priuationem, vel poſitionem arguat, alteram arguet neceſſarium eſt noſtra vnio, vtraque tamen breuiter probatur, Prima quidem, quia humana natura realiter dicitur vnita verbo, ergo reali vnione vnita: antecedēs eſt de fide, cōſecutio deducitur: forma denominans realiter ſubiectum, in quo eſt realiter, & ipſa realis eſt, at vnio denominat humanam naturam realiter, in qua eſt, ergo realis & illa eſt, maior probatur quia denominatio eſt effectus formæ, vt ita dicam, quare cum illa realis ſit, forma quoque realis erit, alioquin effectus realis à cauſa formali rationis pendere poterit, quod nulla patitur philoſophia. Præterea; ſingula effecta Trinitatis indiuiſa ad extra realia ſunt, ens namque rationis non eſt obiectum potentiæ Dei ad extra, ſed ens reale, at Vnionem hanc ſingula præſtiterunt diuina ſuppoſita, quāuis terminum habuerit hæc vnio verbum ſolum, ergo ſimpliciter quid reale conſtituatur oportebit: ita argumentatur Maironus; ſed maior difficultatem pati poſſet, quoniam ſignificatio, quæ eſt formalis ratio Sacramenti, cum ex diuina inſtitutione dependeat, effectus eſt Dei, ipſa tamē ens reale non eſt, ſed rationis: euelli tamen fortaſſe hæc difficultas poſſet dicendo, ſignificationem non qua ſit à Deo ens rationis nuncupari, etenim ens rationis opere intellectus ceſſante ceſſat, eſtque ſubiectiue in ipſo intellectu, vel etiam voluntate, illa autem ſignificatio eſt in ſigno ſenſibili, ſed qua non conſequitur ſenſibile ex ſuo ingenio, ens rationis dicitur, vt in quarto diximus.

Vnio non eſt quid rationis.

Probatio Maironi leuis.

Vnio non eſt quid negatiuū

6 Altera pars aſſerti perſuadetur primo ex perfectione naturæ humanæ. Natura humana in ſuppoſito Verbi ſuppoſitata nō deſtruitur, aut priuatur, ſed perficitur, ergo ipſa vnio nō eſt priuatio, ſed perfectio, ſeu poſitiuum, conſecutio deducitur, quia vnione pertracta ſuppoſitatur, priuatio autem formaliter ex philoſopho ex phiſicia ad maleficium tendit, non ad perfectionem: ſi dixeris priuari propria ſuppoſitatione naturam humanam, concedo, ſed ad perfectionem, ac perfectiorem ſubſiſtentiam pertrahi, primus autem vnionis effectus non eſt propriæ ſuppoſitationis priuatio, ſed ad alienum ſuppoſitum ſuppoſitatio. Quid namque ſit vnio, interrogati in præſentia immediatius dicemus, eſſe humanæ naturæ tractionem ad ſuppoſitum alienum ad dependentiam fundandam, quam eſſe priuationem propriæ ſuppoſitationis. Mox perſuadetur ex parte efficientis cauſæ, à qua Vnionis donum inter cætera, quę ex munifica Dei manu fluxerunt celeberrimū prędicatur, vt patet apud Patres Vnionis huius præſtantiam celebrantes, non eſt autem credendum tantum beneficium in ſola priuatione conſtitutum. Adde teneri, ſi quis ita ſentiat, priuationem hāc ediſſerere, quæ nam ſit illa, quæcumque enim futura ſit facili negotio, ac labore profligabitur.

Vtrū probatur.

7 Ex his concludendum eſt, cum nec priuationem, nec ens rationis vnio dicat, vnionem hāc vere eſſe aliquid, quod probatur, quia poteſt verbum humanam naturam dimittere, & aliam ſumere, quæro, de dimiſſa, numquid illa ſine ſui mutatione diceretur dimiſſa, nec ne: ſi dicas cum ſui mutatione, ergo aliquid acquiſiuit, vel perdidit, nihil enim mutatur, niſi aliter ſe nunc habeat, quam prius, & ſi realiter mutatur realiter ſe nunc aliter habet, quam prius, ergo cum hoc amiſſum, vt ſupponitur, ſit ſola vnio, vnio vere aliquid erit; ſi ſine ſui mutatione dimiſſa dicatur; contra; implicat idem non variatum ſaltem accidentario eſſe dimiſſum, & non eſſe dimiſſum, hæc enim duo ſunt contradictoria, quæ ſimul eſſe vera logici non patiuntur, at nunc humana natura dimiſſa non eſt, in alio inſtanti eſſet dimiſſa, aut igitur mutata eſſet, aut contradictoria pateretur ſine vlla accidentaria ſui mutatione, quod non eſt intelligibile. Forte dices, ſatis eſſe ſucceſſionem in tempore, quia pro vno inſtanti eſſet dimiſſa, pro alio non, perſiſto in argumentatione, in ſecun-

Vnio eſt aliquid.

Et validè oſtenditur.

secundo instanti nonne se aliter haberet, quam prius? Vtique, inquies, at, ego inquam, mutata esset igitur. Dices mutari secundum tempus, non secundum entitatem vnionis. Non euades, nam in secundo instanti, cum ais esse dimissum, carere denotas naturam aliquo, quo non carebat prius, hoc autem non est aliud nisi vnio, non ergo ex mutatione temporis, sed ex mutatione formæ subiecti mutationem metimur.

Assertio secundum Contra Bacchonum, & Gregorium 8 Assero secundo Vnionem esse quidem positiuum, sed non absolutum. Hæc assertio nedum contra Bacchonum, ac Gregorium dimicat, sed aduersarios habere videtur Theologos etiam illos, qui vnionem hanc gratiam Dei, donumque peculiare confitentur ad modum, & instar charitatis, cuius opere, sicut charitatis merito homo dicitur per gratiã Dei vnitus, absque alia relatione reali homo diceretur Deo mirabiliori modo vnitus, absque noua habitudine reali, ita vt, sicut esse album nihil est aliud, nisi alhedinem habere, ita esse vnitum nihil sit, nisi habere vnionis donum: è serie horum Theologorum est Alensis *p. 3. q. 7. memb. 2. art. 1.* Ochamus In *1. d. 30.* nec discordat Gabriel *loco citato* quamuis in *3. sent.* oppositum sentiat. Probatur nihilominus assertum Scotico argumento *q. 1. littera A*, Quandocumque aliquid ita se habet, vt alijs diuersæ rationis intellectis non intelligatur, ipsum non est illius rationis diuersæ, neque paris est conditionis: at quocumque absoluto intellecto vnitio non intelligitur, ergo non est vnio de absolutorum numero: probatur minor, quia vnio non est res ad se, sed ad aliud, absoluto igitur intellecto non intelligitur, nisi sub ratione respectus: subsumptum antecedens coloratur, quia vnio non est, nisi ad vnita referatur, quid enim est vnio, nisi vnitorum copulatio, siue in vnum coitio? quare sicuti implicat quædam esse sine vnione vnita, ne dicatur esse posse effectus formalis sine causa formali, ita vnionem sine vnitis implicat intelligi, est namque conceptus ex vtraque parte relatiuus.

Alensem Ocham Gabriel.

Probatur primo

Probatur secundo. 9 Præterea: si constituas vnionem esse absolutum, illud certe, vel substantiam esse constitues, vel quantitatem, vel qualitatem: at quamcumque harum proferas, impugnabo: si dicas vnionem substantiam præseferre, substantialiter igitur, inferam ego, Christus erit ab homine quouis alio distinctus, consecutio verè deducitur, quia quod esse commodat, distinctionem commodat; distinctio nãque entitatis est affectio, sicut vnum, & multa passiones sunt entis, est autem consequens falsum; quare falsum antecedens: falsitas patet; nam quod substantialiter diuersum est, eiusdem cum alio substantiæ non est: quare si Christus substantialiter diuersus à nobis constituatur, non erit nobiscum eiusdem substantiæ, quod est hæreticum; Vnio igitur à substantia secluditur. Sed neque quantitatem esse quis dixerit, vt patet. De qualitate res ostenditur; nam si qualitatem dixeris vnionem, cuius speciei qualitatem dixeris? Certè speciei habitus. At contra: Species prima qualitatis habitum, & dispositione complectitur, hæ autem duæ tam assumptæ, quam non assumptæ Christi animæ conueniunt possunt, gratias enim singulas, cæteraque dona ad primam qualitatis speciem attinentia poterat Deus animæ non assumptæ largiri, vt supra tactum est, & alibi dicetur, sed vnionem sine vnitis extremis largiri quis potest? Præterea, nisi vnionem hanc relationem esse fateamur, vniuersa ruat necessarium est nostra de hoc mysterio, immò, & scholasticorum ferè omnium doctrina, secundum quam constitit ex superioribus Incarnari nihil esse aliud, quam humanæ naturæ dependentiam terminare, ex qua elicere potuimus mysterium hoc in assumpta natura innuere dependentiã ad verbum, à quo sustentata propria suppositione nudata dependet; nemo autem inficiari potest, dependentiam respectiuum quid, non autem absolutum præseferre. Scio Maironum *d. 1. 3. q. 2.* probare vnionem hanc non esse relationem dependentiæ ob eas, quas ipse rationes vrget; sed Maironi doctrinam huc non refero, quoniam, & si dependẽtiam esse hanc vnionem negare videatur, ex suarum nihilominus rationum decursu patet Maironum non de quacumque dependentia, sed præcisè de dependentia effectus ad causam fuisse loquutum, & hanc à nostra vnione euertisse, quod sine controuersia cõcedimus: Cæterum vnionem

Probatur tertio

Maironus ad frugẽ reducitur

nem ad aliud dependentiæ genus retulimus nos *disputatione prima huius tractatus*, quod, cum nullum habeat in humanis experimentum, quo mens humana manuducarur, cum Scoto dependentiam sustentati ad sustentans appellanimus, siue sustentificati ad sustentificans.

Assertio tertium.

10 Assero tertio, Vnionem non esse relationem intrinsecus aduenientem, sed extrinsecè accedentem. Assertio præsens cognita vtriusque relationis essentia, & natura non debet habere difficultatem, nam si positis fundamento, ac termino relationem intrinsecus aduenientem necessarium est ex ordine rerum euenire, quomodo Patre, & filio constitutis implicat inter vtrumque relationē non intercedere; planè, cum non ex extremorum natura, sed ex diuina voluntate facta fuerit hæc vnio, non ex internis rerū consurget principijs, neque interna erit realiter: neo refert hac vnione extrema fieri intima maxime; nam sola, vt ita dicam, intimitas relationum intrinsecarū naturam non arguit, alioquin sequeretur animum, quippequi intimè corpori vnitur, fundare intrinsecam habitudinē ad corpus, cum tamen contrarium experientia doceat manere animum, & corpus segregata, & informationis habitudinem non insurgere; quod si dicas, at certè vnitis relationes accedent ex natura propria; non consentio, immò contrarium doceor, si namque sine vnione non est habitudo partium vnitarum, & vnio ipsa est relatio, ab extrinsecoque efficitur agente, planè intrinsecus adueniens relatio illa censenda non erit, ex hac eadem doctrina conflare argumentum poteris, quo Vnionem hypostaticā probes esse relationem extrinsecus accedentem, hunc in ordinem. Relatio extrinsecus adueniens non ex extremorum virtute, sed ex externo oritur agentis adiutorio, sed hæc vnio est huiusmodi, vt non ex extremorum natura consurgat, sed ab externo agente fiat; ergo non interna, sed externa censebitur relatio.

Assertio probatur

Maior ex ipsa extrinsecarum relationum natura liquescit: minor, qua parte construit relationem hanc non ex extremorum oriri natura, patet, nam natura humana cæpit esse ab orbis incunabulis; Verbum semper fuit ab æterno; nec tamen vlla inter hæc extrema intercessit habitudo Vnionis hypostaticæ ante Incarnati mysterij opus; non igitur ex extremorum virtute nascitur: quâ parte autem minor costruitur, ab externo agēte relationem hanc ipsam induci, dilucida est; quemadmodum enim disputatione de effectrice causa huius vnionis dicemus, singulæ ad ipsam constandam diuinæ personæ conspirarunt. Scio Thomistis nonnullis hoc relationum intrinsecarum vocabulum penitus inuisum, sed nihil ipsi ad nos in præsentia, qui ex supposita illarum relationum constitutione loquimur, egimus in quarto de relationibus huiuscemodi extrinsecus, dum de charactere disceptaremus.

Thomistarum placitum de hisce relationibus non probatur.

11 Vnicū superest hoc in capite dubiolum, sit ne hæc relatio prædicamentalis, an verò trascendens, sique ad prædicamenti alicuius redigenda sit seriem, cuiusnam sit prædicamenti propria? Recentes cum Suarezio, Vasquezio, & Lugo simpliciter hanc relationem transcendentalem putant, licet diuerso fundamento: Lugo præsertim, cum quo res erit, exinde credit eam non esse prædicamentalem; quia prędicamentalis relatio illa est, quæ ita accidentaliter denominat subiectum, vt totum eius esse sit purè ad aliud: talis autem non est hæc vnio; quia præter relationem, quā habet inter extrema, importat aliquod munus, scilicet vnire intrinsecè humanitatem cum Verbo. Est tamen fundamentum leue; quia vniuscuiusque relationis munus est referre, quæ idcirco relatio dicitur, quia refert aliud tam, quæ in cathegoria, quam quæ supra cathegoriam collocatur; sic enim nomen sonat, & relationes omnes ita relatiuum denominant, vt ad aliud totum referant. Quod, si aliæ sint considerationes in subiecto, quod refertur, ex erunt vt in subiecto tali, non vt in relatiuo, cuius formalis ratio est ad aliud referri. Sed & Lugo sententia melius ex dicendis pro nostra confutabitur statim.

Vnio est relatio transcendens ex Lugo.

Confutatur.

12 In huius solutione dubij duo egregiè pugnantia Faber docet, *disp.* 1.3. *cap.* 1. nam in solutione primi principalis argumēti Bacchoni apertè docet, hanc relationem esse trascendentalem, & paulò ante solutionem illam docuerat ex Scoto in

Contradictio Fabri & Radæ

to in

Non elici tur ex Sco proinde reijcitur.

to in 2. *dist.* 1. *q.* 5. Relationes trascendentales creaturarum non distingui à subiecto, in quo sunt; hanc autem relationem distingui ab humana natura concedat necessarium est, quoniam ex tempore aduenit, et si Deus illam dimitteret, ex tempore recederet; quare simul ait esse trascendentem, & esse trascendentem per hæc, quæ notauimus, negat. Ego arbitror relationem hanc non esse trascendentem, si vera sunt, quæ Scotus dicit in 2. *dist.* 1. *q.* 5. *lit.* S. nimirum relationem trascendentem esse eam, quæ enti conuenit antequam in genera descēdat, quoniam relatio hæc enti huiusmodi non conuenit, alioquin conueniret omni enti; sicut namque Scotus monet, quod conuenit enti, antequam descendat in genera, conuenit omni enti; Sed hæc relatio non omni enti conuenit, sed humanæ naturæ dontaxat, quā Christus assumpsit; non ergo conuenit enti priusquam in genera discendat; neque est proinde trascendens, sed prædicamentalis. Præterea ratio Fabri vrgetur contra ipsum ex doctrina Scoti: relatio, quæ non est eadem fundamento realiter, transcendens non est, sed, ego infero, hæc relatio realiter à natura distinguitur, cùm possit dimittente Verbo naturam dissociari hæc vnio; ergo transcendens minimè est, quare concludam libenter relationem hanc esse prædicamētalem, sin minus directè in prædicamento aliquo collocatam, obliquè saltem, ac indirectè; sed cùm genera prædicamentorum relatiuorum sint septem; vnum ad aliquid intrinsecum, sex ad aliquid extrinsecum: constat in primis nō esse hanc relationem ad aliquid intrinsecum reuocandam, quam diximus relationem esse extrinsecè accedentem. Constat etiam non reuocari ad vbi, & quando, & ad situm, vt ex ipsis horum prædicamentorum rationibus patet; cōstat non reuocari ad actionem, quia cū Incarnatio sit quasi actionis terminus, atque ipsa efficiatur, tunc ad actionem actio foret, quod displicet Philosophis. Collocatur igitur vel in genere habitus, vt putat Maironus, quarenus respectum circumstantis dicit ad circumstans, vel in genere passionis, & hoc fortasse veriùs, quia cùm de ipsa relatione creaturæ, siue humanæ naturæ creatæ loquamur, & ipsa secundùm Scotum 1. *qu.* 3. *lit.* L. *in solut.* 4. patiatur, sitque in potentia, poterit hæc ipsa relatio ad illud prædicamentum reuocari.

Opinio propria. Scotus 2 d.1.q.5.

Faber refellitur 2

Maironus.

13 Ex hactenus decursis diffinitionem aliquam ipsius humanationis colligere debemus; huc enim nostra institutio tendit, vt cognitis ijs, quæ in ipsa vnione inuoluūrnt formaliter; formalitas ipsa vnionis elucescat. Hæ igitur à nonnullis circumferuntur Incarnationis descriptiones dicere malim, quàm perfectę diffinitiones. *Incarnatio est humanæ naturæ dependentia ad suppositum alterius naturæ sustentificando terminans eius relationem.* Præterea, *Incarnatio est humanæ naturæ dependentis sustentificatio ab alieno supposito, siue à supposito alienæ naturæ.* Præterea ex doctrina Scoti *quol.* 19. Incarnationem sic diffinire licebit. *Incarnatio est dependentia humanæ naturæ, vt communicabilis ad personam propriam alterius naturæ, vt terminantem eius dependentiam.* Quæ diffinitiones explicantes idem relationis genus, eiusque differentias verbotenus differunt.

Incarnationis diffin. variæ.

AN HAEC VNIO SIT ACCIdentaria, an substantialis.

CAPVT II.

14 AD exactam rerum, quæ superiori capite tradidimus doctrinam, superetāt Bacchoni argumenta diluenda, quæ tamen in sequentia capita reijciemus consultò, vt faciliùs ex ijs, quæ hoc ipso capite sumus dicturi, nanciscatur lector ad eorum enervandam potestatem, materiam. Hæc difficultas grauissima est, si recentiorum difficultatibus standum sit; si verò res oculato sensu inspiciatur, forte disceptatio vniuersa breuibus eludetur. Hæretici nonnulli, quibus cum duplici natura in Christo, duplex libuit persona, vt Christum bis personatū fuerint confessi, sine difficultate senserunt vnionem hanc accidentariam esse, neque vllo modo substantialem, ij erant partim Nestorio, partim Euthicheti patrocinantes, de quibus loquitur Cyrillus *in defensione primi, anathematis.*

Hæreticorum fatuitas.

Catho-

Durandus. Paludanus.

Catholicorum autem nonnulli, licet fortè in sententia cum cæteris conueniant, in minus cauta locutione labuntur. Ij sunt Durandus *dist. 6. q. 4.* & Petrus de Palude *qu. 1.* quibus libet asserere, posse vnionem hanc verè accidentariam nuncupari, quatenus natura humana enti completo copulatur; hinc, vt suam Durandus sententiam ferat, monet triplici modo quidpiam vniri posse accidentario, & in specie tripliciter humanam naturam dici posse Verbo accidentaliter vnitam; primò, quia induit aliquem modum accidentis, quemadmodum vestis aduenit accidentaliter homini, quasi verò humanitas fuerit Verbi indumentum, & hoc ait esse erroneum, quia hoc modo Christus non diceretur quis, vel quid secundùm quod homo; sed diceretur solùm taliter se habere, quod est damnatum, *extra de hæreticis. cap, cum Christus.* ab Alexandro Papa decernente, Christum vt hominem esse aliquid: secundò vniri potest humana natura accidentariò adueniens enti in actu inhærens ei, cui aduenit, vt accidens, & hoc etiam modo dici cum veritate nequit Verbo humanitatē accidentariò vnitam, quia Verbum nullius est inhærentiæ subiectum: tertio modo dicitur aliquid accidentaliter vniri, cùm aduenit enti completo in actu, sine inhæsione, & informatione; sicuti ramus nouus arbori insertus arbori dicitur accidentaliter vnitus, secundùm hunc modum sentit Durandus naturam humanā accidentaliter aduenire diuinæ personæ.

Alexander PP.

Durandi opinio declaratur.

15 Hanc Durandi sententiam malè in scholis audire, ait Vasquez *disp. 17. cap. 20.* & Lugo *disp. 11. sect. 4.* eo quod communia cum Nestorio verba audiat, communiter etiam à Suarezio, & cæteris recentibus reprehenditur in hac disputatione Durandus, fortasse tamen immeritò, si auctoris illius sincerus percipiatur verborum intellectus.

Vasquezij censura in Durandum, similiter, & Suarezij.

16 Alij è contra, nedum vnionem hanc accidentariam esse negarunt; sed cùm substantialem illam confessi fuerint, nō veriti sunt eam appellare naturalem, & essentialem; naturalem, inquam, non quatenus à supernaturali agente peracta non fuerit, hoc namque sensu supernaturalis potiùs dicenda esset, quàm naturalis, neque quatenus naturale opponitur voluntario, ac libero, sed quatenus adverbium *naturaliter* idem sonat, ac secundum rem, siue realiter; essentialē aiūt pariter eodem sensu, quatenus scilicet, non imaginaria, neque phantastica fuit hæc vnio, sed vera, ac realis: ita philosophatur Gabriel Vasquez *disp. 1. cap. 1.*

Opinio Vasquez.

17 Alij mediam insequentes viam substantialem quidem hanc vnionem concesserunt, sed essentialem negarunt contra Vasquezium; similiter accidentariā, contra Durandū neglexerunt: ita sentire videtur Franciscus Suarez *disp. 8. sect. 1.* & opinionem hanc ipsam præstat Scotus *in 3. d. 7. q. 1. littera D,* hisce verbis: *vnde ista extremorum vnio neque conceditur essentialis, neque accidentalis, sed substantialis.* Bonacina *disp. 2. q. 2. punct. 1.* eam naturalem vocat, quatenus non est contraria naturæ, an autem essentialis, an substantialis, ne verbo quidem attingit. Ioannes à Lugo *disp. 11. sect. 4.* eò vnionem hanc naturalem, & essentialem, ac substantialem vocat, quatenus non est vnio impropria per affectum; sed vera, propria, quidditatiua.

Opinio Suarezij, & Scoti.

Opinio Bonacinæ Ioannis à Lugo.

14 Ego arbitror vniuersam litem verbalem esse, & facile pugnantia dilui posse explicato vocabulorum sensu asserta sentio. In primis autem, si ipsam secundum se vnionem spectemus, nullus vitare potest catholicus philosophus, dummodo Vnionem relationem esse fateatur, illam verè accidens esse; siue enim ea ad prædicamentum habitus reuocetur, siue collocetur in cathegoria passionis, planè dummodo relatio esse concedatur, accidens esse concederet, & in hoc sensu Theologi de ea dimicantes meridiana luce cæcutiunt, & vana disceptatione laborant, si accidentis vocabulum in germano, ac sincero significato accipiant, quo ens dicit, vel absolutum, vel respectiuum in substantia inhærens: porrò si in alio sensu accidentis vocem vsurpent, explanandus est eis hic sensus, vt approbationi, vel reprobationi subijciatur. Alio autem sensu relatio aliqua dici potest accidentaria, vel substantialis, nimirum ratione extremorum, neque hæc vsurpatio impropria est, quoniam, cum ab extremis realiter dependeat, ita vt ijs ablatis auferatur, ijsque non positis non ponatur, à quibus entitatem oriundam trahit, no-

Opinio auctoris.

hic, nomenclaturam etiam trahit; ita si terminus relationis substantia sit, quoquomodo substantialis appellari poterit relatio, hoc sensu concedendum est vnionem hanc de qua loquimur verè substantialem esse, quia est vnio naturæ ad personam verbi, quæ cum substantia sit, ad substantiam terminata relatio substantialis nuncupabitur iuxta appellationem Conciliorum Lateranensis sub Martino, & Ephesini *canon.* 3. Quibus vnitio hæc secundum substantiam dicta, græcis verbis dicitur secundum subsistẽtiã, & hypostasim quia nimirũ vnio naturarũ facta in persona, quę subsistẽtia est, substãtialis dicitur, & in hoc sẽsu nequit vnitio præsens appellari essentialis, quia humana natura, ac diuina non vniuntur in essentia, sed in persona; quod si Patres citati à Vasquezio, & Suarezio essentialem etiam vocent illam, essentialis vocem, vel pro substantiali acceperunt, vt fecit Iacobus Billius in versione verborum Damasceni *lib.* 3. *cap.* 3. quibus, dum iuxta Fabri versionem hæc vnio substantialis dicitur, iuxta Billium appellatur essentialis, fortasse vnum pro altero vsurpando, quamuis lata sit inter vtrumque vocabulum diuersitas; vel essentialis nomen abusiuè sumpserunt, vt hanc vnionem veram, ac realem esse faterentur, quemadmodum Nicetas *lib.* 3. *Thesauri cap.* 3. explicans Cyrilli verba, *coniunctionem* inquit *essentialẽ dicimus, hoc est veram, & non phantasticam, & commentitiam.* Quæ interpretatio ad Patrũ locutiones recipiendas est satis. Scio quidem significationem hanc nominis essentialis nouam esse, ac impropriam, sed si ita Patribus libuit, vera est, licet sine explicatione non sit libere vsurpanda.

Concilijs Lateran. Concilij Ephesini.

Iacobus Billius. Damascenus.

Nicetas. Cyrillus.

19 Scio Vasquezium eniti *cap.* 3. probare appellationem huius vnionis essentialis frequentem esse apud Concilia, & Patres, & proinde verè essentialem, & naturalem posse appellari, neque timendũ esse ait harum vocum scandalum, quia nullum est inter peritos scandalum; subscribit Lugo hunc loquendi modum, aiens esse vsitatum. Sed hæc est vetus, ac recepta Vasquezij consuetudo, vt Patrum auctoritates pro aliorum sententia relatas negligat, pro sua magnifaciat, vtque Patres recipiat, quando ad singulariter sentiendum est opus. Aio verè à Patribus locutiones præfatas vsurpari; sed aio etiam, locutiones illas, si sincero sensu, ac significato essentialis nomen accipiant, esse falsas, vt ipsemet Vasquez fatetur *loco citato num.* 23 ergo simpliciter sine explicatione non sunt vsurpandæ, quamuis enim de re conuentio fiat, at nominum noua vsurpatio difficultates inducit, estque scandali parens. Adde, quod si Durandi sententia male auditur à Vasquezio, in verbis hac in re nouis, vt quid nomen illud sine explicatione poterit benè audiri? Scilicet quia sic Vasquez dixit, forte tamen dixerit posse vsurpari quia traditum à Patribus. Non dissentio, sed ipsi Patres difficultatum orituras ambagines subodorantes essentialis nomen illud explicauerunt, non est ergo sine explicatione vsurpandum; & ratio accommodata est. Nam, si vnio accidentalis, substantialis, essentialis sibi nomen ex termino vnionis ascribit, profectò concessa hac vnione essentiali, vinculum naturæ humanæ cũ diuina non in hypostasi, sed in essentia esset reponendum, quod falsum est, quoniam vnio hæc ipsa hypostatica eam ob causam dicitur quia facta est in hypostasi, non autem in natura, vt suo loco dicendum est. Hoc eodem, sine consimili argumento concludendum vnionem hanc esse substantialem, quia scilicet ad personam terminatur, quæ est substantia.

Vasquezij occursus negligitur.

Explicatur Patrum loquutionis modus.

Suarezij argumentum.

80 Franciscus Suarez alio argumento hoc idem conuincere studet. Argumentum est autem. Duæ substantiæ non vniuntur accidentaliter, nisi medio aliquo accidente, siue reali absoluto, siue respectiuo; sed hæc vnio nullo medio accidẽte absoluto, vel respectiuo est in extremis, siue, sed extrema huius vnionis nullo tali accidente vniuntur, non ergo accidentalis, minor patet; nam in primis diuina, & humana natura nullum ad inuicem nexum habent, nisi in ordine ad Verbum, sed in Verbo non vnitur præcipuè humanitas medio aliquo effectu, vel dignitate, vel relatione, ergo media substantia, erit igitur ob id substantialis vnitio. Argumentum hoc ex falso supposito productum peccat in minori, suppositum autem falsum est, necessarium esse produci aliquam entitatem

Refellitur.

tem positiuam, cuius merito extrema vniantur, quemadmodum enim dicturi sumus in sua de hac re peritione, sola relatio vnionis est nexus, ac vinculum humanitatis cum verbo, neque vltra effingenda est superuacanea entitas à Deo creata; falsa est igitur minor cum sui probatione, siquidem aliqua relatione vniuntur extrema; quæ suapte natura relatio est accidentaria, & accidentariè posset ob id humanitas dici verbo vnita, quatenus scilicet ex tempore verbo aduenit extrinsecè, & extra rationem verbi; sed relatio ipsamet relata ad terminũ, qui substãtia est, substantialis nuncupatur. *Damasceni.* Damascenus à Scoto relatus *loco citato* alio modo hanc relationem substantialem vocat id est veram, sunt autem Damasceni verba *substantialem inquimus Unionem scilicet veram, & non secundum phantasiam, substantialem autem, non vt duabus naturis perficientibus Unam compositam naturam.* Hæc ille, cuius explicationem vide apud Ioannem à Lugo.

21 Ex his, quæ hactenus fuere decursa, facile constare poterit, Durandi sententiam non esse tanta censura dignam, vt cũ hæreticis conuenire secundum verba putanda sit, *Durandi sententia ab aliorũ cribro eximitur.* etenim Hæretici præcitati duas personas in duplici Christi natura agnoscentes, vnionem ipsam omnimodè dixerunt accidentalem, vel affectus, & amoris: qualis inter amicos vertitur, vel operationis, & mysterij, qualis est inter dominum, ac ministrum, vel eius farinæ alterius alicuius, quales aperte Durandus negligit, vtque damnatas reprehendit; Durandus autem idcirco vnionem hanc vocat accidentalem, quia cum ens completum sit verbum, eique completo vnitio adueniat, quasi extrinsecè, & accidentaliter aduenire hunc autem sensum Theologi vereri non debent, qui accidentis nomen habent notum, *Accidens phisicum. Accidens methaphysicũ quid sit.* quod duplex est, alterum logicum, alterum methaphysicum: accidens methaphysicum est, quod accidit alteri, ita vt verè non sit: accidens logicum est, quod non prædicatur in primo modo dicendi per se; at nunc vero vnio accidens est logicum, quia vnita per se primo modo non prædicantur; non est autem accidens methaphysicum cum sit vera entitas; & secundum hanc distinctionem vera est Damasceni sententia, qua ideo hæc vnio substantialis dicitur, & non accidentaria; quia vera est, ac realis vnio. Cæterum de his prædicationibus vnitorum ad inuicem non in primo modo dicendi per se, quæ huius difficultatis captum iuuare possent, vide disputationem nostram de communicatione Idiomatum. Quæcumque autem contra Hæreticos dicenda essent, præstitere Recentes: consule illos.

NVMQVID ACTIONE VNIENDI aliqua noua entitas eiusdem vnionis fundamentum producta sit.

CAPVT III.

21 Relationis quidditas fũdamẽto ignorato ignoratur; propterea, dum in timanda vnionis natura versamur, disquirere debemus, an hæc vnio immediatè extrema connectat, an vero quidpiam creari exposcat, quod relationis huiusmodi statuatur fundamẽtum, cuius merito extrema dicantur vniti. In hac controuersia ex varijs principijs varia Theologi pronunciata innexerunt. Quicumque vnionem è relationum numero ablegarunt, ij consequenter actione diuina nihil senserunt fieri in Incarnatione præterea, nisi totum compositum, quod Christus est, cum enim secundum ipsos vnio nihil à partibus vnitis dicat distinctum, partes non fiunt actione diuina, qua cum mysterium ipsum compleatur, solummodo Christum fieri intulerunt. Ita sentiunt Gregorius, *Opinio Bacchoni & Ariminensis.* & Bacchonus in superioribus citati. Quidam simpliciter sentire videntur vnionem hanc esse creationem, non quidem Christi, qui quoddam compositum est quoquomodo, sed humanitatis, quæ, dum assumitur, creatur. Hæc videtur fuisse opinio Sancti Leonis Papæ *Epistola* 11. *Leo PP.* qua dicit *nostram naturam in Christo assumptione fuisse creatam.* Quicumque etiam vnionẽ ipsam absolutã qualitatem dixerunt, quam, & gratiam vnionis appellarunt, ij actione diuina nihil *Opinio inuecta Gabrieli à Fabro.* effici vltra senserunt nisi donum hoc supernaturalis vnionis, quod absolutũ ẽt. Vocatur in hanc sententiam Gabriel

Biel

Vindicatur ab ea Gabriel. Biel tum in 1. d. 38. tum in 3. d. 1. q. 1. à Philippo Fabro, immerito tamen, quoniam Gabriel, vt aperte extremis ferè verbis præcitatæ d. 30. primi declarat; hanc sententiam vt magnorum doctorũ, tamquam probabilem recensuit, cui tamen se ipsum non subscripsit, quamuis ob Ochami reuerentiam, cui auctor ille addictus est, placitum hoc non repræhẽdat, quod aliquando fuerat Ochamo probatum; sunt autem in hac sententia ij, quos in primo capite retulimus cum *Alensis.* Alense, & cæteris, quamuis fortè Alensis gratiam hanc, vt præuiam agnouerit, vt Recentes benigne eum interpretantur, non vt formaliter vnientem humanitatem cum verbo, non miror *Excusatur Faber* autem Fabrum, qui ex relatione, & narratione Vasquezij, & Suarezij, qui concorditer hanc sententiam Gabrieli tribuerunt, locutus est.

33 Recentiores quidpiam nouum à Deo per actionem vniendi creari sentientes vnanimi sensu firmarunt, nouum hoc creatum modum quendam esse inexistẽtiæ naturæ humanæ non tamquam in suppositο, quem fundamentum relationis vocant, & essentialem modum vocant; ita sentiunt Suarez *disp. 8. sect. 2.* *Opinio Suarezij, & Vasquezij.* Vasquez *disp. 18. cap. 5.* licet in explicanda hac ipsa sententia grande cieant litigium. Æstimat Vasquez modum hũc vere fundamentum non dici, sed eo modo fundamentum, quo identificatur relatio cum ipso, hoc enim fieri posse inde *Dissidiũ Recentiorum.* collegit, quod & relationes dependentiæ easdem esse cum natura humana dependente à Deo creante Catholici plerique auctores sentiunt in 2. *dist. 1. q. 5.* postulantes, an passiua conseruatio, & creatio sint à creaturis distinctæ, in hunc igitur modum, de modo hoc, deque relatione vnionis philosophatur Vasquez, vt illum à relatione nequeat agnoscere distinctum. Æstimat contra Suarez, modum hunc vere esse relationis ipsius fundamentum, & relationem ipsam præcedere quoquo modo, esseque modum ipsum substantialem, incompossibilem creatæ subsistentiæ, quæ fuerat à Christi natura humana per aduentum vnionis exclusa.

34 Quid in hac re Scotus, ac Scotistæ sentiant explicabimus, supponendo ex logicis, vltra relationum internarum genus, dari relationes, quas extrinsecè vocant accedentes, quarum superioribus capitibus meminimus, & harum naturam non exigere aliquid nouæ entitatis in fundamento, & termino, quamuis ipsa relatio noua esset. Huius ratio petenda est ex natura eius relationis, quæ, quoniam oritur non ex natura extremorum, sed ex actione externi agentis, externa vocatur, vt patet de ignitione in ligno, quæ constituitur igne, ac ligno non sequitur, nisi agat ignitionem agens. Ex hac doctrina collige verè ad relationem esse motum, non equidem ad relationẽ intrinsecus aduenientem; sed ad extrinsecus aduenientem, nam & ad vbi motum Aristoteles reuocat 5. *Phys.* quod si alicubi tradidit ad relationem non esse motum, de relationibus internis loquutũ puta, quæ diuersimodè se habent à relationibus extrinsecè aduenientibus. *Relationes aliæ internæ aliæ externæ.* Collige insuper, actionis diuinæ in hoc mysterio terminum esse solam relationẽ, non aliam aliquam entitatem positiuã nouam; quia si relatio potest esse terminus motus, vt hoc loco probatum supponimus ex physicis; multo magis creata relatio diuinæ actionis terminus esse poterit; cum Dei actio nec sit verè motus, nisi per quandam humani captus accomodationem; nec sit vera actio, nisi grammaticalis; quoniã vera realis actio est relatio agentis transmutantis ad passum transmutatum, quemadmodum diximus in 2. *sententiarum in disp. de creatione:* *Ad vbi datur motus.* est autem in hac re non difformiter à creatione philosophandum; ita vt hæc vnio in Deo vniente sit formaliter relatio rationis dumtaxat, in creatura vero respondeat illi passiua vnitio, quæ est illa relatio dependentiæ humanæ naturę ad Verbũ: & sicuti in creatura nullũest aliud fundamentum illius relationis creationis passiuæ, nisi ipsa creaturæ entitas; ita nullum sit ponendum aliud fundamentum nouum in humanitate, nisi ipsa humanitas; quamquam secus relationes creationis, & vnionis multum differunt; etenim illa ex Scoto est eadẽ realiter fundamento, hæc realiter distinguitur; illa transcendens est, hæc vero prædicamentalis, & non trãscendens; sed similitudo spectatur penes fundamentũ, non penes identitatem. *Creationis, & vnionis relationum paritas, ac dispa ritas.*

35 Obseruãdũ secundo, siue potius ex

phisicis supponendum, vniuscuiusque actionis, siue propriè, vt fit in humanis, siue impropriè, vt fit in diuinis; in quibus actiones vere actiuæ non denominantur realiter, sed ratione dumtaxat, sicuti relatio illa actionis in Deo est rationis solum; non realis, vniuscuiusque actionis, inquam, duplicem esse terminum, alterum formalem vocant, alterum totalē, quid sit vterque terminus, explicaui in meis disputationibus de diuinis originibus in primo, vbi formalem terminum posse dici omne id sensi, quod est, vel pars totalis termini, vel ratio, qua totalis terminus in esse ponatur, siue ratio terminandi in termino totali, quo etiam sensu materiam concessi formalem posse terminum nuncupari disputatione illa, numquid idem sit formalis terminus, & principium diuinarum productionum cap. 3. totalem autem terminum dixi, constitutum ipsum siue phisicum, siue methaphisicum, in vtroque enim loquendi genere opinionem meam expressi, in re autem nostra actionis illius diuinæ terminus totalis, generatim ab omnibus Christus constituitur totus, in quo humanitas diuinitati coniuncta conspirat, numquid autem Christus sit verè compositus, dicendum est suo loco; dixisse tamen satis arbitror habere se ad modum cuiusdam compositi modo explicando; formalis autem terminus erit ratio terminandi diuinam actionem ad totalem terminum, hinc si constiterit nobis relationem hanc vnionis esse rationem terminandi, constabit esse terminum formalem, sin minus illud patebit, neque hoc dilucidum erit.

Terminus duplex formalis & totalis.

26 Pensandum est autem, hoc vt liquido appareat, in Verbo homine hæc spectari, deitatem, humanitatem, suppositū, & vnitionem, suppositum deitatem habens æternum est, neque illis aliqua fit additio, vt mutentur, quoniam nulla apud Deum mutatio, humanitas accedit, vnitio nectit, humanitas ergo cōmunicatur quoquomodo verbo, non vt diuina essentia, sed alio modo, vt scilicet à verbo sustentetur, vnio autem ratio est communicandi, siue est, qua Verbum est homo humanitatem vnione habens, cū igitur essentia diuina non communicetur in hoc mysterio Verbi personæ, huius actionis formalis terminus esse nequit, diximus enim *in primo loco citato* formalem terminum esse terminum communicationis, totalem verò esse terminum productionis, & actionis, non ita, vt etiam nequeat produci formalis terminus, hoc enim falsum est, si quidem, si Deus hominem crearet nunc totaliter, & verè, adhuc verè forma, & materies illius termini essent formales, sed ita, vt regulariter in phisicis compositis communicetur formalis terminus: similiter si Christus totus est totalis terminus, vt communiter vocant Recenies, alius ab illo formalis terminus constituendus erit, Verbum autem, siue suppositum, quod neque fit, neque communicatur, ab hac lege eximitur, supersunt igitur humanitas, & vnio, illa quæ vnitur, ista quæ vnit, & de vnione quidem communiter Nostrates sentiunt esse illam formalem terminum huius mysterij ob rationes inferius adducendas, de humanitate autem verētur concedere illam esse formalem actionis Dei in hoc mysterio terminum, immò hoc simpliciter negant, vt patet apud Fabrum, & Radam, qui opinionem primo loco à nobis recēsitam prò virili expugnare contendunt; sed si res attentius consideretur non erit incommodum asserere, ipsam quoque humanitatem esse terminum formalem actionis diuinæ in hoc mysterio, etiam si vnio sit formalis terminus, quamuis nos, vt infra dicemus, aliter sentiamus, plures namque esse posse alicuius actionis formales terminos partiales, argumento est hominis compositio, in quam bina conspirans natura, idest materies, & forma duos constant formales terminos. Ratio huius opinionis nostræ ex cognita formalis termini quidditate innotescit, non enim formalem terminum dico, quia forma est; sed quia ratio est terminandi compositum, at nunc ratio est humanitas, vt fiat totum nempe Christus, si Christus constituatur totalis terminus, nō enim sine humanitate in duplici natura beata illa Verbi persona subsisteret, est igitur humanitas ratio terminandi actionem Trinitatis in hoc mysterio, proindeque formalis actionis diuinæ terminus censeri potest, quod si dicas, & ipsa beata Dei natura ratio est terminandi actionem Dei in Christo, quia nisi illa concurreret, non subsisteret in duplici

Opinio Fabri, & Radæ reijcitur.

Opinio auct. probatur.

natura

natura Christus indiuisus, erit igitur, & ipsa formalis terminus huius actionis. Respondeo quidquid sit de antecedenti, consecutionem esse falsam, quia formalis termini ratio non postulat tantum, vt sit ratio terminandi in termino totali, sed vt ipsemet etiam productus sit, siue communicatus, at essentia diuina neque producta vnquam fuit, neque in hoc mysterio fuit communicata Verbo, cui fuit ab sæculorum æternitate per æternã productionem communicata à patre, nõ est ergo formalis terminus essentia, sed humanitas, quæ & est ratio terminandi, & denuò creatur in hoc mysterio, siue ex matre producitur, verè formalis est huius actionis terminus. Sed quid de termino totali, quem diximus esse Christũ? Certè cum ratio termini totalis sit, vt sit, cõpositus, sitq; per actionem productus; Christus ipsemet, qui productus non est in hoc mysterio, neq; est etiam compositus, non videtur esse totalis actionis diuinæ terminus.

Petitur qui terminus totalis, qui formalis.

27 Hæc difficultas tanta est, vt Theologos in varia traxerit. Philippus Faber, & Rada, quibus cum Scoto libet Verbi personam negare compositam, negare Christum creatum, aiunt ex humanitate, & diuinitate resultare terminum totalem Christum, quatenus in duplici illa Christus natura subsistit. Sed isti difficultatem fugiunt, non euellunt, difficultas autem est de totali termino, qui non videtur posse poni Christus, cum neque productus sit, neque compositus. Recentes Thomistæ cum Vasquezio, ac Suarezio non verentur asserere Christũ esse cõpositũ, & proinde esse totalẽ terminũ de formali vero opinionem suam partiti sunt. Vasquez *disp.* 19. *cap.* 2. terminũ formalẽ putat esse humanitatem, ratio eius est, quia terminus formalis est ille, qui est forma constituẽs terminum totalem, sed humanitas est forma cõstitutiua huius, quod est, esse Deum hominem, quare ipsa erit formalis terminus. Suarez putat *disp.* 8. *sect.* 3. vnionem hypostaticam esse terminum formalem, quia ipsa sola producitur. Alij putant terminum formalem esse personalitatem verbi, ea ratione, quia is est terminus formalis, qui est forma, vel quasi forma compositi de nouo resultantis, talis est personalitas respectu personæ illius compositæ ex duabus naturis, quare illa est formalis terminus. Ioannes à Lugo *disp.* 11. *sect.* 2. distinctionem mediam adducit, aitque actionem hanc multiplici decoratam nomine, proindeque multiplicẽ habere terminũ formalem; nam in primis vocatur productio, & sic habet pro termino formali vnionẽ hypostaticam; vocatur assumptio, atque ita habet pro formali termino naturam humanam, quæ assumitur: vocatur Incarnatio, quæ carnem habere debet pro termino formali; & similiter dũ vocatur humanatio, humanitatem habet pro formali termino. Vocatur impersonatio, quæ dici potest habere pro termino formali personalitatẽ Verbi; conueniũt tamen omnes in termino totali esse Christum compositum. Sed omnes isti auctores de formali termino non vna vrgentur angustia. Vasquez quidem vrgetur primo quoniã, dum ait termino formali constitui totalem, hoc verum est, quando totalis terminus est compositus; at absolutè falsum est, cũ esse etiã queat formalis terminus id, quod est ratio terminandi in termino totali, vt supra dictum est, absque eo quod sit vel pars totalis termini, vel ratio, qua ponatur in esse terminus totalis. Suarez autem ad probationem falsi falsum assumit; ait enim vnionem esse formalem terminum; hoc euellemus infra; ad id probandum assumit, quia illa sola producitur, quasi vero esset de ratione formali termini formalis, vt per actionem produceretur; cum hæc sit ratio potius termini totalis. Auctores tertio loco adducti labuntur grauius; cum non sit de ratione termini formalis esse formam compositi de nouo resultantis, vt dictum est, cum etiam falsum sit personalitatem esse formam compositi resultantis in hoc mysterio, quia vt dicemus vere in hoc opere Christus dici nequit persona composita. Pateremur distinctiones Ioannis à Lugo, si appellationum variarum disquireremus terminos, non verò actionis huius indiuisæ Trinitatis ad extra; sola enim in hoc opere Trinitas agit, vnde assũptio, humanatio incarnatio actiua quidem sunt nomina nullam tamen actionem significantia realem in Verbo, quod solũ terminat depẽdẽtiam, nec agit alia actione diuersa ab actione to-

Opinio Fabri, & Rada.

Opinio Vasquez & Suarezij.

Aliorum

Ioannis à Lugo.

Vrgentur Vasquez Suarez, & alij.

tius Trinitatis. Subdit Lugo terminum distinguendum in terminum à quo, & ad quem; & ad quem alium totalem, alium formalem. Non teneo distinctionem, sed nec approbo ad institutum: nam vtique terminorum physicorum alter à quo, alter ad quem, sed isti sunt termini motus, non actionis, de qua loquimur, transcendit igitur distinctio petitionis limites, qui intra petitionem terminorũ huius operis, non qua motus, sed qua actio est, continentur, immò nec est vera actio, vt in secundo de diuinis operibus dixi, quamuis actionum instar concipiatur, cum nihil in verbo realiter nouum, sed tota nouitas sit in humana assumpta natura; ex hoc ruit petitio illa Theologorum Recentium, an Verbum denominatione intrinseca dicatur vnitũ, seu (& recidit in idem), an vnio intrinsece denominet Verbum, in qua non veretur concedere Lugo Verbum intrinsecè denominari vnitum; quia, vt ipse ait, in quæst. de vocibus, sentiendum est cum pluribus; hæc autem communior est opinio per ipsum, sed hallucinatur euidenter, tum in assertione ipsa, tum in fundamento. In assertione, inquam, quoniam, si hæc vnio relatio est externe adueniens, quomodo interne potest denominare terminum? Rursus, si hæc relatio in Verbo nulla est realis, quomodo intrinsece ex ea denominabitur Verbum? Iterum si nullo intellectu considerante nulla etiam rationis relatio in hoc termino, quomodo intrinsece potest denominari relatum, & vnitum? Hæc profectò inuicem pugnant. In fundamento autem labitur hic auctor; siquidem vniuersa Nostratum schola contra ipsum proclamaret, existimans Deum non denominari intrinsecè (loquendo de denominatione formali) per relationem realem in creatura existentẽ talem, puta creantem, conseruantem, vnientem vnitum, &c. sed neç ex relatione rationis in eo, quæ ex opere intellectus cõficitur. Vide, quæ diximus in secundo in materia de Creatione. Exclamat S. Bonauentura *in 3. d. 1. q. 1.* vbi ita putat per vnionem Verbum incepisse denominari vnitũ, vt me accedente ad columnã incipit illa appellari sinistra, vel dextra; quam quia non videt denominationem, esse pure externam? Exclamant & alij, tum ex eiusdem Lugo Religione, tum exteri, vt patet, apud Leonardum Lessium *lib. 12. de perfect. diuin. cap. 6.* & Petrum Lorcam *disp. 15. num. 4.* vnanimiter confitentes hanc esse denominationẽ extrinsecam; non est igitur Lugo sententia communior, vt ipse ierur, sed singularis potius. Nec refert asserere, Verbum vniri vnione vera, physica, & propria, tendente ad costituendum per se vnum, & intimè alligante extrema; quare videri dicendũ intrinsecè denominari vnitũ. Nam vnionem veram, physicam, & propriam, extrema cõiungentem, immò, & substãtialẽ modo præexposito cõfiteor; intrinsecam tamen, & intrinsecè denominantẽ nego; cum non sit relatio æquiparantiæ, scilicet ex vtraque parte realis, sed solum ex parte naturæ assumptæ, in qua est vera, physica, realis. In Verbo autẽ à quo omne vel leue mutationis vestigiũ ablegandum est, rationis solũ. Isti etiam ex vna difficultate in aliam inducuntur, & planè Christum verè compositum constituere horrent Nostratum antes audire, similiter Christum esse factum non absolute conceditur, nisi eo modo, quo Patres concedunt Pauli auctoritatem illam, qua Christus dicitur *factus ex muliere, natus sub lege.*

Dubitatio pulchra, an Verbum intrinsece denominetur vnitum.

Displicet sententia Lugo

S. Bonau. in 3. d. 1. q. 1.

38 Re oculatius pensata, audeo dicere totalem terminum in hac actione esse vnionem ipsam, quam hactenus de aliorum mente diximus esse terminum formalem & hoc idem dicere audebit, qui singulas, quæ in hoc mysterio conspirãt entitatea, perpenderit. Deitas enim in primis nec producitur, nec communicatur in hoc opere; Verbi suppositum est idem, quod ab æterno innaturatum, ac immutatum solam habens ex nostri consideratione intellectus relationem rationis, humanitas ipsa, quæ à Verbo assumitur, non est totalis terminus, vt diximus, quoniam non ad eam finaliter terminatur actio, ergo vel vnio, vel aliquid aliud: adde, si lubet, aliud illud, quod ego in hoc mysterio non inuenio; quid enim est realiter in Christo, nisi Deitas, Verbi suppositum, & humanitas vnita? ergo nisi vnum, vel alterum horum asseras totalem terminum, desiderabis in hoc opere terminum totalẽ, Christus enim esse nequit, quid enim est Christus, nisi suppositum Dei in duplici

Vnio est terminus totalis secundum auctorẽ

Auctoris sententia probatur

natura

natura subsistens? at illud suppositum non fit in hoc opere: neque fit aliquid nisi humanitas, & vnio; ergo vel hæc, vel illa terminus est totalis, si enim effectio est hoc opus, effectum dicere tenemur terminum totalem; ne effectionem dicamus sine termino, & proinde effectionem sine effectu, quod implicat. Adde, quod nisi hanc nostram sententiam probes, inducendæ sunt tibi mille nugæ, mille fabulæ de effectione vera Christi, de compositione reali Christi, quas dum contra communem scholasticorum sententiam propugnant Suarezius, & Vasquezius, coniuratis scholasticorum iaculis feriuntur, nosque de ijs dicemus nonnulla suo loco. Interim cõstitue verum terminum totalem effectum in hoc opere esse vnionis relationem in humana indiuidua natura, quæ verè denuò efficitur à Deo; nec refert non esse compositam; nam non est de ratione termini cuiusq; totalis, sed Physici, & physicè producti, vt sit compositus; hinc diuina persona in diuinis dicitur generationis, vel productionis per voluntatem totalis terminus, non est tamen illa verè composita; compositio igitur propria est termini totalis Physici, vel Physici instar, non autem cuiuscunque termini indistinctè. Quod si eandem difficultatem vrgeas de Christo toto; ac dicas posse Christum totum non compositum esse terminum totalem; si non expetit totalis terminus compositionem necessariò. Respondeo, disparem esse rationem, quoniam Christus videtur se habere ad instar Physici constituti, multas habens entitates vnitas, licet non sit verè constitutum physicum physico modo; & proinde si poneretur terminus totalis; constituenda esset cõpositio in Christo. Adde desiderari in Christo conditionem necessariã termini totalis, quæ est debere terminum totalem actionis per actionem accipere esse totale: at Christus actione hac Trinitatis non accipit esse, neque accipit tale esse; hac enim actione nihil est in verbo, tota mutatione facta in humana natura, quæ Christo vnitur, & in Christi supposito suppositatur, non ergo Christus esse potest terminus totalis; ex hac igitur potissima conditione desiderata, non rectè constitues Christum verum totalẽ terminum huius actionis. Si dicas ex decursis dictum, debere totalem terminum esse compositum, iam verò hoc negari. Respondeo, iuxta meam expressissimẽ tem, locutus hucusque secundum receptiorem sententiam; mea sententia est, non semper debere terminum totalem esse compositum verè; at debere semper esse effectum, si de effectionis termino loquamur, dare namque sine re effecta effectionem, non bene auditur; at rem simplicem effici posse benè auditur; nam anima creatur: nec tamen est composita; est tamen actionis Dei creantis totalis terminus; ita philosophare in præsentia, constituens vnionem, quæ est realis, simplex forma, esse totalem terminum Dei vnientis, siue operantis hoc opus.

Terminus totalis quomodo debeat esse compositus, & quomodo non.

39 Sed quid in hac sententia de humanitate assumpta dicendum, est ne illa terminus formalis, an totalis? Constitue in primis rem eandem in diuerso respectu posse totalem, ac formalem terminũ appellari: hinc anima creationis Dei est totalis terminus, generationis humanæ est formalis terminus: duo enim obit munera, Dei in primis operationẽ terminat creantis, estque ratio conficiendi hominẽ; ita assumpta humanitas, si quà humanitas est creata à Deo, spectatur, appellari poterit totalis terminus, ad hoc opus autem relata, quà vnita consideratur humanitas; appellanda est terminus formalis; est enim ratio, & fundamentum vniendi, & vnitionis, siue est ratio, vt vnio, quæ totalis constituitur terminus esse habeat: vnde enim haberet relatio vnionis entitatẽ à Deo, nisi humanitas fundamentum vnitionis esset? Hoc ergo sensu appellari poterit terminus formalis. Quod si dicas, at illa potiùs erit terminus fundamentalis huius respectus; quem fundat, non formalis: si termini formalis naturam in mea sententia percipias non dissenties. Aio terminum formalem eum, qui vel est pars termini totalis, quod euenit, quando totalis terminus est verè compositus, vel est ratio, qua terminus totalis accipiat esse, & actu sit, vel est ratio terminandi in termino totali: at nunc verò quamuis humanitas non sit formalis terminus ea ex parte, qua potest terminus formalis esse pars totalis termini, quia terminus totalis non est compositus, est

Humanitas diuersimode considerata dici potest terminus formalis, & totalis.

tamen

tamen formalis terminus, quia est ratio, qua vnio accipiat esse, relationes enim regulariter habent esse à fundamento præcipuè, estque fundamentum quasi ratio, qua relationes accipiant esse; estque insuper humanitas ratio, vt hæc vnio actionē Dei terminet in homine, vt patet, quia in homine fundatur hæc relatio: hoc igitur sensu est terminus formalis, quamuis sit relationis fundamentum, eo modo, quo materiam diximus posse appellari generationis formalem terminum, quamuis sit subiectum, & fundamentum, non enim verbum, siue vocabulum *formalis* hoc loco pro forma sumitur, vt dictum est in principio.

Dubium non leue.

30 Vnum hoc in nostra hac noua sententia posset animum vexare dubium. Nam formalis terminus, non est totali nobilior, alioquin nobilius ad minus nobile ordinaretur: sed humanitas, quæ substantia est, præstat nobilitate relationi vnionis, quæ accidens est; quare nequit humanitas esse formalis, relatio verò totalis terminus. Hoc tamen dubium dilue, negata maiori; nam in diuinis essentia quoque est terminus formalis, persona totalis, neque tamen persona est nobilior, quàm essentia, est igitur vera maior, quandocunque terminus totalis coalescit ex terminis formalibus; tunc enim totalis terminus formalem excellit includens formalium terminorum præstantiam, & vltra propriam entitatis excellentiam, vt patet in homine, qui perfectior est forma, & hac materie, quia præter formæ, huiusque materiæ perfectionem, totius compositi dignitatem, perfectionemque fouet. At si totalis terminus non sit ex formalibus coalescens, maior falsa. Opinionem hanc nostram constituentem vnionem esse terminum totalem, elicimus ex Scoto *in 3. dist. 7. qu. 2. lit. A.* docente Trinitatem fuisse agentem, respectu illius vnionis, ne autem putes locutum Scotum de termino formali, quem constituens vnionem dixit eam à Trinitate actam; lege, quæ idem auctor habet *l. c. lit. B. §. Respondeo.* vbi disertè constituit factioni reali actiuæ totius Trinitatis correspondisse factionem passiuam realem, quæ certè, vt patet apud vtriusq; factionis, actiuæ scilicet, & passiuæ peritos, de termino totali potissimum dicitur, & hanc passiuam factionem realē, ait Scotus, fuisse vnionem passiuam in creata natura humana. Aliam factionē passiuam realem in hoc mysterio desiderabis, & proinde vel nobiscum sentire teneberis, asserendo vnionem esse totalem terminum, vel opus hoc à numero verè effectorum euellendū est tibi, quod falsum est. Hactenus in huius propositi dubij gratiam sacis de hac difficultate lusimus secundum veram termini totalis rationem; si autem terminum totalem voces omne id, siue reale, siue rationis, quod ex aliquo opere emergit, siue vt aliorum terminis vtar, resultat, Christum totum æstima hunc terminum impropriè, & lato significato, in quo hæc esse conspirant suppositū, Deitas, Vnio, humanitas, & rationis relatio, ex quibus non fit vnum per accidens, quia illa non componunt Christum, sed Christus includit illa modo explicando in sequentibus: dixi hoc esse concedendum genericè, & impropriè, quia in rigore Christus includens illa, non est nisi terminus, de quibus enunciātur illa, dicendo Christus est suppositum diuinum, Christus est Deus, Christus est homo, Christus est vnitus, Christus habet relationem rationis ad naturam, &c. re autem vera Christus suppositaliter est sola verbi persona subsistens, nihil reale præter Deitatem, & humanitatem vnitam habens ad hoc opus spectans. Explicat hoc Scotus *loco citato* egregiè dum ait, *effectionis realis sanctissimæ Trinitatis nullam aliam entitatem assignari pro effecto termino reali, nisi vnionem passiuam, quæ est relatio, de qua loquimur.* Quod si dicas; sicut factio in creaturam cadit, dicendo homo factus est Deus; ita in Deum cadere, dicendo Deus factus est homo. Occurram ex Scoto hanc alteram factionem esse rationis, non realem; quia realis effectio passiua hic nulla, nisi vnio in humana natura; hæc ergo terminus censenda est realis totalem actionem terminans; quod petimus.

Opinio auctoris ex Scoto elicitur.

Christus latè dicitur terminus totalis.

Obiectio quædam eneruatur.

31 Sola superesse videretur de hac opinione difficultas; quia hæc tunc temporis dicenda esset effectio accidentaria; cum ad relationem, quæ accidens est terminetur. Sed hæc difficultas mihi à nonnullis obiecta, solutionis diffi-

culta-

Difficultas noua ex dictis elucidatur.

cultatem nullam facessit; aio namque & relationem esse accidens, & accidēs relatiuum, & effectionem esse accidens modo præexplicato in superiori capite; neque tamen obinde incommodum deducere potes, cum & qualibet actio suo genere accidens sit, & in ordine ad terminum, quamuis quandoq; accidentaria esse negetur, dum scilicet ad substantiam terminatur; accidentariam tamen in ordine ad terminum dici, si ad accidentarium terminum terminetur, non inconuenit; nam non ad solam substantiam motum esse docet Aristoteles in phisicis, sed de hac effectione dicemus abundè assertione secunda. His constitutis, quæ ad intelligendum huius relationis fundamentum necessaria erant, ad solutionem principalis disceptationis reuertendo.

Assertio primum.

32. Assero primo, Actione Trinitatis in hoc opere vniendi non esse productam humanitatem, vt terminum totalem. Assertio pugnat contra priorem sententiam, quæ declarata probatur: declaratur autem. Non assero humanitatem hac positione non esse actione Dei factam; sed assero actione vniendi non esse factam; multum autem refert, si alterum, vel alterum harum propositionum enunciemus; nam si assererem humanitatem non esse à Deo factam; negarem humanitatem illam esse Dei opus; quod falsum est; quamuis enim ex purissimis intactæ Virginis humanitas Christi coagulata fuerit sanguinibus, at non alium huius operis coagulatorē, nisi Deum agnoscimus, iuxta Angeli preconium. *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* dum autem assero humanitatem opere, & actione vniendi non esse factam; sentio actionem illam vnionis non esse ad humanitatem terminatam.

Luca 2.

Probatur assertio.

In hunc modum declarata positio probatur; quia actio specificatur à termino, at hæc dicitur actio vniendi, siue vnionis; ergo non humanitatis, sed relationis censebitur actio, vt quid enim denominaratur actio vniendi, si ad humanitatem non ad vnionem terminaretur? dices terminari ad humanitatem non præcisè, sed vt vnitam, at, ergo inquam, ad quid primo? quandocunque enim duo terminant opus; necessarium est, nisi illa duo faciant vnum perse phisicè, alterum respectu alterius primo terminare; sed hic spectantur duo, puta vnio, & humanitas; quid est enim humanitas vnita, nisi humanitas cum vnione? ergo alterum, vel alterum terminat primo; si vnionem dixeris, consentimus; quia ab ea denominationem habet vniendi actio. si humanitatem primo, ergo frustra, & immeritò appellatur vniendi actio; cum appellanda esset potius actio producendi, vel creandi, est enim alia actio altera ab altera, si seorsim spectantur, ad inuicem autem relatæ actiones ambæ, siue effecta vtriusque actionis, effectum actionis primæ formalis terminus appellari poterit in ordine ad affectum vltimum, quod diximus esse terminum totalem. Præterea principaliter. Vnio supponit extrema vnienda; at hæc actio vnionem facit, quæ propterea actio vniendi dicitur; ergo humanitatem supponit quoquomodo, non igitur hac actione simpliciter fit humanitas, sed supponitur. Intellige tamen suppositionem esse, non in successione Temporanea, neque in diuerso temporis instanti, sed in diuerso naturæ signo: Secundum tempus enim non prius fuit creata humanitas, quam vnita, alioquin in primo illo instanti terminante creationem humanitatis humanitas ipsa sine aliqua suppositatione extitisset, quod falsum est. Partiales ergo in hoc opere vno eodemq; temporis momento duæ actiones intercesserunt, altera creationis, altera vnionis; illiusq; terminus totalis humanitas, huius vero vnio censenda est, totaliter autem ambæ actionem perfectam vniendi complent; proindeq; illa humanitas, quæ sub vna ratione terminus appellabatur totalis; in ordine ad vnionem dicenda est formalis terminus; quod fieri posse exemplo animæ à Deo creatæ monstrauimus, quæ actionis creandi totalis terminus censetur; generationis autem formalis solum.

Probatur 2.

33. Sed hoc loco maximi ponderis emergit dubium, Assero namq; actiones creandi humanitatē, & vniēdi suapte natura seorsim sūptas duas esse actiones peculiares, & prius humanitatē intelligi creatā, quā assumptā; hoc tamen si verū esse concedatur, vt verum etiam cōcedendū erit, conceptionem humanitatis esse

Dubium magni ponderis.

prio

priorem assumptione eius à Verbo; quod inde colligitur esse falsum, quia hoc supposito concedendum esset, Virginem concepisse humanitatem, non autem humanitatem assumptam; proindeque non esse Dei matrem, quod est hæreticum.

Thomistarum responsio eluditur.

Huic dubiolo occurrerent Thomistæ, reuera actionem illam creandi humanitatem non esse veram actionem, quoniam ad existentiam humanitatis terminum non haberet; quippequæ nullam aliam habet existentiam, nisi à Verbo, & in Verbo. Hæc responsio incidit in scillam, vitando caribdim, vnaque difficultate enodata, difficiliori nectitur difficultatis nodo, de existentia humanæ naturæ propria, quæ cum interna constituatur eimodus à re ipsa indissociabili nexu copulatus, segregari non potest vllo modo; hanc igitur nos concedētes in Christi humanitate alio medio obuij erimus dubio ituri, cuius extremæ deductionis falsitas, qua scilicet cōstituitur vt falsum, conceptionem humanitatis esse assumpta humanitate priorem, falsa ipsa est, sicut falsa quoque est eius probatio; qua inducitur, ergo Virgo non concepit humanitatem assumptam, ita vt sit Mater Dei; quoniam hæc prioritas non est instantium temporis; sed naturæ, temporis enim momento eodem indiuiso completum est vniuersum mysterium; quonam vero modo Virgo vera Dei parens dicenda sit, quæsito peculiari dicetur.

Assertum secundum

34 Assero secūdo, Actione hac Dei quidpiam produci reale, quod neque est humanitas, neque modus quidam, neque supernaturalis qualitas; sed vnio. Compacta est assertio multiplici parte, prima constituit actione vniendi quidpiam reale produci, pugnans contra Bacchonū, & cæteros pro prima sentētia, probatur à scotistis.

Pars prima probatur à Scotistis.

Actioni reali passio realis respondeat oportet; sed actio hæc communiter realis dicitur; ergo & realis illi respondeat passio oportet, Maior patet quia passiua effectio ad actiuam refertur, suntque agentis, & passi relationes mutuæ reales, actione igitur reali supposita, realem passionem apponi necessum esse, docent Philosophi; insuper relatio realis actionis à termino appellationem ducit, sin igitur minus terminus huius actionis constituatur realis, quonam modo realis actio poterit appellari? quidpiam igitur reale fiat necessum est, actiones etenim reales sine reali termino esse implicat: quod si dicas, relationes hasce non esse mutuas, quia non sunt agentis transmutantis ad transmutatum, neque transmutati ad transmutans. Consentio non esse perfectè mutuas ex parte Dei inuariati, & immutabilis existentis, cuius ad creaturā est sola rationis relatio, idcircò allatas à nostratibus rationes ex doctrina Fabri, & Radæ elicitas floccifacio, simpliciter arbitrans cum Scoto, tum *in primo d. 30. tum in 2. d. 1. tum in 4. d. 13. q. 1.* tum alibi actionis ad extra vocabulum propriè, quatenus actio peculiare prædicamentum, ac genus conflat; in Deo nullum esse, *vt in 4. præcipuè, & in 1.* Scotus probat, quia Deus ad creaturam nulla relatione refertur reali, esse tamen in Deo aliquid correspondens actioni de genere actionis, in secundo autem sententiarum nos tractatione de quidditate creationis multa induximus ad doctrinam Scoti de hisce Dei actionibus capessendam. Interim puta actionem hanc vniendi totius Trinitatis, quæ fundamentaliter diuinā equè impartitam in tribus diuinis suppositis voluntatem effectricem, vt potè causam adextra designat; formaliter in Deo nihil esse reale, ex hac igitur parte collectio termini realis nulla est, cum nulla realis actio; sed rationis dumtaxat: operatio enim adextra nihil præterea, nisi habitudinem in Deo rationis dicit, à quocumq; intellectu formatam, de hoc enim non curo in præsentia. Quod si insurgas; atqui Scotus *d. 7. q. 3.* appellat hanc actionem actiuam realem; actio autem est in agente, non in passo, hinc Scotistæ vehementi se stomaco ferunt in Thomistas dicentes, Deum dici realiter creantem actiuā creatione in creatura existente. Insuper realiter Deus dicitur vnire, quid igitur veritatem propositionis de re falsa perperitur? Habebis dubij huius rei maximi solutionē in tractatione illa nostra citata *cap. 4.* vbi diximus nominum significata perplexitatem interdum, ac titubationē ingerere menti; adnotauimus ergo, sicut nomina quædam terminatione passiuam actiuam, passiuamque significationem

Dubium Scotus d. 7. q. 3.

Solutio.

ptæ se monstrant, vt se habent cõmunia verba, *ego te ãplector, & ego à te amplector*, quædã actiua terminatione solam actionem, vt *ego te diligo*, quædem vero passiua finitione passionem dumtaxat designant, vt *ego à te diligor*, quædem actiuo termino passionis significatũ ferunt, vt *Petrus Vapulat*, quædem deniq; sub actiua periter, ac passiua terminatione actionem solam demonstrant, vt si dixero, *Ego diligo Deum. Deus diligitur à me*; eundem actum actiui amoris mei gemina significatione demonstro, Deus enim actu amoris mei actiuo nihil perpetiens, non dicitur ex illo asserto, *Deus à me diligitur*, passioni subiectus, proindeq; sub gemina significatione eundem declaro actum; sicuti, inquam, præfatis modis regules periuntur verbe, ita aliam posse pari regulationem, vt si, scilicet, solam passionem sub duplici termino actiuo, scilicet, ac passiuo parientur; ita eadem creaturæ passio designatur dicendo, *Deus vnit naturam Verbo humanam*, ac dicendo. *Natura humana Verbo vnitur*. Non sunt igitur in hoc opere relationes reales plures; sed vna relatio realis in creata natura, & propterea idem erit asserere, Deus vnit, & humanitas vnitur, Scotus autem hanc actionem vniendi relationem realem à passione distinctam nusquam inuexit, sed dum *loco citato* hebuit hæc verba. *Respondeo, quod hic fuit vna factio realis actiua totius Trinitatis, cui correspondebat factio passiua realis, &c.* ita loquitur, quia ad instar veterum actionum, ac factionum hæc ipsa concipimus, & ex modo nostro concipiendi philosopherus ita sensit, nisi meuis dicere, actionem bifariam spectari posse; vel pro formali; quo sensu relationem dicit agentis ad passum, vel pro fundamentali; quo significato entitatem absolutem designat agentis, qua vel relatio passi terminatur, vel relatio funderur egentis; at nunc vero in Deo, quamuis actio realis formaliter pro respectu nulla sit, adest temen actio pro fundamento, quæ vel est Dei potestas executiua secundũ Thomistas, vel est ipsa Dei voluntas non distans à potestete executiua, de qua forte locutus Scotus actionem factionẽ realem in hoc opere constituit. Quod si insurgas. At de passiua effectione reali loquitur

Obseruatio e consideratione digna,

Actio bifariam sumitur pro formali, & pro fundamentali.

Oppositio

Scotus, quatenus hæc dicit respectum, cum sit vnio passiua hæc passio, ergo pariter dum de actiua locutus est, pro formali illã sumpsit, proindeq; quatenus respectum dicit, non fundementum, alioquin diuersimodè de altera locutus, & altera æquiuocatione fuisset implexus prægrandi; Respondeo in primis consecutionem esse voluntariam, quoniam vbi relationes non sunt mutuæ, non est necessum pariformiter de vtrisque relationibus loqui; cum igitur in Deo relatio realis nulla; in creatura vero sit relatio realis, entitatem illam non eodem modo potuit ex vtraque parte sumere, sed pro relatione in creature, pro absoluto in Deo; quia, scilicet, entitati relatiuæ creaturerum reali nihil entitatis relatiuæ respondebat in Deo; sed absolutum dũtaxat reale, quare cum penes realem essentiam entitatem illam ex vtraq; parte spectaret, potuit in Deo fundamentum, in creatura respectum intelligere. Insuper, nego passionem à Scoto ibi pro relatione sumptã; quoniam eam pro re acta sumpsit, nam vnio est res acta à Deo, quod si ipsa res acta relatio est, mea nihil interest, non est enim relatio passi ad agens, quæ vnio est, sed relatio naturæ dependentia ad Verbum vices humani suppositi in hoc opere gerens.

Occursus

35 Iam reuertamur ad probandam asserti propositi particulam primam marte proprio. Vbicumq; noua intercedit mutatio, subiectum ibi noua forma indui necessum est, sed humanitas in hoc opere mutatur, ergo noua forma indui necessum est, subrexe aliud dilemma; Vbicunq; est realis mutatio, noua induatur forma subiectum reale oportet; in præsentia humanitas realiter mutatur, quare nouæ realis formæ accessione mutatur. Vis huius secundi argumenti ex regula illa logica innotescit; *sicut simpliciter ad simpliciter, sic taliter ad taliter*. Vtriusq; autem argumenti maior ex formali ratione mutationis liquescit, qua dicitur mutatio rei diuersa habitio, & aliequam prius; accessione autem formæ nouæ subiectum aliter se, quam prius habet: Minor probatur, tum in primis, quia in hoc opere, quo supra naturæ cursum homo dicitur deificatus, mutatio aliqua genetice intel-

Prima pars probatur ex proprijs.

ligitur, quam in Deitate, & Verbo inuertere, error in fide, est, proindeque ad ipsam, quæ sola mutabilis superest, humanitatem reuocanda est, tum etiā, quia humanitas Christi in primo instanti naturæ non fuit assumpta, postea fuit assumpta; nexum cum Diuina natura non habitura naturaliter fuisset, habuit tamen, cæteraq; id genus talia: quæ euidentissima sunt mutationis argumenta; mutata igitur humanitas fuit; & mutato naturæ ordinè ad sublimiorē suppositationem pertracta; ergo aliquid in ea reale gestum est, quod prima nostra petebat assertionis particula.

Confirmatur

Adde pro corroboratione eius, Dei effecta realia esse in tempore, vt aliquam cū effectrice causa collationem habeant at hoc opus Dei effectum est, vt patet, ergo reale quippiam in opere isto efficitur. Quod si dicas, hoc fuisse non quid positiuum, sed priuatiuum, expoliata humana natura propria ratione suppositationis in humana persona. At hoc nihil est, quia hæc actio vera effectio dicitur, quæ si sola positiui priuatione compleretur; non esset effectio; sed defectio dicenda, non actio constitutiua, sed destructiua; constat autem actione Dei vnientis pertrahi naturam indiuiduam hominis ad suppositationē verbi, ergo est ibi acquisitio suppositationis præstantissimæ, neq; propterea ad solam priuationem terminatur.

36 Secunda asserti particula constituit hoc reale non esse humanitatem;

Probatur secunda pars, & tertia.

hanc autem superiori asserto specificè, & peculiariter decursauimus, quippeque contra secundā sententiam in principio capitis relatam difficultate vexabatur. Pars tertia asserti constituit actione Diuina nullum nouum gigni modum in hoc opere, qui sit relationis vnionis fundamentum. Hæc autem probatur sciscitando, an hic modus ab ipsa relatione distinctus sit, an verò sit cū relatione vnionis idem, & Vasquez quidem eundem esse ait modum cum relatione, Suarez vero alterum ab altero seiungit, ego vtramq; sententiam arguo.

Vasquezij, & Suarezij placitum expenditur

Vasquezij primum elodiunt imaginatio. Modus ille excogitatus, super quem fundatur relatio, cum ex aduersario sit substantialis, nequibit esse relatiuus, idem enim formaliter nequit duo obire formalitatum diuersa genera; relatiui nimirum, & absoluti, sed modus hic absolutus est, quia substantialis, ergo relatiuus non est; nec refert etiam naturam creatam relatam ad Deum substantiam esse, inuoluere tamen habitudinem ad Deum necessariam, quæ realiter à natura creata non distinguitur, quoniam, & si re ipsa non distinguitur illa relatio, vt multis probatur, certè formaliter ex natura rei distinguitur, vt in secundo dictum est, at hic modus à Vasquezio fictus ex natura rei à relatione non distinguitur, ne igitur formale relationem dicamus esse absolutum, coercendus est à nostris auribus modi huius nouiter inuenti auditus.

Contra modum Suarezij multa congregat Fauentinus Faber *disp. 3. cap. 2.* ex Scoto argumenta mutuando *d. p. q. p. art. 3. lit. I.* & præcipuè arguit primo, quia hic modus debuisset Verbo esse vnitus: videtur enim impossibile substantiam humanæ naturæ fuisse verbo vnitam, hunc autem modum non fuisse vnitum, si autem fuit vnitus, alia ergo vnitionis entitate vnitus in infinitum. Secundo quia si est modus substantialis hic, de quo loquimur, aut est res alia a natura assumpta; aut eadem; non alia, nam secus Christi humanitas non esset sicuti nostra humanitas hac vlteriori comite entitate constituta, si eadem, ergo manente natura humana manebit, Deus ergo naturam assumptam dimittere non posset, ne idē dicatur manere, & non manere.

Fabri contra Suarezium argutio.

Hoc argumentum arbitratur Faber efficacissimum, & omnino conuincens, estque ratio Scoti *loco citato*, sed quia Scotus ibi probabiliter locutus est, vt ipsemet doctor subtilis sub initio *litera* I. professus est, idcirco tirurum hæc argumenta Suarezium ostendo. Quid enim si primæ argumentationi diceretur, non potuisse modum illum verè esse vnitum, cum ipse sit modus vnionis? nec refert esse modum substantiæ, quoniam subsistentia etiam est modus substantiæ, nec tamen vnita est. Quid si secundæ argumentationi diceretur modum illum esse vtique modum eiusdem substantiæ assumptæ, non ita tamen eundem, quin posset à natura segregari, si dimitteretur? nam & subsistentia est hu-

Improbatur

mani

-iusmodi, segregatur tamen.

37 Ego indiscriminatim contra Suarezium arguendo, Vasquezio etiam litem dicam. Modus hic quicunque effectus est superuacaneus planè, & voluntariè inductus, ergo quã pari libertate inducitur, refellitur, vt quid enim noua hæc entitatis nouæ perditio nullo pro natura commodo, docentibus philosophis entitates sine necessitate plures vitandas? Antecedens ostendo; nam si necessarius est iste modus; vel ad rationem relationis fundandæ in genere, vel ad fundandam relationem talem necessum est: quodcunq; dixerint euellam, si primum. Contra insurgam: relatio extrinsecus adueniens suaptè natura; cuius generis est relatio præsens, nihil vltra præter fundamentum, ac terminum expostit, agentisq; actionem, sed hæc omnia absq; noua modi entitate seruamus incolumia in re natura, quid ergo frustra laboramus in huius noua modi positione noui? Minor probatur; supposita maioris probatione ex logicis, etenim adest actio Trinitatis eo modo, quo actionem in Deo ponimus, adsunt vnibilia extrema, nempe humanitas, & Verbum, ergo quid vltra cum necessitate inducas, ratio non cogit. Si dixeris expetere relationem talem, nempe naturæ ad Verbum, vt nouo substantiali modo fundetur. Obsto; Vnde hanc diuersitatem vltra cæteros externos respectus, vnus iste respectus hausit? An quia relatio terminus esse nequit actionis, an vero, quia vnio hæc dicitur substantialis, esset autem hoc dato accidentaria; an denique, quia hæc actionis relatio mutationem in substantia supponit, nõ fit autem mutatio, nisi alicuius accessione nouitatis? Sed quodcunq; eorum probes, improbaberis, si primum inuehas, præterquam quod ratio illa, non ad hanc solam relationem, sed ad quamuis relationem externam, si quam posset, difficultatem induceret, euacuatur illud tamen; quoniam in superioribus probatum est ad actionem; siue ad relationẽ esse motũ, & Aristotelis in hac re sententiam fuimus interpretati. Si secundum probes, habes ex superioribus responsum, vnionem hanc dici substantiarum, non substantialem verè, sed substantialem dumtaxat ratione extremorum vnibilium, siue vnitorum appellari, quoniam enim vnitur hac vnione Verbo humanitas, & humanitas, & verbum substantiæ sunt; vnio ipsa substantialis dicitur. Si Tertium profetas; necessitas illius probanda est tibi, æstimo enim veram mutationem nullã præuiam esse ad vnionem necessariam; nisi mutationem illam mauis dicere, secundum quam propria suppositatione humanitas expoliatur. Ex his conclusio, ruente modi huius necessitate, modum ipsum ruere penitus, vt voluntariè multiplicatum. Præterea Suarezius arguitur. Internus rei modus nequit à re ipsa dissociari vllo modo; sed hic esset modus humanitatis internus, ergo, & cuiusuis humanitatis internus; & proinde etiam naturæ, & insuper natura dimissa à Verbo, dimitti ratione modi natura non posset. Conclusio falsa, ergo altera præmissarum, non autem maior; cuius veritatem formalitatum periti abundè probant, nosq; de ea diximus in superioribus nonnihil, ergo minor, quæ est Suarezij assertio.

Arguitur Suarez, & Vasquez ex proprijs.

Præoccupatio dubij.

Secundũ argumentum.

38 Quarta asserti parte inducitur actione Dei vniendi nullam qualitatem, vt fundamentum vnionis produci. Hæc autẽ, quæ contra sententiam Gabrieli impositã militat, tum argumentis præfatis contra Suarezium, præcipuè primo, eluditur; tum etiam hoc argumento refellitur. Natura humana indiuidua nullo medio accidente suppositabilis est in proprio supposito, ergo nec in alieno; antecedens patet de facto, mea namque natura atoma suppositata prius intelligitur supposito meo, quàm meis affecta accidentibus, omni enim accidente est substantia prior; consecutio deducitur; nam eo modo, quo in supposito proprio suppositatur atoma hominis natura, personata est in supposito Verbi, dempta namq; propria suppositatione, propriæ suppositationis alienum suppositum vicarium fuit, vt ita dicam; quare vnione dempta, quid vltra expetendum sit in hac suppositatione facienda mihi superuacaneum omnino censetur.

Probatur quarta pars assertionis.

39 Vltimam partem sufficienter probatũ ex dictis, quibus in decursione obseruationum, tum in oppositione assertorũ inanitatem cæterorum effectuum ostendimus

dimus, nihil noui, relatione vnionis dépta, quam actionem Dei totalem constituimus terminum, probauimus inueniri.

Leo PP. Contra hanc nostram doctrinam præter allatam Leonis Papæ auctoritatem sub initio huius capitis, cui occurrimus dicentes, fuisse vtique hac actione humanitatem creatam, quia eodem temporis momento productam, proindeque simultatem temporis, non operis fuisse à Leone spectatam, vel si contendas etiam operis simultatem inductam, dicendum ex dictis, duas illas actiones ad inuicem relatas totum complere opus huius mysterij, humanitatemque hoc sensu tamquam formalem terminum dici effectam, non tamquam totalem; quemadmodum diximus obseruatione secunda: præter hanc (inquam) Leonis

Faber. auctoritatem multæ suppetunt dubitationes, quas integro 4. *cap. disp.* 3. recitat Faber, quas, & soluit, ita sunt tamen leues singulæ, vt facillimè ex proposita doctrina, etiam si mille tales ferantur instantiæ, dilui possint, singulas ergo consultò dimittimus.

AD EXPLICANDAM MYSTERII huius intelligentiam adinuenta à Patribus exempla perpenduntur.

CAPVT IV.

40 Tanta est huius mysterij celsitudo, tam superat rei magnitudo humanæ captum mentis, vt non immeritò Patres in superiori tractatione relati opus hoc ipsum factum enigma potius veneratione summa, quam explicatione dignum cõfessi, hoc se in eius captu scite dixerint, quod nihil scirent; consueuit tamen intellectus humani industria ad difficiliora faciliori methodo capessenda, creata nancisci exempla, quibus quo quomodo iuuatus animus, capiat si possit; si minus, Deum timeat, & honoret. Quod potissimum factum est in hoc opere, cuius explicandã quidditaté, ac naturã proposuimus, fere innumeris, ex hisce mortalibus, manu ducentibus mentem nostram exemplis, quæ si adamussim expendas, quid similitudinis, quidue dissimilitudinis habeant, videbis. Hæc igitur potiora sunt à Scolasticis, & Patribus apposita in declaratione huius mysterij tanti exempla.

41 Primum exemplum est ferri candentis, & ignis; quemadmodum enim ferrũ ignitum ita compactum est, vt cum vnitate indiuidua ferri calor adsit vnitus, & in vno indiuiduo duę spectantur entitates caloris, scilicet, & ferri, ita in vna Christi persona duæ considerantur naturæ, diuina, & humana. Hoc exemplum, quod antiquissimum Ecclesiæ Patrem Origenem agnoscit inuentorem *lib.* 2. *periarchon cap.* 6. alijs Patribus probatum est, potissimum verò Damasceno *lib.* 3. *de fide ortodoxa, cap.* 2. & Basilio *hom.* 25. *de Christi generatione, quæ habetur inter varias eius homilias.* *Origenes Damascenus, Basilius.*

42 Secundum exemplum est coniunctionis viri cum vxore, vt quemadmodũ duplicitate corporum vna est anima, & cor vnum, iuxta illud Genesis *secundo, erunt duo in carne vna*, ita in duplici natura diuina, scilicet; ac humana vnus fit Christus. Hoc exemplum placet Beato Bonauenturæ *lib.* 3. *sent. d.* 6. *art.* 2. *q.* 2. *Genes. 2. S. Bonau.*

43 Tertium exemplum est vnionis duarum formarum accidentariarum in indiuisa anima nostra; vt quemadmodũ iuris peritia, & Philosophia sine destructione vnitatis animi nostri impermixtæ manere queunt; ita censeatur in impartita Christi persona duæ conuenire naturæ impermixtæ, ac diuisæ; quoniam nec diuisionem Christus, nec permixtionem passus dicitur ab ecclesia in quadam Antiphona. Hoc placet Augustino. *Aug.*

44 Quartum exemplum est arboris, ramiq; in arbore inserti, sicuti enim in vno arboris trunco duæ pomorum species incolumes seruantur, fructusq; bini generis producuntur, ita in vno Christi indiuiduo supposito duæ naturæ seruantur incolumes, è quibus actiones manant diuersæ, quædam diuinæ, quædam humanæ. Hoc exemplum adscribitur Leoni *sermone primo de natiuitate*, & amplectitur à Durando *lib.* 3. *sent. d.* 1. *q.* 1. elicitum à Sacra *Apocal.* 5. vbi Christus *dicitur leo de tribu Iuda, & radix Iesse*, & 22. eiusdem libri, *ego* (dicitur de Christo) *sum radix, & genus Dauid*, ex quibus elicit Durandus, quod sicut, *Leo PP. Durandus Apoc. 5. & 22.*

ex trunco, & ramo fit vnum per insitionem, sic ex natura Diuina tanquam ex radice, & trunco, & ex natura humana tamquam ramo de stirpe Dauidis insito factus est vnus Christus, qui hanc ob causam *epistola Iacobi cap. 1.* vocatur Verbum insitum.

Iacobi primo

45 Quintum exemplum est vnionis in templo, nam sicuti vnum est multiplici compactum parte templum, ita in duplici natura vnus agnoscitur Christus, hoc adducitur à Recẽtibus elicitum ex illo Ioannis *secundo, soluite templum hoc*, quod de corporis Christi templo dictum esse Ioannes testatur est ibi per hæc verba. *Hoc autem dixit de templo corporis sui, &c.*

Ioann. 2.

46 Sextum exemplum est accidentis, & substantiæ, quemadmodum enim accidens vnitur substantiæ, in vnitate suppositi, non accidentarij, sed substantialis, ita in vnitate diuinæ personæ, diuinæ naturæ adiungitur humana. Hoc exemplum vrgetur à Scoto, & Scotistis, nec non à Gabriele Biele *d. p. 3. q. p.* quibus maximè probatur, vrgetur, inquã hac declaratione; nam si accidens, non quà subiectum informat accidentariò, neque quà compositum accidentarium constituit, sed quà ab ipso sustentatur subiecto, contemplemur, aptissimum humanæ naturæ ad Verbum dependentis, & à Verbo sustentatæ exemplum nacti erimus.

Scotus, et Scotistæ Gabriel

47 Septimum exemplum, illudque tum ex auctoritate primi institutoris eius, tũ ex multitudine Doctorum, à quibus probatur, celeberrimum est animæ vnionis, & carnis; nam sicut anima rationalis, & caro vnum constant hominem, ita in duplici natura non duplex, sed vnus est Christus; auctor huius exempli, seu similitudinis est Beatus Athanasius in symbolo his verbis. *Nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, Ita Deus, & homo vnus est Christus, &c.* placet autem apprimè S. Thomæ *d. p. q. 2. art. 6.* & Thomistis eo loco singulis.

Athanasius
S. Thomas, ac Thomistæ

48 At nunc verò quænam sit apta magis similitudo disquirendum est, qua in re auctores secundum diuersa placita, quæ probant alteram, & alteram similitudinem non alio argumento refellunt, nisi propriam constituendo. Solis Thomistis, Caietano, præcipuè Suarezio, & alijs visum est, ne dum propriam propugnare, sed alias aliquas expugnare, quidquid autem sit de cæteris, Scoti similitudinem his obiectis præsertim, villicant. Primum est, quia vnio accidentis cum substantia accidentaria est, non autem substantialis, vnio autem duarum naturarum in Christo substantialis est. Secundum, quia substantia quæuis, è cuius serie est assumpta natura, est apta nata per se esse; accidens autem non est aptum natum per se esse. Tertiũ quia humanitas Verbo non inhæret, accidens in subiecto inhæret, nulla igitur superest exempli accidentis in subiecto similitudo ad entitatem nostræ vnionis mente hauriendam. Hisce prælatis exemplum vnionis animæ, & carnis inde verissimum, ac simillimum esse contendunt, quoniã sicut rationalis animus vnitus carni, carnem ipsam ad sui existentiam trahit, sic Dei Verbum carni nostræ vnitum, carnem ipsam, ac humanitatem ad sui existentiam trahit.

Calet. Suarez.

49 A longiori sermonis decursione in hoc capite supersedeo, quoniam concertationes singulæ vanæ, ac inutiles diiudicantur; est enim in cõfessis, quãtumcumque ex humanis exprimas, ne tantillam quidem huius mysterij partem te posse attingere, vnde enim in humanis multorum vnio, quorum vnum actus, alterum potestas non sit? è quibus non coalescat compositum vnum verè compositum? vnde tanta copulatorum diuersa coitio? Si ergo similitudinem expetas omni ex parte intellectum manu ducentem, inani labore consumeris, siquidem singulæ maiorem dissimilitudinem, quam similitudinem demonstrant.

Similitudines allatæ dissimiles.

50 Exemplum in primis ferri, & caloris; quo ferrum candet, inane est; quia ferrũ calore informatur, Verbum natura non informatur: ferro inhæret calor, Verbo non inhæret natura: ferro adiungitur accidens, quia accidens est calor, Verbo non accidens, sed substantia: calor non est natus per se subsistere, natura humana nisi pertracta fuisset, vtique per se apta fuisset subsistere. Mitto dissimilitudines cæteras, quarum non est numerus. Habet verò allatum exemplum penes hanc minimam particulam tantillum similitudinis, quia sicuti à Verbo sustentatur natura, ita à ferro calor.

Exempli primi defectus.

Frãciscus Suarez *disp. 8. sect. 1.* aliã nactus est similitudinem, quæ est denotari hoc exẽplo, quomodo humanitas à diuinitate illustretur; est tamen risu digna hæc similitudo, nam per ipsum verbum assimilatur ferro, humanitas calori, calor enim non subsistit, sed ferrum subsistit, eo modo quo subsistentia est in inanimis, at (ego inquam) quid nam illustratur in ferro candenti, ferrum ne à calore, an calor à ferro? certè à calore ferrum, ergo similitudo risu digna; non enim Verbum illustraret, sed illustrari ab humanitate deberet, quod qui dixerit insaniret.

Secunda nulla pene.

51 Exemplum coniunctionis viri cum vxore est simile dumtaxat penes affectuum coniunctionem, cæterum en mille diuersitates: vir, & vxor nulla vnitate, nisi voluntatis copulantur (missa copula Veneris, de qua similitudinem ferre est æquè impium, ac insanum) at in Christo vera est vnio duplici remanente voluntate. In uiro, & coniuge, vel neuter alterum, vel alter alterum sustinet, quandoq; virum fœmina iuxta conditionem facultatis, rerumq; familiarium, in hac vnione perpetuo Verbũ sustentat humanam naturam, in coniuge, & viro nulla suppositi, in hac nostra de qua loquimur tota in vnitate suppositi vnio. Suarez similitudinẽ aliam est nactus, quia, scilicet, vt à viro vxor, ita à Verbo ditatur natura, sed quid si pauperi marito vxor nubat? nonne locupleti dote maritum ditat? at tunc exemplum vanum erit, ne dicamus ab humana Verbum ditari natura. Mittamus obsecro hoc exemplum, nedum vt ineptum, sed vt hæreticis ad insaniendum profuturum.

Suarezij similitudo vana.

52 Tertij exempli vnionis duarum accidentalium formarũ en tibi dissimilitudines, forma vtraque animum format, ac animo inhæret; neutra natura verbũ format, aut Verbo inhæret, forma vtraque accidentalis; neutra natura in hoc opere accidentalis, animus ipse, cui inhærent formæ, non est suppositum, vereq; persona, Christi suppositum verè persona, ex formis hijs, ac subiecto accidentalium emergit constitutum, ex natura vtraque nulla mixtio, nulla vera compositio. Quid ergo similitudinis feras? An quia sunt plura in vno? sed si à tam longinquo mutiaris exempla principio, mille tibi, ne dicã infinita huiuscemodi supperent exempla, Et hoc igitur exemplum inane est, tum ob id dictas, tum ob alias, quas mitto causas.

Tertij exempli dissimilitudines.

Quartũ exemplũ eneruatur.

53 Insitionis exemplum deficit primo, quia ramus insertus non est perfecta arbor, humana natura perfecta est in ratione humanitatis: deficit secundo, quia ramus præextitit prius; natura non præextitit prior tempore, in cuius momento eodem creata fuit, & vnita: deficit tertio, quia truncus inserendo diuiditur, Christus non commixtionem passus est; nec diuisionem: deficit etiam ob alias causas, quas mitto apud Recentes notatas: est autem similitudo in effectibus, quia sicuti ex vna arbore in hunc inserta modum diuersa colliguntur effecta, ita in vno Christi supposito ob nexum vtriusq; naturæ diuinas, humanasq; operationes edidisse Christum docent Patres; Dionysius præsertim *lib. de diu. nom. cap. 2.* actionem Christo Theandricam tribuens; hoc est Dei, virilem, idest Dei, & hominis, & Leo Papa *in epistola ad Flauianum*, & Patres *in 6. synodo*: est etiam similitudo, quoniam sicut trunco subsistente diuersæ speciei ramus inseritur, ita Christo diuersa vnitur natura humana, idcirco exemplum hoc à nonnullis Patribus propugnatur.

Dionysius

Leo PP. 6. Synod.

54 Exemplum de templo est simile dumtaxat penes cultum, venerationemque Dei, quoniam sicuti in templo Deo vero verus exhibetur cultus; ita in Christi corporis templo beatus Christi animus nedum Deo veneratione, sed beatitudine fruebatur, propterea Christus ad destructione templi alliciebat Hebreos, vt templum refabricarent lapide impassibili; quale est corpus gloriosum modo ex dictis explicato. Penes cætera tã à conuenientia, ac similitudine allatum distat exemplum, vt sit omnino ineptissimum.

Quintum exemplũ ferè nullum.

55 Exemplum accidentis cum substantia deficit in informatione, & inhæsione; inest enim formando, ac inhærendo accidens; non sic humana natura: deficit rursus, quoniam accidens est illud, quod à substantia sustinetur, humana vero natura sustentata à verbo non accidens est sed substantia, & proinde vnio acciden-

Scotici exempli dissimilitudo, ac similitudo.

tis

tis cũ substantia accidẽtaria dicitur, vno ex ijs coalescente accidentariè cõposito; vnio autẽ naturæ humanæ cum Verbo; quamuis suoptè ingenio accidens sit, substantialis dicitur; quoniam ipsius merito natura humana in supposito nectitur Verbi; & hactenus ægregiè contra Scoti argumentantur exemplum Caietanus, Medina, & Suarez: cæterum si ijs præcisis penes sustinentiam accidentis à substantia metiatis exemplum aptissimum est, vt tractatione superiori probauimus, est ergo in vna parte simile exemplum in pluribus dissimile, & proinde rectè diximus, conuenientiã quãcunq; feras esse mille dissimilitudinibus copulatam. Scio Fabrum Fauentinum *disp. p. 3. cap. 2.* enixè probare exemplum Scoti esse validissimum, quia, inquit ipse, tria sunt in hac vnione spectanda, primum est, vnionem esse substantialem, quia fit in hypostasi, quæ est substantia: secundum, nec naturam, nec suppositum habere rationem actus, & potentiæ, cum non sit Christus verè compositus: tertium, naturam humanã sustentificari à Verbo; est autem exemplum Scoti penes hæc tria, penes primum quidem, quia vnio accidentis fit in supposito manente eodem; Petro namque vnita albedo Petri personam non multiplicat, sed vnitur Petro in vna persona: secundum etiam, quia hæc ratio actus, & potestatis si præscindatur erit tunc accidens solum à subiecto sustentatum; & ob hanc causam multo similiua est penes secundum. Hanc scio esse Fabri mentem, sed non sanam; nam, dum benignè nimis Scoti patrocinatur exemplo, nullius auctoris pati poterit in sua hac doctrina patrocinium, cum in tertio capite simile dumtaxat sit exemplum adductum verè, ac realiter: in secundo autem, & tertio capite solum ex capite, & voluntate Fabri. Nã, quod pertinet ad primum, Vnio hæc in Verbo ne dum dicitur substantialis; quia est in hypostasi, sed quia est substantiarum in hypostasi, vt supra diximus, at vnio accidentis in subiecto nõ est substantiæ, sed accidentis in subiecto. Similitudo igitur prima gratis, & voluntariè inducitur. Quod pertinet ad secundum; vix legens hæc apud Fabrum risum potui cohibere legendo; nam si præscinditur hæc ratio actus, & potestatis, ergo non est simile penes non informationem à parte rei, si à parte rei verè accidens subiectum accidentariò informat. Similitudo autem penes tertium est eadem, ac illa, quam adduximus nos supra: quare Fabri labores pro propugnando Scoti exemplo vani sunt, & infęcundi, neque tanti faciendum est exemplum Scoti adductum, quoniam ipsemet Scotus *d. p. q. p. lit. A.* docet difficile esse reperire similem dependentiam in hisce creatis; docet etiam exemplum accidentis, & subiecti solum aliqualiter mentem iuuare ad hoc capiendum mysterium; si ergo aliqualiter iuuat, vt quid plenè iuuare probat pro Scoto Faber?

Caietanus Medina Suarez.

Faber

Reprehenditur.

56 Septimum exemplum etiam deficit primo, quia anima, & caro vniuntur, vt actus, & potestas; & proinde compositum ex his verè coalescit; natura vero humana, & Verbum, nec actus, nec potestatis rationem inducunt, proinde nihil compositi ex eis emergit. Deficit secundo, quia anima, & caro vniuntur vnione in natura specifica, hominem quippe, vel rectius (nisi animus sit rationalis) animal constituunt; natura vero humana vnitur vnione in hypostasi, & subsistentia; est autem simile in hoc, quod vtraque natura est substantia, sicuti in Christo vtraq; natura substantia est. Thomistæ citati hoc capite aliam protulere similitudinem de pertractione naturæ ad subsistentiam Verbi, quemadmodum anima trahit ad sui existentiam carnem, sed hæc similitudo impertinens est, ne dum, quia loquendo de existentia, tam anima, quam caro existentiam propriam non desiderat, loquendo autem de subsistentia, vtraque illam desiderat, cum sit solius suppositi propria; vt patet disputatione de personalitatis ratione formali; sed etiam, quia perperam ipsi exemplum intelligunt: exemplum est Animæ, & carnis, ex quibus fit vnus homo; & ita ex Deitate, & humanitate, illa, quæ est instar animæ, ista corporis, fit vnus Deus; si ergo carnem trahit ad sui existentiam, siue subsistentiã anima, deberet Deitas trahere naturam humanam ad sui subsistentiam, vel existentiam, quod falsum est, cum hæc

Septimũ exemplũ expenditur.

Alia Thomistarum similitudo improbatur.

sit

sit vnio in hypostasi, non in natura; & rursum, quia subsistentiam de qua loquimur, persona sola habet diuina, non autem natura. Sed quid de primo exempli huius in vno similie, in multis deficientis, auctore dicendum, numquid tanti Patris nihil auctoritas facienda? Absit, sed is ita sensit, vt vsus exemplo fuerit ad ostendendam substantiarum diuersarum coalescentiam; cuius meritò vnio contra Nestorium constituta est essentialis, siue substantialis explicato modo, in cæteris exemplum non adhibuit, quod & nos in hac parte recipimus, in cæteris negligimus, & si tanti Patres à Thomistis æstimantur, cur non tanti Damascenus, & Basilius pro primo exemplo citati? cur non tanti Augustinus pro exemplo tertio? Certè, quia isti in re certa probabilirer locuti sunt, ergo par feram de Athanasio Iudicium. Ex his habes humana in huius expressione Sacramenti deficere singula exempla; solaq; esse fidei luce, ac gratiæ perspicillis inquirendum, quo nequit humana nos euehere industria, &c.

Athanasij mens declaratur.

RATIONES BACCHONI EVELLENTIS vnionem à relationum numero enodantur.

CAPVT V.

57 Eneris hocusque capitibus tamdiù fuimus vagati, vt vnionem esse hanc de relationum numero innotesceret magis; quo proinde cōstituto diffinitionem Incarnationis, & quidditatē eius perfectam aperire possemus. Hæc vna pro hoc opere desiderari poterat probat[?]one aliorum improbatis rationibus deducta, quam hoc præsens præstat caput.

In quo duplici ex capite difficultates animum turbant. primo assertionem, doctrinamque nostram labefactant; quicumque omnia ad absolutorum seriem reuocantes relationum realium genus de medio tulerunt; ij sunt Ochamus, & Nominales. Secundo doctrinæ nostræ obicem Bacchonus ponit, constituens quidem relationū realium genus non esse de medio tollendum, sed vnionem hanc ad relationum ordinem reuocari toto spiritu recalcitratus. Supersedeamus de sententia Ochami; quæ logici est muneris, Bacchoni cribremus rationes; quæ theologico munere obiectātur diluēdæ.

Ochami & Gabrielis effatum.

58 Primum Bacchoni argumentum est, quæcunque relationes asseruntur esse realis, etiam debent inter extrema verti relatiua; at vnionis huius extrema relatiua quis dixerit, cum Verbum ad creaturam reali habitudine nō referatur, humana etiam natura, & si sustineatur à Verbo, sola tamen substentificatio non facit rem substentatam esse relatiuam, quoniam scientia insti netur à subiecto, nec tamen ad subiectum refertur, ergo nec ipsa vnio esse potest habitudo realis. Maior probatur, quia relatio proprium subiectum denominat, & implicat relationem verti non inter relatiua, esset enim forma sine denominatione denominans, quare concludendum est, vel illa extrema esse relatiua, quod falsum esse probauimus, vel vnionem à relatione segregari, quod petimus.

Primum Bacchoni argumentum.

59 Secundum argumentum, Si vnio sit relatio, relatio ipsa duo obiret monera, duoque haberet correlatiua, consequens est contra Aristotelem *quinto supernaturalium cont. secundo*, ergo pariter antecedens, sequela deducitur, etenim refertetur ad vnita, & ad vniens; ad illud quidem vt efficiens, ad hæc verò vt ad terminum, & subiectum, quod declaratur exemplo scientiæ quæ relatiua refertur ad scibile, si autem referretur etiam ad sciens, quod est subiectū sustentificans duplici termino referretur, duoq; respiceret correlatiua.

Secundū Ex Aristotele met 5. cont. 2.

60 Tertium. Vbi est tanta vnio, qua vnū alterum, siue de altero dici potest, vnio illa relatio non est, at hæc vnio tanta est, vt vnita promiscue effari de se inuicem possint, quia & Verbum dicitor homo, & homo Deus, ergo vnio ipsa relatio non est, Maior patet; quia vnio eius generis ita vnit extrema, vt illa potius identificari videantur, quam vniri, relatione superstite volonie.

Tertium

61 Quartum ex ratione relationis multiplici, Primo relatio non dicit perfectionem, neque imperfectionem, secun-

Quartū

Secundo, relatio non potest esse terminus motus. Tertio, si sic nona expetit nouum absolutum, quod accessione mutationis mutat, val mutatur. Quarto, si sit taalis extrema postulat realiter distincta, sed allatæ rationes dasidentantur singulæ in hac vnione, de qua litem agimus; frustra igitur vnio ipsa constituitur asse relatio. Minor probatur quo ad singulas particulas; nam in primis hæc vnio maximam perfectionem denotat in assumpta natura, rursum hæc efficitur à Deo, estque proinda actionis, sin minus veri motus terminus, siue formalis, siue totalis. Rursum nullum absolutum dauuo hac vniendi actione à Deo, creati Scotus, & Scotistæ pro viribus probant. Demum extrema eius, quæ sunt Verbum, & homo, sunt maximè vnita, non proinde realiter diuersa, has igitur conditiones desidarante omnes vniona, quas necessum ast relationi copulare, necessarium est vnionem à relationum numero segregare.

Obuiam itur argumentis Bacchoni Mairo-nus. Bernardus

62 Hisce, & consimilibus nostra sententia torquatur rationibus à Bacchoni assaclis, quibus addi potest Bernardi auctoritas à Mairono citata constituantis vnionem hanc essa aliarum vnionum Principem, & quasi tenere vnionum arcem; relatio autem non suscipit magis, & minus. Quibus occurrere difficile non est. Hac Bernardi autoritate dampta, argumenta omnia hæc Faber noster in vestibulo ferè totius tertij dilnenda, quæ proposuit, diluit, ita taman insufficienter, vt ob hanc causam liburrit ea nostræ responsioni subijcere.

Responsio Fabri ad primum refelitur

63 Pro solutione primi multa corrigenda supponit. Primo docet ralationem scientiæ ad subiectum essa trascendentē; constituto prius debere transcendentes relationes essa easdam cum subiecto; quæ duo asserta pugnant, quoniam scientia à sublato distinguitur realiter: insuper vnionem esse ait extrinsecus accedentem, & transcendentalem, & hæc etiam duo asserta pugnant, nam si eæ sunt relationes transcendantes, quæ sunt eædem suo subiecto secundum ipsũ, quonam modo fieri poterit, vt trascendens sit aliqua relatio extrinsecus accedens? Rursum; si relatio hæc prædicamentalis esse constituatur, vt dictum est in superioribus, vanitas responsionis Fabri alu cascit magis. Demum minorem argumenti in solis relationibus intrinsecè aduenientibus concadit, sed quid si dicamus, veram essa illam in singulis relationum generibus, non equidem vararelatiua secundum asse, sed secundum dici à relationibus denominari? Certè natura humana vnita dicitur, & termino vnita Verbi, & Verbum vnionem terminata dicitur, quare relatiua secundum dici possa nuncupari ambo, nullum arbitror assa incommodum, immo incōmodum asse reor assarera formam dari denominantam sine subiecto denominato; quod vtique tunc temporis eueniret, si sine relatiuo relationem ponas. Vtique sentio diuersam esse da relationibus intrinis, & externis similitudinem in nuncupatione subiecti, quoniam ex virtute sua extrama sunt relatiua in relationibus de prædicamento ad aliquid, sicuti relationes ipsę extremorum virtute pullulant; in relationibus autem externis extrema, sicuti ab externo referuntur ralatione accedante, ab externo, ita relatiua sunt secundum dici ab externo; sed mittamus in sequentibus Fabri solutiones inanes, nec singulas nostro subijciamus calamo, nè plusquam patitur difficultas, augeatur disputatio. Iam ex his solutionem habes primi argumenti.

Relatio quædam secundū esse, quædam secundum dici.

Solutio secundi

64 Ad secundum nego sequalam, quoniam relatio non refertur, sed refert extrema, nam si referretur alia relationa referretur, & in infinitum sic de relationibus, & relatiuis liceret arguere; & probatio cum suo exemplo inepta est, inapta, inquam, est probatio, quoniam etsi relatio, qua opus Dai referatur ad Deum non tamen quā relatio, sed qua creatura, quoniam non dicitur qua relatio terminate opus creantis Dei, sed qua creatum quid; posito quod referatur, non tamen ad terminum refertur, sed subiectum refert, vt diximus: ineptius est autem exempli deductũ à scientia, nã scientia non ast relatio, sed relatũ, ac subiectũ relationis, qua tam ad sciens, quam ad scibile refertur, idem autem subiectum relationas posse compati plures, quarum intercessione diuersa correlatiua respiciat,

ciat, exemplum est homo singularis subiectum relationis filij, serui, & Patris, qui relatione prima refertur ad Patrem, secunda ad Dominum, tertia ad Filium.

65 Ad tertium, Respondeo distinguendo maiorem, vel enim illa, quæ vniuntur sunt identificata inuicem, vel disgregata remanent, quamuis vnita, primo modo, quidquid sit de maiori, nego minorem: quamuis enim Verbū de homine dicatur, deque Verbo homo, ad inuicem tamen non sunt commixta Verbum, & homo, sed realiter distincta, licet summè vnita: secundo modo concessa minori nego maiorem, cuius probatio de priori dumtaxat sensu allata est.

Tertiū diluitio.

66 Ad quartum rationes; illæ imprimis, quæ formaliter in vnamquamque relationem realem conspirare dicuntur, difficultatem pariuntur, immò singulæ falsæ sunt, vnam excipe quartam in ordine, qua constituitur relationem realem realia poscere extrema, quæ vera est, cæteræ verò sunt falsæ, nam & esse Patrem perfectionis est in humanis, & esse Dominum pariter, licet accidentaria perfectione; relationes autē, nec perfectionū, neque imperfectionum parentes sunt relationes dumtaxat diuinarū personarū cōstitutiuæ, vt in primo sent. dictum est. Rursum relationes non posse esse terminum motus, falsum esse *cap. 2.* ostendimus in hac ipsa disputatione, quoniam ad vbi constituitur motus, Doctore Aristotele *in quinto naturalis Philosophia*, qui, si eo loci ad alia relatiua prædicta motum negauit, certè ad vbi concessit, & proinde non ex relationum oritur natura, quin motum terminare nequeant, sed ex ratione talis habitudinis, quia nimirum passiones sunt, vel actiones illi respectus, actio autem, ac passio sunt pariter motus, proindeq; ad eas concessus motus, concederetur ad motum, quod falsum est; relatio igitur per motum acquiri potest, & propterea ad relationem aliquam esse motus potest. Quid si dicamus Dei actionem verè motum non esse, atque obinde scrupulum allatum laris inane esse?

Soluitur quartum

Thes. 5.

67 Rursum noua accedente relatione absolutum teneri consurgere nouum, si de relatione intrinsecus adueniente loquamur, concedimus; at si de externa negamus, vt superiori quarto capite probanimus. Extrema igitur paticola, & ratio relationum conceditur constituens verti relationem inter realia extrema distincta, at falsissimum est, Verbum, ac humanitatem non esse realia extrema distincta realiter, sunt enim vnionis arctissimo vinculo vnita, at natura in Verbi entitatem nō transfiuit, nec Verbum sese in hominis transfudit essentiam, vnde canit ecclesia. *Id quod fuit permansit, quod non erat assumpsit, non commixtionem passus, neque diuisionem, &c.* quæ verba dum legis, caue intelligas, diuisionem esse referendam ad naturam, & Verbum simul, quasi verò ea diuisa, ac distincta non sint, sed puta referendam ad Verbum, & ad Deū, qui assumens hominē non est diuisionē, ac partitionem in se passus, quamuis alia sit entitas realiter distincta ab humana natura, quam ad se sumpsit.

Ecclesia in antiph.

68 Auctoritas Bernardi expetit solutionem alterius difficultatis de quantitate huius relationis, & vnionis numquid, scilicet, hæc vnio humanæ naturæ ad Verbum sit vnio omnium maxima, quoue magnitudinis genere excellat cæteras, de qua in sequentibus.

Bernardi auctoritas inseq. disp. reijcitur.

(†)

DISPVTATIO V.

DE QVANTITATE HVIVS VNIONIS.

CAPVT PRIMVM.

An hæc Vnio in genere entis sit maxima?

1 PErfecta rei diffinitio ex philosophis debet esse oratio longa explicans quid, & quala, & quantum; iure igitur merito, intimam vnionis huius perscrutando naturam, quidditate eius dacursa, quantitati eius hunc proprium tradidimus locum, quoniam quantitas immediatius substantiæ inest, vt propria demum sede qualitatem eius nanciscamur, expetit igitur dubitatio præseus, an vnio hypostatica sit vnionum omnium maxima, & quoniã vnio præsens spectari potest, vel in genere entis, vel in genere doni, vel in genere volonis, singulas cribrando difficultates, disputationem propositam ordinatè prosequamur.

2 Primum igitur dubitatur. An hæc vnio sit in genera antis maxima. Non autem sumimus in hoc titulo ens ipsum in vniuarsa amplitudine vsurpatum, qua concaptu dicit Deo, & creatis communem, sed ens sumimus pro enta tali, nimitum gratuitò, & donato, vt sit sensus, an in genare talis entis, vt puta doni, quod à munifica Dei maun hominibus fluxit, cuiuscunqua enti, & dono præponenda sit vnio in hypostasi, acceptus enim in sua amplitudine sensus tituli inanis esset, cum enim maximum inter entia sit Deus, peteret proposita difficultas, an hæ vnio esset Deus, quæ petitio ridicula est; sique notam illam ac particulam *maxima* ad entia creata referas, sensus asset, an inter effecta Dei maximam habeat antitatem hæc vnio, quæ postulatio etiam satia impertinens esset, ac vana, quoniam conspicuum est, accidens esse hanc vnionem, effectasque substantias quasdam à Deo Deo proximas cuique accidenti eminentes iuxta Augustini alogium. *duo Domine fecisti, vnum propè te, nempe Angelos, &c.*

Augusti. in conf.

quare si nomen entis in amplitudine sua vsurpes in hoc titulo inutilem disceptationẽ contexes, sumptum autem entis vocabulum pro enta tali gratuito, & explicata petitio hæc, an Vnio hypostatica sit in genere antis maxima, in hunc modum: An Vnio hypostatica sit in genere doni donum præstantissimum, dilucida magis ast. Proposuimus tamen eam sub illo titulo, vt in proponendis difficultatibus à communi sententia non discederemus, discedentes autem proponimus aam hoc modo, An sit Incarnatio donorum à Deo largitora mauantium omnium sine difficultate maximum.

Titulus difficultatis.

3 Obserua insuper prçexplicato titulo, ac petitionis sensu, disputationem hanc vrgari posse in ordina ad duo, nimirum ad humanitatem à Christo assumptam, & ad totum genus humanum; quod iuuaturos humanitatam sumens Christua aduenit; disquiri autem potest, nunquid Vnio fuerit maximum donum humanitati Christi axhibitum, & rursum peti, an Incarnatio sit maximum bonum hominibus à Deo præstitum, si penes primũ sensũ difficultatẽ cribrare mauis, tecola triplicem in Christo spectari gratiam: Vnam habitualem, aliam capitis, tertiam Vnionis. Gratia habitualis, quæ alio nomina gratum faciens gratia singularis personæ appellatur, secundum quam Christi opera elicita meritoria fuerunt acceptante Deo. Gratia capitis, de qua Augustinus ad Dardanum. *Habitat in Christo omnis plenitudo gratiæ, tanquam in capite, &c.* non est distincta à gratia habituali, nisi panas considarationem diuersam, nam quà illa gratum facit Deo animum gratum faciens dicitur, quà in membra Ecclesiæ Christus influit, appellatur gratia capitis. Gratia vnionis ast hæc ipsa humanæ naturæ assumptio ad suppositationẽ in Verbi supposito, Si Vnio igitur ad gratiam, cæteraque dona humanitatis Christi referatur, postulari potest, an sit maius donum gratia capitis, & gratia habituali, rursumque quia beatus Christi animus Dao ab ipso primo creationis instanti frui cæpit, ad beatificum opus, ac donum si referatur vnio, postulari potest; verum donum excellentius al-

Declaratur insuper.

Christi gratia triplex.

Augustinus ad Dardanum.

tero fuerit in Christo, beatitudo ne, an vero Vnio in hypostasi, allatæ autem gratiæ, cum quibus confertur hoc donum, etiam vniones dicuntur. prima vnio gratuita, secunda beatifica, tertia hypostatica,

Declaratur alter sensus quæsiti.

4 Ad humanum genus autem donum hoc assumptionis humanæ mortalitatis in supposito Verbi si referatur; postulatio eo vergit, vt petat, an hoc donum cæteris homini elargitis excellentia præstet, ac dignitate. Sunt autem dona hominibus genericè largita donum gratiæ, & donum gloriæ, & rursum, quoniam propter nos homines verbum de Cælis descendit, donum vnionis in hypostasi, Numquid igitur alterum altero fuit dono præstantius, an verò cæteris donũ hoc sine discrimine fuit anteponẽdũ? Hęc omnia vno hoc capite quam breuissimè prosequemur.

5 Si hoc donum ad Christi cætera dona referas; sunt qui putent gratiam habitualem huic dono anteponendam, quoniam illa passim à scholasticis summa nuncupatur, ne dum positiuè, sed & negatiuè; ita vt nec similem, nec maiorem elargitus sit cuiuis Deus. Alii verò, quamuis donum hoc præstare sentiant gratiæ habitualis dono; huic tamen donũ beatitudinis præferunt, & excedere putant visionem beatificam supra donum hoc longissimo tractu ijs rationibus conuicti, quas infra feremus. Citatur in hãc sententiã Marsilius, citatur & Durandus in 3. d. 2. q. 1. citatur & Gabriel, q. & d. c. quamuis duo isti auctores sine assertione loquantur, vt patet apud ipsos, Durandum pręcipuè, qui in gratiam cuiusdam solutionis opinionem præfatam inuexit, cui tamen non adhæsisse testimonio sunt verba illa Durandi, *prima tamen responsio melior est; &c.* Gabriel etiam cum multa cautela adductam opinionem de aliorum mente recenset, cui dilucidè non se subscribit; cuiuscunque tamen auctoris illa sit habet pro se non leue fundamentum quod referetur inferius.

Opinio aliorum.

Marsilius Durãdus, Gabriel.

6 Opposita sententia constituit maius fuisse in Christo humanitatem vniri Deo hypostaticè, quàm gratuitè, & beatificè; ita communiter Sanctus Thomas in 3. p. q. 2. art. 9. & 4. q. art. 1. S. Bonauentura d. 2. q. 2. art. 1. & alij. Quid in hac re Scotus noster senserit non facile dixeris, si Scotistis credas, Faber *disp. 8. cap. 3.* Scotum in hac re variè sensisse putat. Qui enim *in 3. dist. 2. q. 1. in solutione 1. principalis* arbitratur has vniones non esse comparabiles ad inuicem, quoniam sunt alterius generis, paulo ante senserat maiorem esse vnionem beatificam hypostatica vnione, quo ad actum secundum, non verò quo ad actum primum, & proinde esse comparabiles, rursum *in 4. d. 49. q. 2. lit. E.* maiorem perfectionem in hypostatica, quam in beatifica nanciscitur vnione. Rada etiam hisce Scoti auctoritatibus adductis, & cribratis, censet *cont. 3. 3. p. art. 5.* Scotum, quam posuerat sententiam *in tertio sententiarum*. de impotentia comparationis inter has vniones correxisse, ac mutasse *in 4. d. 49. lit. C.* & proinde Faber Scoto perplexitatem Rada incõstantiam imponit; vt non sit mirum, si de Scoti placito concertant Recentes Vasquez *disp. 20. cap. 4.* & Suarez *disp. 9. sect. 2.* quod nec plene ipsis Scoti sectatoribus innotescit. Cæterum ego arbitror nec incostantem, nec perplexum fuisse in hac re Scotum, vt infra monstrabo, interim aliorum placita referam relato hoc dono ad naturam humanam absolutè.

S. Thomas.

S. Bonauentura.

De Scoti sententia Scotistarum litigium.

Faber

Rada

Vasquez Suarez.

7 Quo dono maiori affecta fuerit humana natura, postulatus, respondere quispiam posset, dono gratiæ gratum facientis, alius dono visionis beatificæ, alius dono Sacramentorum in esse manentium, præcipuè Eucharistiæ, quo præsens est mirabili modo Christi deitas, & humanitas, alius denique dono vnionis hypostaticæ; vt quadruplex de horum donorum excessu agitari possit opinio; prima singulis donum gratiæ anteponens; secunda præstantissimum beatificæ vnioni locum præstans; tertia primas partes deuoluens Eucharistiæ dono; quarta æstimans præeminere cæteris donum vnionis in hypostasi, Auctores pro singulis opinionibus non refero, quoniam sub hac consideratione referendo donum vnionis ad naturam humanam in genere, cumque donis eius conferendo illud, nemo distinctè propositam dubitationem insequitur, sed confusè tam quo ad priorem sensum, quam quo ad præsentem insectatur.

Aliorum placita circa posteriorem sensum.

ctatur. Pro vnaquaque tamen sententia rationes suppetunt, & fundamenta, quæ in fine capitis referentur, ac diluentur.

Obseruatio.

8 Ego opinionem meam pro vtraque disputationis parte assertis sequentibus aperiam, prænotando, ex quo maioritas, vel minoritas excessum quemdam denotant; excessum hunc, & eius mensuram posse ex triplici parte, & fonte deduci, vel ex interna mensurati natura; hoc modo substantiæ donum præstat accidentis dono; quoniam suopte ingenio accidens à substātia anteceditur præstantia, ac dignitate; vel ex ratione præcisa doni, non rei quæ donatur; & hoc modo quoniam doni ratio est, vt gratis, ac liberaliter donetur, non debitum alicui, magis donum, maiusque censetur munus, quod nulli est debitum, & gratis donatur: vt si ego seruo meo decem dono aureos, & seruo tuo decem alios, munus, ac donum tuo seruo à me impertitum maius est, quia minus illi debitum; vel denique ex parte recipientis mensura muneris spectanda est, quo sensu quidquid vtilius recipienti donatur, donum maius vocatur; ex triplici igitur fonte maioritatem, vel minoritatem considero doni, vel ex parte suscipientis, vel ex parte entitatis, vel ex parte, & ratione formali doni. Hisce suppositis.

Assertio prima.

9 Assero primo, secundum entitatis rationem præstare cæteris donis humanitatis Christi Incarnationis donum, ac munus. Hæc assertio certissima mihi videtur spectata entitatis natura, qua Christi humanitas donatur in hoc mysterio, deitate enim donatur, cui intercedente vnionis vinculo nectitur, iuxta illud Ecclesiæ in quadam antiphona, *procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem, &c. nobis*, intellige. tu, idest; humanitati à Christo assumptæ, quæ est eiusdem speciei cum nostra. Nec valet asserere, etiam vnione beatifica donari Humanitatē; est enim Deus sub ratione deitatis fellicitatis humanæ obiectum, quoniā Deus in actu beatifico non donatur; aut influit secundum præcisam essentiæ rationem, sed sub ratione obiecti beantis, quæ ratio ad extra, idest, in ordine ad homines, non est de quidditate Dei, neque est substantia, sed accidens; at in hoc mysterio influit, ac donatur Christi humanitati secundum substantiam, idest, secundum hypostasim Deus; in eius enim persona vnitur, quare hoc præstantissimum in entitate donum censendum est, ita sentire visus est Scotus *in 4. d. 49. q. 2. lit. E.* vbi occasione præstita ab Heretico in argumentatione quadam soluendo obiectum docet influxum Dei beatificum non esse omnium perfectissimum, & exemplum ad hoc producit de influxu, siue illapsu in humanam naturam Verbo vnitam, quem perfectissimum esse confitetur, & comparatiuè perfectiorem illapsu beatifico.

Scotus in 4. d. 49. q. 2.

*In hoc asserto nollem Lectorem me dicere parum doctrinæ meæ memorem, vt qui in huius capitis vestibulo collationem donorum ad inuicem in entitate putaram inanem, nunc verò penes entitatē Christi humanitatis dona fuerim metitus; non enim penes entitatem præcisè loquor, sed penes entitatem, siue substratum doni; quocirca monitum lectorem volo posse in munere duo spectari, vel entitatem, siue substantiam rei donatæ, vel rationem doni, quæ sita est in grat a, & non indebito, vt, exempli studio, si tibi librum dono dederim, substratum doni liber censebitur, quā verò indebitus est tibi liber, & ex præcisa mea liberalitate datur, doni ratione afflatur. Hoc ergo doni substratum, siue substantiam meritus sum in hoc asserto; quod sic ex dictis probari potest,

declaratur aucto ris intentio.

Assertio Probatur.

Donum hoc & dono gratiæ habitualis, & dono gratiæ capitis, & dono gloriæ anteponendum est in Christi humanitate, quam sumpsit; ergo simpliciter donorum omnium est præstantissimum; consecutio conspicua est, quoniam illa potissimum dona in Christo nanciscimur, vt cætera gratis data mittamus, quæ sub comparationem non veniunt. Antecedens probatur, nam illa secundum substratum accidentia sunt, gratia namque, & gloria accidentia sola sunt; hoc verò substantia, quoniam Christi Deitas largitur, & Christi suppositatione humanitas donatur, tam autem Deitas, quam persona substantia est; quamuis diuerso modo, vt dictum est, *disp. 1. huius operis*, ergo cum accidenti substantia præstet, donum

hoc

hoc entitate sua cætera antecedit. Quod si dicas. At hanc ob causam præstare videntur huic cætera, quoniam sola relatio cooceditur hoc mysterio ipsi Christi humanitati, cæteribus autem vnionibus qualitas gratiæ, vel gloriæ donatur, præstat autem accidens qualitatis (quoniam positiuum est absolutum) accidente relationis, quæ est respectiuum quid, oon ità substantiæ intimum. Responsionem quære io fine capitis.

Assertio secunda probatur

10 Assero secundo donum vnionis; quā donum est spectatum, non facile iudicium ferre, an præemineat cæteris donis, te posse. Huius asserti ratio est, quia tā gratia voionis, quam gratia, quam gloria indebita est oaturæ humanæ illi; quā Christus sumpsit, & quæcumque illi fluxeruot ex sola muoifica Dei largitoris manu fluxerunt, tam, scilicet, vnio, quā gratia, & gloria, neque in humanis moralem agnoscimus excessum in donis qua dona suot aliqua, licet quo ad entitatē vnum alio præstet, si equè indebitè, & gratis præstantur, quamuis igitur secundum entitatē illa Christi hominis dona ita se gesserint, vt vnum esset alio præstantius secundum substantiam, vt superiori assertione dicebamus, non obinde coocluditur tamen, quā dona sunt excedere, vel excedi; ampliari tamen, ac dilatari possuot dona ipsa ex ratiooe personæ recipientis, cui, si merito eminentiori polleat dooa suot quodam iure congrui debita, simpliciter tamen debita non suot, alioquin dona non essent, & secundum hanc coarctationē asserti; appendicē illi ad iungam, quæ est.

Asserti appendix

Ex quo Christi humanitas non ex meritis, sed ex gratuita Dei voluntate singulis est affecta donis, non enim illi ex meritis data est summa gratia, neque ex meritis data est illi gloria, neque ex meritis data est illi vnio, etiam ex parte recipientis iodiuiduæ naturæ æqualitas horum munerum spectatur, neque vnum est altero perfectius in ratione doni, si quidem æquè gratis donantur singula: non vereor tamen asserere, ex quo ad gloriam potuit Christus habere merita; quamuis de facto ante omnia merita data illi gloria fuerit sub ipso primo conceptionis vestibulo; ad vnionem autem nec meritum, nec dispositiooem habere potuit modo explicādo in sequēti tractatione de causis huius mysterij, posse qooquomodo Sacramētum hoc, ac donum præeminere in ratione doni cæteris relatum ad subiectum, quooiam quod ad cætera potuit meritum, ac dispositiooem habere subiectum, ad hoc muous meritum nec habuit, oec habere potuit, modo dicendo io sequentibus, & proinde gratius videbitur hoc cæteris datum humaoitati Christi. Hæc assertio ad sui intellectum sequentē tractatiooē exposcit.

Dubitatio Aristoteles 9 Meth. cont. 15.

Solum contra hanc assertionē bellare videbitur communis illa philosophorum confessio, ex Aristotele hausta 9. *supernaturalium*, quā aiuot priora generatione esse perfectione posteriora. Quod si vt verum concedas elogium, concedendum est etiā tibi, vnionem hypostaticam primam generatinoe, (prius oamque natura intelligitur vnita, quam beata, quamuis nullum possis temporis signare instans, quo noo fuerit simul beata, & vnita, at saltem natura; quoniam ex vi vnionis gratiam illi Deus elargitus est summam, & glorifica nexum cum Deo voione) esse posteriorem perfectione, & proinde cætera doua præeminere illi.

Euertatur ex Scoto

Dubiolum hoc agitat Scotus *in 4. d. 49. lit. E. citata*; quo loco responsum etiam accommodat, oegando omne prius geoeratione esse prius perfectione, &c. Quibus verbis elicio si oon omne, saltem aliquid prius generatione esse perfectione prius, quemadmodum res sese geret in præsentia, intellecta namque hypostatica vnio prior, etiam perfectione poterit censeri prior, vel quo ad substantiam, vt superiori asserto docebamus, vel quo ad donum iuxta ea, quæ hoc asserto secundo retigimus; Aristoteles autem in Meth. non omne prius generatione posuit perfectione posterius, sed aliquod dumtaxat; nisi malis dicere verum esse Aristotelis mentem in ijs, quæ diuersa in sui factione temporis momenta perpetiuntur; & in creatis, quoniam in Deo Verbi generatio prior spiratione non est spiratione perfectior.

11 Assero tertio ratione humanitatis recipientis (quoniam persona in Christo humana nulla est) maiorem dici posse

vnio

Tertium assertum probatur. vnione gratiæ, & gloriæ vnionem hypostaticam. Assertio hæc supposita in superioribus Doctrina, qua id respectu recipientia dicitur maius, quod vtilius est, facile probatur; nam ex vnione hypostatica facta est vnio gratuita, & glorifica, non ita vt ex meritis data fuerit Christo gloria, & gratia; sed ita vt ex ui vnionis in hypostasi subsecutæ fuerint vniones aliæ, vnde. *Ioan.* I. *Ioan. primo vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti, &c.* idest, qualia decet vnigenitum, & proinde ex decentia vnionis in persona facta est vnio in summa gratia, & in gloria; nō ita vt Christi capacitas fuerit ex vnione ampliata, vt rebatur *Henricus* Henricus; sed quia Deus sic decreuit dare illi animæ de facto sic vnitæ gratiam illam, & gloriam: de facto igitur humanitati illi assumptio vtilior fuit cæteris donis, si ex vnione subsecuta sunt cætera dona; & quod pertinet ad gloriam accidentariam certum est datā esse illā Christo quoquomodo ex passione, & proinde ex vnione. Hinc Lucæ 24. *sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*, & alibi. *Vidimus Iesum per passionem, & mortem gloria, & honore coronatum*. Assertionē hanc præstitit dilucide Augustinus *lib. de Sanct. Elect. cap.* 15. vbi docet hanc esse gratiam excellentissimā, tantamque illius naturæ subuectionem, vt quo altius attolleretur non haberet. *Augustini auctoritate probatur.*

12 Assero quarto, donum hoc ad homines relatum non posse dici maius, aut minus alijs secundum entitatem, & rationem doni, sed in ordine ad vtilitatem posse dici maius, & minus, in ordine autem ad vtilitatem præstantissimum fuisse. Assertio duplici parte præcipua constituta est, & secundum vtramque breuibus probatur. Prior quæ constat, non posse hoc donum maius, aut minus dici secundum entitatem, & doni rationem, sed secundum vtilitatem dumtaxat facile probatur; quoniam magnitudo doni, & substantiæ eius conferenda est cum magnitudine, & paruitate donorum in eodem subiecto, quo ad entitatem, & substantiam, & rationem doni, non autem cum donis in diuerso subiecto; hinc secundum substantiam, & doni rationem purpuræ donatio non potest conferri cum Episcopatus dono in entitate, & dono in alio subiecto circa magnitudinem, ac paruitatem; vtrumq; enim est indebitū, vtrumq; accidens, nec vnum altero maius, si meritum personæ consideres; nisi fortè ex maiori obligatione maioritatē muneris metiaris; sed hæc mensura est penes diuersum subiectum: in eodem autem subiecto donum vnum conferendum est cum donis eiusdem subiecti, nam donum alienum non est mihi donum, sed alij: quid enim mihi cum purpuræ dono tuo, si nihilo sum ego donatus? vtique igitur maius est vnum altero donum in aliquo vno, si vtrumq; illi insit donum; at si non insit, non est comparabile secundum personam, nisi secundum vtilitatem; potest enim quispiā affici dono, ex quo mille alteri vtilitates eff uant, & emanēt; hinc, in Pōtificatū euecto Cardinale aliquo, hoc donū præstantissimū est parentibus, & agnatis Pontificis; quoniam ex eo mille commoda, mille bona; licet non in eis illa dignitas, & donum, sed in Cardinale agnato, & parente; ita in re nostra Christi humanitas sola vnita est, & hoc fuit peculiare naturæ illius donum, non autem aliorum hominum, & propterea donum gratiæ, peculiaris hominis, & donum gloriæ, exempli gratia, Petri non potest dici maius, vel minus donum dono vnionis Petri, quia Petrus vnitus non est, sed Christus, & propterea non est donum Petri, sed Christi; nec Petrus ex hoc capite magis, vel minus Deo tenetur, quam per gratiam, vel gloriam, & ex sequentibus dumtaxat commodis ab illo dono in aliena natura indiuidua, quatenus vtilius est illud cæteris, mensura eius deduci potest. Hoc igitur assertione hac tertia ptima parte cōstituimus, donum vnionis non posse; scilicet, meum dici donum maius, vel minus, nisi in ordine ad effecta. Hunc in modum pars illa prior declarata liquescit, & ex illa sequitur pars altera constans, donum vnionis in ordine ad effecta præstantissimum esse hominibus, quia vtilissimum. Vnde enim nobis omnia bona, nisi ex Christi aduentu de facto? Vnde gratia, & gloria nisi per Christum? Vnde electio, nisi in eo tanquam in exemplari, & finali, & secundum

Assertio quarta duplici parte.

Pars prima suadetur.

Donum alicuius quomodo alteri dicatur proficuum.

prima; et 2. pars asserti suadetur.

dum aliquos in meritoria causa? Vnde ianuæ cælestis apertio, cælestisque regni possessio, nisi per Christum, qui & ostium, & Cœli ianua dicitur, iuxtà illud Christi, *si quis per me intranerit saluabitur?* propterea Augustinus 19. *lib. de Trinitate cap.* etiam 19. *ait, in rebus per tempus ortis nullam esse maiorem gratiam; quam quod homo fieret Deus, & Deus homo.* Vnde Bernardus *in lib. de dilig. Deo*, creationē in ordine ad hoc opus paruifacit dicēs, *non es tam facile refectus, quā factus; nam dum te fecit, te tibi dedit; dum refecit te tibi reddidit, & se tibi tradidit, bis ergo debes in opere secundo, semel in primo, &c.* quod & ecclesia canit in benedictione Cerei Sabbato sancto, *nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset*, totumque sermonem in huius mysterij tanti explicatione consumit. Quod si petis, an in ordine ad Christi indiuiduam naturam, quo ad vtilitatem vnum sit alio maius solitariè sumptum, vt si, scilicet, vnio statueretur sine gloria; vel gloria sine vnione, quod nam Christo esset vtilius? an gloria seorsim? an verò hypostatica hæc vnio seorsim? & rursum si postulas in ordine ad homines alios, quænam vnio sit expetibilior suaprè natura, gratuita ne, an verò deifica? Respondet posteriori dubitationi Maironus magis aliquem debere appetere esse sanctum; quam Deo vnitum, quia hæc appetentia vnionis deificæ est peccatum; secundum enim Doctorem Subtilem Lucifer cecidit appetendo æqualitatem Dei, non equidem secundum essentiam, sed secundum suppositationem appetens suppositari in supposito Verbi. Econtra verò Faber in limine extremo *disput.* 9. expetibiliorem censet vnionem hypostaticam vnione gratuita, quia hæc pertinet ad actum secundum, illa ad primum, est autem sua natura actus primus desiderabilior secundo actu, & ex hoc videtur posse idem respondere ad primam postulationem fuisse Christo hanc desiderabiliorem; atque vtiliorem vnione gratuita, vel glorifica. Ioannes Rada primæ dubitationi occurrens nihil ait, sic tamen secundam dubitationem euellit, vt non dissimile iaturum putes de vtraque placitum, quamuis neutra ab ipso distinctè exagitetur; sed per modum doctrinæ quædam conclusione sexta ad hoc spectantia constituat, decernit autem conclusione illa vnionem beatificam præcisè vtiliorem, & proinde ob hanc caussam expetibiliorem.

Aug. 19 de Trin. cap. 19.

Bernardus lib. de dilig. Deo.

Eccl. in bened. Cerei.

Dubiolum pulcherrimum.

Respons. Maironi.

Resp. Fabri.

Resp. Radæ.

13 Displicet Opinio Maironi, quoniam omne bonum expetibile est suopte ingenio, at Vnio hæc bona est, quare expetibilis: nec argumentatio ab appetente ad appetibile bona est; vt tenet is auctor negans hanc Vnionem esse appetibilem, quia appetens peccaret; peccatum namque ex parte eligentis, & appetentis, non ex parte obiecti eligibilis, & appetibilis consideratur; appetens autem, si inordinatè velit, peccatum habet, si quod appetit verum sit appetibile bonum, vt in præsentia, in qua & si potest appetens deuiare à regula, & peccare inordinatè volens donum summè bonū, ratio tamē appetibilis non aufertur à bono. Hallucinatur autem Maironus in explicatione Scoticæ sententiæ de Lucifero, nā Lucifer nō hanc suppositationē, sed Dei æqualitatē appetijt secundum esse, non quidem efficaciter, vt patet *in secundo sententiarū*, loquendo de peccato Angeli, neque primo actu inordinato, qui fuit nimia sui complacentia, & amor, & luxuria spiritualis; solum Bernardus, & quidam cum eo perpauci ita senserunt, de quibus diximus in secundo satis. Placet sententia Fabri in hac re consona Scoti *doctrinæ in* 3. *d.* 2. *q.* 1. docentis Vnionem hanc hypostaticam esse quo ad actum primum præstantiorem, vnionem verò glorificam quo ad actum secundum, at actus primus simpliciter est expetibilior actu secundo, quia actus primus est prima perfectio, secundus verò secunda: Rada autem non benè philosophatur, quia dum vtilitatem respicit, non autem expetibilitatem, actum secundum respicit, non primum; vtilitas enim sita est in secundis actibus, oritur autem expetibilitas ex ratione generica boni, non autem ex ratione boni vtilis primo; alioquin bonum honestum, aut delectabile expetibile non esset. At, inquit, Rada, philosophus ait melius esse pauperi ditari, quam philosophari, quamuis lucro sit philosophia præstantior, ergo me-

Refellitur resp. Maironi.

Bernardi opinio.

Approbatur Fabri resp.

Reijcitur Rada.

melius sanctificari, quam vniri; nego consequentiam, quia fit transitus à secundis actibus ad primum, & secundum, vniri, enim est actus primus, sanctificari, vel glorificari secundus, è conuerso autem tam philosophati, quam ditari sunt actus secundi; propterea paritas nulla. Cōcinde igitur vnionē beatificam seorsim vtiliorē, qua sine suo naturali potitur homo; absolute autem in genere boni expetibiliorem esse beatifica vnione vnionem hypostaticam, & breuibus facies vtrique dubio satis.

14 Quid de Scoti mente in hoc capite? Respondeo decipi Fabrum, hallucinari Radam; quorum opera Scotus, vel inconstantiæ, vel perplexitatis poterat argui; Scotus namque quo ad actum primum antecellere hanc vnionem apertè sensit *in 3. d. 2. q. 1. lit. O.* & rursum *loc. cit. lit. I.* & rursum *in 4. d. 49. q. 1. lit. E.* neque hanc vsquam vllibi sententiam correxit, quoniam dum in 3. *d. 2. q. 1. lit. G.* dixit non esse has vniones comparabiles, nō ex sua loquebatur sententia, vt patet ex verbis eius; *Vel 2. potest dici, quod neutra est maior, &c.* paulo ante autem ex propria mineruа locutus dixerat. *Respondeo, & dico quod ista est maior, quantum ad actum primum, &c.* quæ verba satis dilucidè Scoticum in hac re placitum demonstrant. Faber autē errat Scotum negantem esse has vniones cōparabiles vera dixisse, cōsiderando has vniones, non quatenus dona sunt, sed quatenus relationes, Scotus autem vt *loc. cit.* patet de ijs sub ratione doni loquitur; dum hanc perfectiorem quoad primum actum vocat; illā verò, quoad secundum: quibus verbis apertè liquet non de ijs, vt relationibus fuisse locutum; quoniam relationes non suscipiunt magis, & minus; est autem hæc vnio relatio. Si petes, quomodo ergo perfectissimum donum in ratione substantiæ, si hoc est præcisè relatio; gloria autem qualitas, relatione nobiliot? Hæc obiectio assertionem primam sigillauit, & nos eius responsione assertionem hanc vltimam extremo termino claudemus. Responsum fit; relationem non esse hoc donum præstantissimum præcisè; sed vnionem in hypostasi, & proinde donum esse suppositatione Verbi ad humanam naturā; deificationē humanæ naturæ per vnionem, Idiomatum communicationē ex vi vnionis, non ita vt donum aliquod positiuum denuò creatum homini detur, sed vt Deus detur homini, & suppositalitas diuina humanitati, quibus si quid cogitas maius, aut præstantius, huic dono præponas.

Scoti sensus ostenditur contra Scoti stas

Respondetur obiectio 1. assert. positio.

15 Propositam doctrinam hisce assertis hæc conturbant obiecta. Primum: donum communicabile tantum rationalibus creaturis præstat cæteris, at beatitudo est huiusmodi, non autem vnio, quæ fieri poterat in natura irrationali, vt dicendum est loco suo, ergo beatitudo præstantior cæteris. Solutio huius est, si donum spectet ad primum actum, maiorem esse, falsam, nam possunt esse equalia quandoque vt si Deus dat homini esse, & lapidi, vtrumque quo ad primum esse equale est, quia substantiæ ambæ; quandoque si conferatur ad secundum actum, at quid inquam, quandoque? immo semper donum pertinens ad primum actum cuiuscumque sit nobilius est actu secundo, vt in præsentia, nam beari est secundus, vniri primus actus. Si autem de secundis actibus sumatur maior, vera est, sed ad rem inepta.

Argumenta in opposi.

Soluitur argumentum primum.

16 Secundum. Gratia sanctificans ornat animum, Deumq; illi charum reddit, eumque Deo, quæ propterea & gratia nuncupatur, & charitas, at huius doni Incarnationis formalis effectus is non est, ergo cum esse Deo gratum cæteris præstet, euellenda est tanta ab hoc opere excellentia. Solutio huius est, respici in eo secundum actum non primum, at nos de primo actu loquimur, porrò sanctificationem spectare ad actum secundum nemo non nouit, quod si sanctificationis voce quamdam dignitatem intelligere mauis cum Fabro loco citato *numero* 28. hanc etiam in hoc opere reperies quam maximam.

Diluitur secundū

17 Tertium, Vnio beatifica replet animam omni bono, inde Theologi dixerunt eam statum omnium bonorum aggregatione perfectum, anteponenda igitur huic vnioni videbitur. Solutio huius est, quæ secundi, nam beatitudo omni bono spectante ad secundum actum animum ditat, at hæc ditat bono spectante ad primum, inde Scotus in

Eneruatur tertiū

Q quarto

quarto loc. citato illapsum per hanc vnionem in humana natura à Deo perfectiorem ait illapsu eiusdem Dei beatifico in Michaelem, & huius rationem accommodarat *loc. cit. lit. C. & D.* dicens perfectionem aliquam esse veriorem perfectionem beatitudine, quia intimior est perfectio, quo ad actum primũ; quam quo ad actum secundum, beatitudo autem est perfectio, quo ad secundũ actum, qua semper est aliqua prior; & hæc est perpetua Scoti sententia, tum ibi, tum in tertio locis citatis, vt voluntariè nimium loquatur Rada inconstantem in hac disputatione constituens Scotum.

Floccifit quartum

18 Quartum. Maius donum est, quod multis, quam quod vni datur, at Eucharistiæ Sacramento datur Christi deitas nobis omnibus; incarnationis verò vni Christi humanitati, ergo opus huius Sacramenti huic Incarnationis mysterio anteponendum. Solutio huius est, esse vtique maius in ratione quantitatis extensiuè; non autem in ratione doni, & substantiæ intensiuæ. Logicè maius, non magis. Theologicè minor est explicanda; nam non eodem modo in vtroque opere datur Christus, & Christi deitas. In Incarnatione, quidem in vnitate suppositi vniuntur naturæ, in Eucharistiæ Sacramento hæc hypostasis vnio nulla, sed vnio sola per præsentialitatem, quæ est accidens, at illa substantia est; seu rectius hæc accidentalis, illa substantialis vnio dicitur modo alias explicato.

Occurritur quinto.

19 Quintum ex Augustino *tract. 10. in Ioan. maius est Deum concipere mente, quam ventre*, ergo maius est vniri per gratiam Deo, quam per vnionem in hypostasi. Solutio huius est negata sequela; quoniam Deitas ventre concepta non deificat ventrem concipientis, sed ventrem concepti, totamque eius substantiam; hinc non Virginis Matris, sed Christi pueri filij humanitas est ad vnionẽ translata, concussio igitur impertinens ad rem nostram.

AN IN GENERE VNIONIS SIT *Maxima.*

CAP. II.

20 Vnionem in hypostasi esse vnionum omnium maximam Scolastici consentiunt, docente B. rnardo *lib. 5. de cõsid. ad Eugenium, inter omnia quæ vnum dicuntur, arcem tenere vnitatem Trinitatis, secundo sequi trium substantiarum in vno Christi supposito vnitatem*. Tota concertatio vertitur de modo; quoniam cum excellentia sit multiplex vnius ad alium, diuerso fortasse modo vnio hæc poterit præstari, & præstare cæteris dici. Primo autem loco recensetur à Recentibus etiam nostris Durandi sententia *in 3. d. 5. q. 3.* qui hanc vnionem maximam ait secundum dignitatem, nõ secundum vnionis rationem: quoniam enim ratio vnionis in eo sita est, vt ex ea vnum fiat, vnum autem sit id, quod à se indiuisum est, à quocunque alio diuisum; fit necessario, vt illa sit maxima vnio, qua aliqua perfectius vnum efficiuntur, qualis est animæ, & corporis, materiæ, & formæ vnio.

Bernardi auctoritas.

Durãdus

21 Secundo, refertur sententia S. Bonauenturæ *d. 5. art. vltimo* distinguens vnionem maximã; altera namq; fit vnũ in natura, altera fit vnũ in persona, priori vnione constituitur vnũ ex materia, & forma, quæ secũdum illud maximæ vnionis genus maxima est vnio; posteriori modo constituitur vnum in persona in hoc mysterio, quod hanc ob causam maximæ vnionis nomen ascripsit sibi.

S. Bonauentura

22 Tertio recensentur alij, qui maximã censent hanc vnionem nedum ratione personæ, quæ vna simplexque est, sed etiam ratione extremorum, quæ summè distantia dum vniuntur maximam vnionem conflare dicentur. Hoc sẽsit Petrus de Palude *q. 3. d. 5.* neq; distant Thomistarum aliqui, S. Thomas solis verbis à S. Bonauentura distat, dum enim ait *q. 2. art. 9. 3. p.* hanc vnionem esse maximam non ratione extremorum, sed ratione suppositi, in quo nectuntur naturæ; planè idem, quod S. Bonauentura sensit esse hanc vnionẽ maximã in persona, nec dissimili modo philosophãtur Nostrates Recẽtes præcipuè Fa-

Paludanus.

Faber, et Rada. Faber, *disp.*8.3.*cap.*2.& Rada *cont.*3.*ar.*5.

23 Scotus noster à singulis in propriam trahitur sententiam. Plerique Recentes Scoti placitum non longe putant à Durandi opinione distare, eo quoniam *d.* 2. 3. *sent. q.p.* videtur absolute sensisse vnionem hanc ab alijs antecelli, quamuis Vasquez *disp.* 2. benignè secum Scoto velit gerere *cap. p.* ab hac, quam ipse ita tetur, impostura Scotum vindicans, quoniam non comparat (inquit) Scotus hanc vnionem cum cæteris vnionibus in genere, sed cum vnione beatifica dumtaxat. Sed decipitur Vasquez, & Nostrates Recentes, qui scoticam sententiam loco citato ad hoc caput diuertunt, cum vti in superioribus probauimus, loquatur Scotus ibi de hac vnione, qua donum est, & proinde non quo ad quantitatem vnionis, sed quo ad entitatem eius, & maioritatem, vel minoritatem gratiæ Dei, vt dictum est capite superiori. Alij cum Nostratibus citatis Scotum ad S. Thomæ sententiam reuocant; sed, vt patet, apud Doctorem nec minima de eius in hoc sensu sententia memoria. Agit de hac dubitatione expresse Scotus *d.6.* 3. *q.*1. ad primum, cuius mentem nonnullis obscuratis aperiam.

Vasquezij cum Scoto benignitas, nulla est

Scotus in 3.d.6.q. p.ad primum.

24 Obseruo primo Vnitatem, & Vnionē differre, quāuis consuetudine, vel abusu in vnum confundantur; differunt autem, quia alterum est alterius terminus; quoniam enim quæcumque vniuntur quamdam vnitatum rerum gignunt vnitatē, siue ex vnitis rebus quandam vnitatē demonstrant, vt egregie monet Richardus *d.*6.3. vnitas erit vnionis terminus, & ex diuersa vnitorum ratione, ac modo censebitur diuersa; vel è conuerso, quia à termino specificantur motus, & quæcunque cum motu affinitatē habent, ex diuersis vnitatibus emergentibus diuersas dignoscimus vniones: contingit autem has præcipuè in rerum natura vnitates reperiri. Primum locum obtinet vnitas aggregationis (aio primum locum huic vnitati deberi, non ratione excellentiæ, cum sit hæc omnium minima, sed ratione ordinis doctrinæ, quæ docet ab imperfectioribus, ac notioribus auspicandum.) Secundum locum obtinet vnitas ordinis partium ab vnitate aggregationis diuersa.

Richardus

Diuersarum vnitatum numerus

Tertium vnitas accidentalis, quæ vni tatibus præcitatis informationē in subiecto ab accidente adiungit, hinc vnitas hominis albi diuersa est ab vnitate in aceruo lapidum, in quo nec vllus est ordo, nec informatio vlla, in homine autem albo albedo spectatur vt informans hominem. Quartum locum obtinet substantialis vnitas, quæ duplex esse potest, quædam substantiæ compactæ ex partibus constituentibus, ā quam ex potestate, & actu; quædam substantiæ non compactæ, neque compositæ, sed terminantis dumtaxat substantiarū habitudinem: priori modo est vnitas compositi in naturalibus ex forma, & materia constantis; secundo modo vnitas suppositi diuini in duplici natura terminantis alterius substantiæ habitudinem, nempè creatæ. Postremum, eundemq; perfectissimum obtinet locum vnitas simplicitatis, quæ est in diuinis ad intra. Ex hisce vnitatibus vniones metire, & perfectissimam arbitrare vnionem, siue maximam vnionem Trinitatis, & diuinorum ad inuicem; mox sequi vnionem substantialem, tertio vnionem accidentaliam, quarto ordinis, quinto omnium infimam vnionem aggregationis: & de hisce extremis vnionibus nullus tibi sanè subrepere scrupulus debet; quoniam præstare vnionem hypostaticam vnioni ordinis, & aggregationis; inde dilucidum est, quod humana natura cum diuina non constituit Christum vnum per accidens, neque sine habitudine ad Verbum se habet humana natura: præponi etiam vnioni accidentis patet, quoniam vnitas ei respondens substantialis est, nempè hypostatica, non autem accidentalis, qualis est accidentis informantis, & subiecti informati. Demum non esse tantam hanc vnionem, vt æquari possit vnionibus diuinorum ad intra patet, quoniā natura humana te ipsa à diuina distinguitur; cum vtraque natura impermixta remaneat cum altera, in diuinis autem sunt vnum omnia, si ad essentiam referantur. Sola superest difficultas de vnione substantiali, an, scilicet, hæc vnio humanæ naturæ ad Verbum cum diuina sit maior vnitate partium in composito naturali, vt materiæ, & formæ in natu-

Exponitur ordo, quem seruant vnitates ad inuicem.

rali corpore, corporis, & animæ in animali, an verò ab illa vnione excellentiori superetur.

Obser. 2. 25 Obseruo secundo ex Scoto *d. illa 6. c.* vnitatem duplici ex capite posse a tetam altera maiorem dici, primo ex perfectione vnitorum, secundo ex priuatione, siue carentia distinctionis: priori modo vnitatem illam excellere dicimus cæteris, cuius vnita sunt perfectiora, secundo modo vnitas præstare alijs dicitur, quæ minoribus scatet distinctionibus; ex his metire vnionem, ac dicito, vnionem vnam posse alteri anteponi, vel ratione vnitorum perfectionis, vel ratione minoris distinctionis: vno verbo, vel ratione excellentiæ, vel ratione vnionis, & nexus ad vnitatem, & quidem de excellentia dictum est superiori capite, de quantitate nexus dicendum est.

Assertio 1. negans probatur primo 26 Hoc vnico asserto negante Vnionem in hypostasi esse vnionum omnium maximam. Pronunciatum hoc facillimè probatur; quoniam vnio simplicitatis, qualis est diuinorum ad intra vbi immensa illa diuinæ bonitatis abissus absorbens singula distinctioné realem non perpetitur, hanc vnionem naturarum in vno Verbi supposito maximè excedit; ergo cum ab illa vnione excedatur, non erit hęc omniũ vnionum maxima. Præterea hoc loco quantitaté vnionis huius venantes supponere possumus quantitatem duplicé, aliam virtutis, molis alteram, hacque in re molis quantitaté nullam esse, sed virtutis; cum vnio hæc sit relatio, & relatio sit genus à quantitate corporea distinctum; quantitas autem virtutis adhùc duplex est, altera posita in virtute excellentiæ, altera in virtute actionis; quod est dictũ, altera in ratione gratiæ, altera in ratione vniendi, de gratiæ excellentia dictum est superiori capitulo, de ratione vniendi dicturi sic argumentamur.

Probatur secundo

27 Vnio illa quantitate hac virtutis vniendi antecedit cæteras, cuius virtute extrema intimius copulantur, sed hac virtute, & hac vnione extrema non intimius, quam in cæteris vnionibus vniuntur, & copulantur; ergo non excedit vniones alias: Maior patet; quia vnionis virtus & proprium est nectere, finis est vnitas, & nexus; quare quã vnione co-

Probatur tertio

pulatio, & nexus fit intimior, vnio illa censebitur præstantior, & maior; à terminis namque potissimum specificantur relationes huiusmodi: Minor autem ostenditur; nam quamuis humana natura nectatur cum diuina in vno supposito huius intercessione vnionis, hæc tamen copulatio nihil præterea dicit, nisi relationem quamdam in natura creata, immutata natura diuina; neq; ex hac copulatione, & nexu intima aliqua constitutio emergit; nullo oriente composito verè ex ijs naturis, quarum neutra est actus, vel potestas: quare simpliciter dicendum est, neque vnionem ipsam in ratione vniendi esse præstantissimã, cum vnitas ex illa resultans sit nulla; illud enim suppositum Verbi, in cuius vnitate nectitur humanitas, non est vnum ex hac vnione, sed suaprè natura antecedenter ad hanc vnionem, & abæterno. Et cõfirmatur quia maximè vnum est, quod est vnum in essentia, & in persona, quam quod est vnum in persona, non in essentia; at naturæ vnitæ hac vnione sunt vnum in supposito, non in essentia, impermixtis, ac distinctis superstitibus vtrisque naturis; è contra verò in naturali composito partes sunt vnum in essentia, & in persona; quoniam ex materia, & forma vnitis emergit vna compositi essentia, siquè loquamur de compositis animatis, vel ratione vtentibus, fit respectiuè vnum suppositum, vel vna persona: intimior igitur, & maior censenda est vnio materiæ, & formæ vnione duarum naturarum in hypostasi.

28 Præterea ex dissolutione maiorem, vel minorem nexum considera. Illa dicuntur magis vnita, & nexu intimiori copulata, quæ destructo nexu quoquomodo destruuntur; sed in nexu formæ, & materiæ res ita se habet, vt nexu destructo forma corrumpatur prior, nusque alteratio fiat in materia; è contra verò, si nexus huius mysterij auferatur, dimittente Deo humanam naturam, nec Deus, nec humanitas deficeret; nam data hypotesi natura humana dimissa non corrumperetur, sed propria suppositatione supposi taretur, vt alibi dictum est: ergo illa vnio intimior est, quam ista. Hoc assertum sine difficultate docuit nos Scotus d. 6. q. 1. *Probatur quarto* *Ex Scoto*

q. 1. *littera* F. idcirco negans hanc vnionem maximam esse, quia naturæ maximè distinguuntur; accipiendo videlicet vnitatem ex carentia distinctionis, & proinde sententia Scoti non admodum dissimilia videtur esse à sententia Durandi, cuius allatam rationem in principio commendamus, sicut & cæteras, quæ pro illa possent afferri.

Iudicium de cæteris sententijs

29 Allatæ singulæ aliorum sententiæ propriam habent probabilitatem, & facilè earum veritas ex dictis in hoc capite elucescit; nam in primis opinio S. Bonauenturæ præcisè quo ad vnitatem personæ spectata vera est, quia simplicior, & præstantior est vnitas diuinæ, quam humanæ personæ; si diuina, & humana persona minorem, vel maiorem simplicitatem patiuntur, at quo ad cætera præstantior est vnitas compositi, in quo res fiunt vnum non tantum in essentia, sed in persona, & persona denuò constituitur, quod non accidit in re nostra.

30 Paludani sententia perfectionem potius huius vnionis, quam eminentiam nexus in vinciendo considerat, dum vnionem ipsam ex extremis distantibus maximè, & copulatis metitur, quam in re non dissentimus; sed consideratio non est præsentis, sed superioris capitis propria: in præsentia vnionem ex vnitate emergente potissimum spectando secus sentimus, vt paulo ante diximus. De Sancti Thomæ placito non laboramus; quoniam de eo, quod sola verborum diuersitate à sententia distat Sancti Bonauenturæ, simile ferendum credimus iudicium. Atqui hæc in re facili satis, nam Bernardi elogium in principio capitis relatum ex his, quæ diximus interpretationem de excellentia dignitatis, non autem de vniendi potestate, cuius merito vnitas exurget maxima, patietur.

31 Ad expletam huiusce disputationis materiam disquirerent Recentes, An hæc vnio facta sit per gratiam; sed quoniam particula *per* duo potest denotare, vel habitudinem causæ efficientis, & principij, vel habitudinē vinculi, & nexus, quoad posteriorem sensum dubitationi factum est satis in superioribus, dum postulatum est, an actione vniendi quidpiam creatum denuo fuerit; quoad priorem sensum spectat disceptatio ad tractationē de causis Incarnationis, & ad materiam de necessitate eius: Cæterum de necessitate diximus, de causis dicemus, vt proinde proposita difficultas non sine ratione queat inutilia dijudicari; quare & consultò dimittitur.

DISPVTATIO. VI.

DE CAVSIS INCARNATIONIS

INcarnationis admirandum mysterium effectū fuisse probauimus disputatione prima, deque quidditate illius nonnihil superiori tractatione tetigimus; at quoniam Philosophorum confessione solemni perfecta nequit effectus haberi cognitio, nisi præcognitis effectæ rei causis singulis, propterea, priusquā cætera persoluamus, causarum huius mysterij naturam perscrutabimur, obseruantes hoc loco nihil superesse dicendum de materiali, formalique huius operis causa; si namque formalem causam communi acceptione sumamus, quatenus rei quidditatem explanat, superiori tractatione, quæ erant dicenda expressimus; si verò formalis causæ vocabulum propriè pro causa physica formali sumatur, quæ inter cæteras per se causas ferè principem locum habet, nullum hæc ipsa in præsenti locum habet, quemadmodum nec veræ materiæ; perscrutatio: siquidem Christi personā, qua dependentiā terminat humanæ naturæ pendentis, compositam non esse infra probabimus; ipsa etiam vnio sua natura simplex est relatio; vt autem quid saltem de singulis attigisse causis monstremus, postulabimus primo de efficiente causa.

NVM.

NVMQVID ALIQVA SIT; & quaenam effectrix huius mysterij causa.

CAPVT I.

1 Deum esse mysterij huius effectricem causam, & vtriusq; naturæ nexum á Deo conflatum fides docet Matthæi 1. *Noli accipere Mariam coniugem tuam. quod enim in ea natum est ex Spiritu Sancto est*, & rursum Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te*, & Heb. 2. *nusquā Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, quod & Concilia passim decernunt Lateranense *in capite firmiter*. Toletanum sextum, & Patres cum Augustino 1. *de Trinitate cap. 4. & in 2. cap. 7, & in 4. cap. 21.* & deducitur ex ipsa mysterij huius appellatione; nam si incarnationē, vel inhumanationē hanc maius appellare, hæc soli aptatur verbo, non autem creaturæ; si assumptionem dicere illam mauis, Verbo identidem est propria, non creaturæ; si vnionem, totius hoc Trinitatis confitebetis opus, nisi mauis hanc deificationē dicere, sed hæc appellatio, vt in fronte nostrarum disputationum diximus, non est mysterij huius propria, sed muneris quasi ex mysterio consecuti ab humana natura. Huiusce rei potissima ratio est; quoniam, cum hæc vnio effectus sit naturæ creatæ superans robur, ac vires, ad supernaturalia perpetranda opera nulla vis creata potest subleuari; non enim agens extra spheram propriæ actiuitatis agit, & proinde nequit effectus iste ab humana, & generatim á creatura mundi in esse efficientes produci.

Deum esse causam effectricē probatur

2 Sola superest difficultas, an efficientia huius operis peculiaris sit alicuius diuinæ personæ, an vero totius Trinitatis propria; qua in re extimarunt nonnulli mysterij huius efficientiam vtique conuenire personis singulis in Deo, sed formalem causam eius aptari Verbo dumtaxat, quoniam Verbum dumtaxat pendentis naturæ respectum terminat, & effectricem etiam Verbi esse propriam; quoniam sola secunda Trinitatis persona assumit, idest, ad se sumit, non autem aliæ personæ: iuuant hanc opinionem crebra Patrum, ac scripturarum eloquia, quibus vniuersa operis huius actio in Verbi personam transfunditur; vnde Paulus *ad Philipp. cap. 2.* exinanitionem sui ipsius, & acceptionē seruilis formæ soli Verbo tribuit, aiens, *Qui cum in forma Dei esset semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, &c.* & Heb. & 2. apprehensionē seminis Abrahę Christo tribuit, vt mille aliorum loca mittamus.

Sed numquid alicuius personæ propria?

Opiniō quorund.

3 Nihilo tamen minus efficientiam huius operis in singulas reuocandam esse diuinas personas vera sententia constituit ex illo communi Theologorum fundamento, quod actiones ad extra sunt totius Trinitatis, & creatæ res non ad Deum, qua Pater est, vel filius, &c. sed qua Deus est vnus, referuntur; cum igitur Dei vnitas impartita remaneat distinctis personis, ad Deum vt in tribus referuntur. Agit de hac re Scotus multis in locis, at præcipuè *in 1. d. 2. & d. 12. eiusdem q. p.* & rursum *q. 2. distinctionis 4. eiusdem 1. & in hoc 3. d. p. q. 1. littera M.* sed potissimum *in 2. d. p. q. 1.* quo loco nos etiam mentem nostram expressimus. Ratio huius rei potissima ex ordine potentiarum desumitur; quoniam, cum prius in Deo intelligantur productiones internæ, quam productiones ad extra, in ijs productionibus internis intelligitur á Patre Communicata filio; & á Patre, & Filio Spiritui sancto vniuersa fęcunditas communicata, quæ siue potestas statuatur executiua, seu voluntas, cum æque in tribus indiuisa voluntas credatur, operationes quoque ad extra ad singulas indiscriminatim redigendæ sunt diuinas personas (quæ ratio ostensiua simpliciter appellari nequit, etenim cum ostensiua ratio sit perpetuò necessariorum, Doctore Aristotele *in primo de posteriori resolutione*, causalitas hæc ad extra ex ratione termini etiam in doctrina Scoti *in 2. lit.* C. non ita necessariò statuitur in tribus, vt si per impossibile Deus non esset trinus, non esset futurus causans; nā ipsi quoq; philosophi, qui Trinitatē neglexerunt suppositorum in Deo, Deum certè statuere opificem, & factorem primum) Huius ratio est, quam tetigimus; nam si Deitas est funda-

Reijcitur

men-

mentum causalitatis, quocunque seruetur modo illa, seruabitur causalitas, & proinde indiuidui Deitatis erunt propria opera externa, at quoniam indiuiduum illud Trinitatis communicabile est, & de facto communicatum tribus; proinde rectissimè constituitur causalitas operum externorum in tribus. Hæc veritas de facto fide statuitur; etenim indiuisionē operum ad extra in tribus adorandæ Trinitatis suppositis Seruator ipsemet præstitit, tum Ioannis 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, tum Ioannis 10. *quæ pater facit, similiter & filius facit*, & rursum Ioannis 5. *sicut Pater suscitat, & viuificat, ita & filius*, quod identidem de Spiritu Sancto puta. Appropriata autem mysterij huius effectio Spiritui sancto tribuitur, quoniam is est notionalis in Deo amor, partumque ex amore hoc opus Christus docuit *sic Deus dilexit mundum, &c.*

Ioan. 5. & 10.

Ioan. 3

4 Mitto rationes alias in re certa; ac citra controuersiā inter scolasticos; autores enim pro diuersa sententia citati supra, quorum Scotus meminit *d. 1. p. 3. q. 1. lit. M.* nō quid ab eo diuersum cōstituerunt sibi, quod hucusque statuimus, dum de effectrice causa loquuntur, ita, scilicet, vt appropriatè loquantur non propriè, quod maximè ex eorum ratione fundamentali elucescit, quæ triplex est. Prima, quia Verbum solummodo dicitur assumpsisse, hoc est ad se sumpsisse. Secunda, quia Verbum dicitur potentia operatiua Patris. Tertia, quia Verbum illabi humanæ naturæ dicitur specialiter. Quę rationes si de appropriata locutione intelligātur veræ sunt, si verò propriè intelligerentur excludēdo alias personas, soluuntur. Prima soluitur; quoniam assumere; vt in superioribus diximus duo inuoluit, actionem, scilicet, ac terminum, vt ipse vocabuli rigor explanat; *sumere* namq; actionem denotat, *ad se* verò terminū declarat; actio igitur totius est Trinitatis, terminatio Verbi propria; proinde si in priori sensu sumatur assumere non est Verbi proprium, sed totius Trinitatis; si in secundo est Verbi proprium; nam in Verbo terminatur humanæ pendentis naturę respectus.

Argumēta opposita sententia adducuntur, et soluuntur

Similiter secunda soluitur; nam eo dicitur Verbum potentia operatiua Patris, quia per Verbum agere dicitur Pater, & non è conuerso, cuius rei ratio est; quoniam à Patre agit filius, non autem à Filio Pater, cum Pater sit à se, Filius à Patre; agit enim Filius ita aliter, quam Pater, quia Filius à Patre, Pater à se, & hoc modo explicant Scolastici cum Patribus commune illud effatum, quo asseritur Pater agere per Filium, & Filius operatiua patris esse potentia. Tertia ratio distinctione proposita diluitur. Illabi sumi potest dupliciter, primo pro conditione aliqua, vel efficientis, vel conseruantis, secundo pro intimitate aliqua peculiari rei, quæ efficit, vel conseruat, primo modo non Verbum dumtaxat, sed tota Trinitas illapsa dicitur homini, sicuti tota Trinitas ad efficiendum, conseruandūq; hominē conspirat. Secūdo modo solum Verbum illabi dicitur, quia solum Verbum terminando pendentis humanæ naturæ respectum suppositum ad naturam humanam intimare dicitur; sed hæc intimatio nihil præterea aliud, nisi appropinquatio est, non de genere actionis, nisi quatenus verbum ipsum *appropinquare*, actiuum est apud Grammaticos, & vocaliter solum, de quo sensu Theologi in hoc mysterio parum laborant; siquidem, & *incarnari* videtur passionem denotare, nulla tamen fuit perpessio in Verbo, Vide Scotum *q. 1. 3. lit. M.*

Illabi quid sit

Intimare non est Verbum actiuum, nisi grammaticaliter.

5 Huius capitis perfecta intelligentia vniuersam de effectrice causa doctrinam supponit, qua de re in Metaphisicis. Insuper cognitionem exposcit potestatis Dei ad extra; de qua in *primo*, & 2. *lib. sent.* Scolastici. Hæc interim supponimus in præsentia. Qua autem parte prior opinio constituit filium Dei, siue Verbum eatenus dici formalem posse causam, quatenus relationem terminat humanæ naturæ, reprehenditur iure merito à Scoto; quoniam sola terminatio relationis non constituit formalem causam, vt patet ex ratione causandi formali in Phisicis; alioquin pater æternus dici posset causa formalis filij quia terminat relationem filij, quod falsum est.

EX-

XPONITVR QVÆNAM, SIQVA fuit, causa Instrumentalis huius mysterij fuerit.

CAPVT II.

6 HOC loco, antequam disputationi summos adhibeamus digitos, exponenda est vocis instrumenti multiplicitas; ne nominis equiuocatione hallucinati in diuersos sensus sententiam distrahamus. Instrumenti igitur vocabulum latè funditur; quandoque enim significat genericè quamcumque causam cum alia concursantem non æque primo ad producenda effecta, quo sensu singulæ secundæ causæ instrumentariæ queunt appellari; quoniam cum prima, quæ magis influit in effecta protendunt. Quandoque Instrumenti vox non tam latè patet, vt singulas secundarias causas comprehendat; sed de ijs dumtaxat dicitur, quæ partes sunt; quarum merito totum agit; quo sensu organa sensuum; & aliarum corporis potestatum, & animi, quarum merito totum operationes edere dicitur instrumenta vocantur ab Aristotele in 2. *de anima*. Quandoque vox instrumenti pressa magis significat omnem causam, quæ non effectum principaliter ab agête intentum; sed præuias dispositiones ad effectum illum inducendum producit. Postremo pressius instrumenti vox artis instrumenta significat; quæ eatenus agere dicuntur, non quia vel effectum producant principaliter ab agente intentum; vel dispositionem præuiam parturiant ad effectum illum, sed quia effectum quemdam ab agente principaliter recipiunt ad vltimum effectum ordinem habentem; quomodo bipennis ad ligna secanda parata agere dicitur, quatenus, scilicet, motum recipit à secante ordinatum ad sectionem, quæ est effectus vltimus. Egimus de hisce varijs instrumenti significatis nonnihil in 4. tractatione de causatione gratiæ in Sacramentis. Iam supponendum est, vt ad dicenda viam paratiorem nobis prostituamus, ad genus causæ effectricis nedum veras agentes primario causas efficientes reduci, sed, & instrumentarias quascumque causas, & quoniam instrumentariæ causæ tot modis accipiuntur, quot iam dudum expressimus; præaccipiêdû est, quatuor priores modos naturæ instrumenti phisici declarare; postremum verò de instrumento morali esse addendum, quod de eo omni dicitur quod suaptè natura non agit, nisi ex alterius ordinatione, & pacto; quomodo sacramenta causæ instrumentales gratiæ morales nuncupantur: iam de singulis quid dicendum est.

Instrumenti nominis diuisio, ac declaratio.

Aristoteles 2. de anima

7 Primo autem loco in litem vertitur, numquid aliqua huius mysterij instrumentaria causa phisica detur, & quænam? Disceptatio præsens difficultatem habet de facto, & de possibili. Sunt enim qui cum actualem causam instrumentariam huius vnionis negligant, possibilem tamen concedere non vereantur; sunt alij quibus actualis quoque instrumentalis causa phisica vnionis humanæ naturæ ad Verbum arridear. Propendet in vtrâque sententiam Suarez 3. *p. tom. p. disp.* 10. *sect.* 1. qui demum actualem causam, de qua loquimur concedere veritus, de possibili tutius loquitur. E contra verò alij vtroque sensu, tam, scilicet, de facto, quam de possibili instrumentales causas abhorrent. Circa factum tota lis est propter maternitatem Virginis Deiparæ, eiusque decus maximum; cum enim Virgo Maria vera Dei Mater constituatur, non videtur rectius maternitas eius ad Deum posse reuocari, nisi supposito actuali eius concursu ad nexum vtriusque naturæ in supposito Verbi. Accedit ex hoc asserto maiorem elucescere Virginis dignitatem, ac decus.

Postulatio prima

Opinio Suarez

8 Ego in hunc ordinem pronunciata proferens opinionem meam explanabo. Primum assero, loquendo de instrumentarijs causis in primo, & secundo sensu, neque de facto, neque de possibili dandas esse vnionis huius termaximæ instrumentales causas. Eludam primo possibilitatem, vt deinde illa elusa, facti positio eludatur; quod est enim impossibile vt fiat, nusquam fit, ne fieri impossibile dicam: & in primis nullam secundam causam (hic est enim sensus primus instrumenti) eleuari ad hoc potuisse probo. Virtus naturalis ad operata supernaturalia effectiuè producenda phi-

Assertio prima

Probatur primo

phisicè vana est, neque ad id genus opera eleuari potest, sed causæ secundæ naturali dumtaxat virtute pollent, nequeunt igitur ad supernaturaliter ordinis opera edenda eleuari. Minor patet, quoniam eo secundæ causæ, quia pendent à prima, & primam supponunt, quæcunque autem ab alio pendent, aliaque essentialiter pendendo supponunt facta sunt; facta autem naturali sunt virtute conclusa. Maior probatur, ex eius enim dilucidatione corroboratur & minor; & primo physicè. Agens non agit nisi in proportionatum obiectū, & extra suæ actiuitatis sferam nō vagatur; at naturalis virtus &, opera supernaturalis ordinis non æqua proportione se respiciunt; quoniā alterū est inferioris, alterū superioris ordinis, ac modi, & actiones supernaturales spheram obinde actiuæ naturalis potestatis superant; ergo &c. Nisi quis supernaturalem quandam in agente naturali virtutem comminisci velit; quemadmodum de causatione gratiæ in sacramentis sibi constituunt Thomistæ; sed hæc supernaturalis virtus satis etiam fuit à nobis elusa in 4. sent. dum de eadem causatione gratiæ disceptaremus; neq; est hic, & ibi difformiter philosophādū.

Probatur secundo

9 Præterea vnio hæc, de qua litem agimus relatio est, at relatio à termino etiam pendet, terminus autem est diuina persona, ergo ab illa etiam pendet, quodcumque igitur in terminum potest, in relationem hanc potest: sed quis dixerit naturalem virtutem quidpiam in diuinum suppositum agere posse? omnis igitur creata potestas ad opus hoc faciundum vana est, & impossibilis.

Vasquezij responsio inanis

Neq; satis est dicere cū Vasquezio, qui & si nobiscum sentit *3. p. q. 2. disp. 25. cap. 2.* obicem tamen huic argumento ponit, satis esse, vt dominium in alterum extremum effectrix illa naturalis virtus habeat, licet alteri extremo, nimirum diuino supposito non dominetur; quoniam relatio non à solo fundamento, sed à termino etiam pendet, si ergo naturalis illa potestas suppositum nequit intimare naturæ, nequibit terminationem in supposito inducere; & proinde ex alterius extremi defectu relationem nequibit inducere; exempli gratia, ego ignem in stipula inducturus, & proinde relationem inter illa duo positurus, & in ignem, & in stipulam virtutem habere dicor; alioquin si alterum altero appropinquare non possem, nec virtutem inducere possem; Quod si dicas, & si in ignem non posse, dummodo in stipulam posses, relationem induces. Respondeo, paritatem in primis non esse omnimodam inter allatum exemplum, & vnionem, de qua loquimur; quoniam ignis naturale est agens, & naturaliter agit, neque virtutem habet suspendendi naturalem actionem, cum necessariò agat, estque humano subditus imperio, vt in loco positus non aufugiat, quæ omnia in re nostra secus eueniunt, Deus enim ad extra liberè, & contingenter operatur, neque creato subest Imperio, paritas autem est in inductione relationis aliqua, nam nisi meæ ignis subesset voluntati de quiete in loco, si stipulam adiungente me ignis abscederet, relationem non possem inducere; ita, cum diuina persona liberè operetur, nec ei leges queant creatæ facultates imponere, terminationem in illa nequibunt inducere.

Probatur tertio

10 Adde maiorem impossibilitatem in re nostra, quoniam qui hanc vnionem attingere debet, debet etiam posse humanam naturam à supposito expoliare proprio, at nulla virtus creata naturam humanam potest à propria personalitate nudare, ergo nulla creata virtus vnionem hanc potest attingere. Maior patet, quia eadem virtute humana natura trahitur ad suppositationē Verbi, qua propria expoliatur; suntq; duæ hæ actiones subordinatæ, ita vt altera sequatur alteram, ad nudationem enim propriæ suppositationis, ne naturam atomam sine supposito effingas existere, induci suppositationem in alieno supposito confiteri teneris. Minor probatur; humana natura ad vnionem in alieno supposito est tantum in potestate obedientiæ; sed quæ sunt in potestate tali efficientiam primi efficientis respiciunt dumtaxat, ergo vana est ad vnionem efficiētia secundarū causarum; sub sumpta maior clara est; alioquin enim violenter quiesceret humana natura sub proprio supposito, si quam haberet naturalem potestatem (præter

obedientiam) ad alienum ſuppoſitum, vt patet in lapide, qui, cum naturaliter in loco deorſum quieſcat, ad locum ſurſum nullam aliam habet naturalem potentiam, niſi obedientialem. Vide de hac re Scotum *in 3.diſt.1.q.4.lit.A.*& hæc ratio eſt valde efficax, eſtque in cauſa, vt ſuperior ratio aliquid roboris habeat; alioquin illa difficultate non careret, cum nulla ex hac vnione mutatio fiat in Verbo, tota mutatione in humanitatem effluente: huius ergo rationis adiutorio ratio prior maiorem habet efficaciam.

11 Altera pars aſſerti, quæ conſtruit creata non poſſe aſſumi vt partes ad hoc opus, facilius probatur; non enim humanæ, createque res inſtrumenta Dei appellari poſſunt ſecundum hunc ſenſum, vt patet, quia iſta non ſunt organa potentiarum Dei; neque pars iſta ex terminis dilucida vberiorem poſtulat probationem.

12 *Aſſertũ ſecundum* Secundum aſſero, nullam creatam virtutem poſſe eſſe inſtrumentum huius operis in tertio ſenſu, quo dicitur inſtrumentum diſpoſitiones immediatè ad opus attingere; non autem opus ipſum principaliter ab agente interum. Hæc aſſertio declarationem magis, quã probationẽ expoſcit, declaratur autem præcognita diſpoſitionũ, de quibus loquimur natura; diſpoſitiones autẽ hæ, ſi quæ ponuntur, vel ſunt naturalis, vel ſupernaturalis ordinis, ſi naturalis ordinis; niſi quis velit organizationẽ corporis; totiuſq; hominis indiuidui ædificiũ perfectũ nũcupare diſpoſitiones; aliud nihil præterea in hoc myſterio naturale inueniemus; at certè organizatio, & corporis cõflatio nequeũt verè diſpoſitiones ad vnionem hanc ipſam appellari; quoniam nullum naturale, vel neceſſariũ ad vnionem ordinem habent, alioquin vniri deberent ſingula perfectè organizata corpora, quod eſt falſum; quare diſpoſitiones iſtæ, ſi quæ effingũtur de naturali ordine ſecluduntur omnino: ſi verò ſupernaturalis ordinis eas appellare iuuet, ex illarum numero, ſine illarum caput certè erit gratia habitualis, quemadmodum ſentire videntur. *Alexander Gabriel* Alenſis, & Gabriel *in ſuperiori diſputatione citati*, ſed gratia nequit eſſe huiuſmodi diſpoſitio, quare concludendum eſt nihil ſupereſſe, quod ſtatuatur potuiſſe fieri, ſiue produci ab naturali agente, quod eſſet diſpoſitio ab hanc vnionem. Quod vt facilius innoteſcat, explodenda eſt gratia habitualis ab hoc munere diſponendi naturam ad vnionem; vt ea exploſa innoteſcat ſtatim nulli diſpoſitioni locum remanere ad hoc myſterium, exploditur autem *Scotus S. Bonauentura.* à Scoto *in hoc 3.diſt.2.q.etiam 2.lit.F.& G.* contra D. Bonauenturam, qui ab Alenſe non differt in hoc aſſerto, in hunc modum. In illo naturæ inſtanti perſonata dicitur in ſuppoſito Verbi humana natura, quo, niſi præuenta *Ratio Scoti.* fuiſſet in proprio ſuppoſito ſuppoſitationem habuiſſet, at prius naturaliter perſonata fuiſſet in proprio ſuppoſito, quam habitualis gratiæ munere donata fuiſſet, ergo præuenta, & ad alienum ſuppoſitum pertracta non prius habitu gratiæ donata fuit, neque proinde ſtatui poteſt vnitionis diſpoſitio habitualis gratia. Maior eſt euidens. Minor probatur. Quod in aliquo eſt principiũ operandi eſt perfectio illius in quo ineſt, ſed gratia habitualis eſt principium operandi ſuppoſiti, ergo eſt perfectio eius, minor ſub ſumpta patet quia operatio eſt propriè ſuppoſiti, præcipuè ſecundum Aduerſarios; ſuppoſitationẽ igitur prius intelligitur habere humana natura; quam habitum gratiæ. Quod ſi hæc ratio difficultatem patiatur; quoniam formaliter in via Scoti actiones non ſunt ſuppoſitorum, ſed naturæ, ſuppoſitorum tamen ſunt ſolum denominatiuè, vrgetur hæc pars, quam aſſumo probandam alio fortiori dilemmate Scoti, ſupponendo gratiam eſſe accidens, animam eſſe ſubſtantiã, animam denique eſſe ſubiectum gratiæ, quæ omnia tam facilè patent, quam quod probationem irrideant.

13 *Probatio eiuſdem ſeu confirmatio* His ſuppoſitis arguere licet. Realis, & actualis exiſtentia ſubiecti ordine naturæ ſupponitur reali, & actuali exiſtentiæ accidentis; ſed anima Chriſti eſt ſubiectum illius gratiæ habitualis, quę accidens eſt controuerſiæ huius ſubiectum, ergo animæ Chriſti actualis, ac realis exiſtentia ſupponitur ordine naturæ exiſtentiæ illius gratiæ. Maior ex illo communi Philoſophorum effato clareſcit, quo aſſeritur ſubſtantia

præire

præire accidens natura, cognitione, tẽpore, de quo nonnihil effari libuit nobis in Physicis. Minor ex suppositis patet, sed non dum apposite rem nostram probauimus, sub inferendum est ergo aliud dilemma in hunc modum. Sed anima Christi nunquam habuit realem existentiam nisi in Verbo, ergo fuit prioritate aliqua naturali prius assumpta, ac proinde personata natura, quam gratia illa donata; sub sumptum antecedens probatur, nam si aliquando existentiam habuisset Christi animus, & non in Verbo, sciscitor numquid vnitus pro eo fuisset instanti humanæ naturæ, an verò minimè fuisset vnitus, si vnitum dixeris, ergo, inquam, fuit verè humana natura personata in supposito proprio, quia completa organizatione & creato animo statim personatur atoma natura, si pro aliquo igitur instanti vnitus fuit animus Christi corpori non dum assumpto; Christi corpus verè fuisset humana personalitate personatum, quod est falsum, si dixeris non fuisse vnitum, grauiori lapsu corrues, animus enim humanus, vt creatur corpori infunditur, nec aliqua inter eius creationem, ac infusionem interlabitur mora. Adde Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius gloriã, quasi vnigeniti à Patre, &c.* quæ verba indicare videntur rationẽ, ob quã plenariũ gratiæ habitũ elargitus est Christo Deus, reuocandã esse ad filiationem Dei, vt idcirco dicatur gratia plenus; quia Vnigenitus Patris. Adde demũ pro corroboratione primi argumenti. Quãdo aliqua duo sic alicui vni insunt, vt vnũ per se insit; aliud per accidens, prius inesse intelligitur illud, quod per se cõuenit, quã quod per accidens, sed personati cõuenit per se naturæ atomæ, at singulari, habitualis autẽ gratia conuenit per accidens, ergo prius personari intelligitur, quã gratificari. Hactenus crassa quadã Minerua præire non posse dispositiones accidentarias ad vnionẽ probauimus; quoniã hic nõ est pręcipuus de hinis quæstiti subiecto locus. Iam dictorũ coronis esto, quod licet statuatur gratia dispositio ad vnionem, adhuc incolume perseuerat effati nostri pronunciatum, quia nimirum nulla virtus creata eo se potest dignitatis, ac sublimitatis euehere, vt creare queat, quemadmodum

Hæc probatio melior est.

Dictorũ epilogus.

tum in *secundo sent. tum in 4.* abunde diximus, instrumentalis igitur physica causa ab hoc munere, immò, & à possibilitate huius muneris exempta est. Superest, vt rationem instrumentarij medij in postremo sensu à creatis ad hoc opus etnamus. Hoc autem facilè constat supposita instrumenti in eo sensu natura, quo instrumentum artis solum denotat, creatæ autem vires præterquamquod ab artis instrumentis distant, si comparentur ad Deum, in hunc etiam sensum morales potius, quã physicæ causæ alicuius effectus supernaturalis appellantur, vt patet de sacramentis, quæ cum instrumenta vocentur gratiæ, similitudinem potius gerunt instrumenti artificialium, quam cæterorum, licet verè physicè gratiam non attingant, sed moraliter dumtaxat, de morali autem causa eff ctice dicendũ est sequenti capite circa opus inhumanationis Verbi. Interim opposita si quę sunt argumenta euellamus.

14 Quicunque actualem causandi instrumentaliter rationem in creatis agnosc t penes vnionem Verbi humanæ naturæ, dignitatem hanc in solam Deiparam Virginem agnoscunt, temerarium enim, ac erroneum tentur hoc de alijs viris sanctis affirmare, quando, & Angelorum, quorum magna est potestas, ac virtus, in sola petitione Virginei consensus, actio terminata fuit, vt patet de Gabriele *Luca primo*, qui munus hoc obeundum Sancto Spiritui remisit. Conuincuntur autem præfati auctores Virgini hanc dignitatem deferre primo; Quia Virginis dignitas in hac actione, ac præstãtia super alias elucescit magis; quod autem præstantius est concedendum est Virgini, in quam tota se infudit gratię plenitudo ex assertione sanctorum. Secundo, quia secus nulla apparet ratio, ob quam Virginem Dei Matrem appellemus; si namque tota actio Marię in communicatione sanguinis, & organizatione humani corporis sita est; ea plane solius hominis, non vero Dei dicenda esset Mater, quod falsum esse, & hereticum ostendemus infra peculiari quæsito. Tertio, quia hoc sanctorum Patrum consensu firmatur; vnde Hesichius *hom. 2. de B. Virgine* Virginem vocat instrumentum Incarnatio-

Alia petitio, an Virgo fuerit huius operis instrumentum.

Opinio quorundam, & fundamẽta.

Hesichius.

nationis eius, qui omnia produxit. Ambroſius *epiſt. 82. per Virginem*, inquit, *caro noſtra iuncta eſt Deo, ſicut per mulierem eiecta eſt de Paradiſo*, quod etiã repetit *oratione de funere Theodoſij*, aiens Virginem feciſſe, vt inter homines Deus videretur. In hac ſententia quoque citatur Bernardus *hom. 4. in Miſſus eſt*.

Bernardus.

15 Quicunque poſſibilitatem ſaltem huius operis faciundi ad creatam virtutẽ deuoluunt hoc argumento conuincuntur. Non repugnat ex parte modi, neque ex parte termini actionis creaturam aliquam eleuari, vt inſtrumentum fiat vnionis in hypoſtaſi, potuit igitur ſimpliciter fieri, vt eleuaretur, quidquid ſit de facto, ãtecedẽs probatur à ſimili: ſicuti non repugnat creata aſſumi vt inſtrumenta ad cætera ſupernaturalis ordinis effecta, ita neque ad hanc vnionem, ſed ad cætera euehi poteſt, vt inſtrumentaria cauſa creata facultas, quare & ad iſtam, ſub ſumpta minor patet de tranſubſtantiatione panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem, quæ fit ab homine, vt ab inſtrumento Dei; vt quid igitur impedit, quominus aliquem aſſumi poſſe dicamus, vt Dei inſtrumentum ad hoc opus Vnionis, vt pote quod eiuſdem eſt ſupernaturalis ordinis, licet, eo longe excellentius, ac præſtantius?

16 Hæc tamen omnia leui difficultate enodantur. Vnde primum corruit, concedendo dignitatem Virginis creatis quibusque anteponendam, excipiendo Chriſti humanitatem, quæ cum creata fuerit, animum ſumma gratia donatum habuit, & plenitudinem gratiæ alio modo, quam Dei genitrix recepit; at nihilominus non eo eſſe euehendam Virginis dignitatem, vt ex creatorum ſerie diſtrahatur, & ipſa namque creatura fuit, & qua ratione creaturæ limites non exceſſit, neque creaturæ fines agendi, ac actionis, ſiue actiuitatis creatæ ſpheram ſuperaſſe credenda eſt, ne ſimul, ac ſemel dicatur creatura, & Deus; ſuperat igitur creatam facultatem hæc actio, & proinde à Virgine eximenda eſt; neque eſt tantifacienda Mater, vt vileſcat Filius.

Aliorum argumenta diluuntur.

17 Ad ſecundum, nego ſequelam, nimirum ſecus ſeruari non poſſe Virginem fuiſſe Matrem Dei; aſſumi namque vt inſtrumentum ad vnionem hanc nullo modo pertinet ad Maternitatem, nam ſi hoc munus communicari creatis poſſet, obire illud potuiſſent Angeli, neque proinde Angeli dicendi fuiſſent Matres Dei, intacta igitur maternitatis ratio ſeruatur in Virgine erga Deum; quamuis inſtrumentalem hanc cauſandi rationem deſideraret Virgo; fuit igitur Mater Chriſti, & Dei, non quia vniuit, ſed quia organizatio corporis Chriſti, infuſio animi, vnio ad Verbum in eodem inſtanti temporis facta fuerunt; & proinde actio Beatiſſimæ Virginis non fuit ſimpliciter ad nudam creatam naturam terminata, ſed ad naturam, vt ſubſiſtentem in alieno ſuppoſito, nempe Dei, de qua redicemus infra ſuo loco.

Maria quomodo Mater Dei.

18 Patrum, quę tertio loco feruntur, teſtimonia, nihil tale probant, ad quod probandum afferuntur; loquuntur enim de morali, non autem de Phiſico inſtrumento, vt patet in allata auctoritate Ambroſij, quæ conſtituit ita per Virginẽ vnitam carnẽ, vt per mulierẽ eiecta eſt caro. At, ego inquam, quonammodo eiecta eſt caro à Paradiſo per Euam, efficienter ne, an demeritoriè? Certè demeritoriè omnium placito, ergo, inquã, & meritoriè per Virginem vnita eſt Deo. Nihil vltra probat Ambroſij auctoritas, de qua peculiaris habenda eſt diſputatio ſequens. Eodem modo loquitur Bernardus. Solummodo Eſichius inſtrumenti nomen apertè vſurpauit, ſed ſi de morali inſtrumento locutus dicatur, nulla repugnantia. Niſi velimus dicere Virginem inſtrumentum fuiſſe phiſicum huius operis, quatenus humanitatem cauſauit, in qua facta eſt vnio, ſed hic ſenſus à longo ſatis inſtrumenti ſignificato deriuatur.

Patrum locutiones exponuntur

19 Auctores demum poſſibilitatem rei huius in creatã facultatẽ reuocantes leue præ ſe fundamẽtum gerunt. Siquidẽ repugnat ex parte termini, qui cum ſit ordinis ſublimioris, quam creati, à creatura nequit attingi; & ad rationem pro probatione minoris dicendum neque effectiuè phiſicè hominem, aut verba tranſubſtãtiatione facere, ſed moraliter dũtaxat, vt de ſacramentis abundè diximus. Cæterum de morali cauſa huius operis dicemus ſtatim.

Satisfit auctoribus poſſibilitatem inuehentibus.

DI-

DISPUTATIO VII.

QUÆNAM FUERIT MORALIS causa huius vnionis.

CAP. I.

AN CHRISTUS SUAM INCARNAtionem meruerit, an saltem mereri potuerit.

1 Causa instrumentalis effectrix duplex; alia Phisica, alia moralis. Hactenos Phisicam; nunc verò motalem discutiendam proponimus. Duplici ex capite difficultates nos vexant in hoc capite, ne dum quia disputationem de re facta primum de possibili excitauimus; sed quia com Hereticis primum mox cum scolasticis quibusdam agitandam proponimos litem. Circa factum igitur sciscitantes, an vnionem hanc sibi meruerit Christus obuios habemus Photinum & Origenem *lib.2.Periarchon*, arbitrantes prius tempore pręcessisse Christum, quam à Verbo caro eius in hypostasi vniretur; proindeque meruisse de condigno inhumanationem, siue subsidentiam in Verbo: diuersimodè tamen Photinus, ac Origenes errorem hunc profitebatur, nam Origenes ex prauo illo principio, quo animas in æternitate creatas singulas sibi persuaserat, de Anima Christi consequenter intulit, eam dumtaxat non copulatam carne tempore vnionem antecessisse; Photinus verò Christum totum prius tempore, quam vnio fieret præextitisse fatebatur. Arriani etiam, idcirco Christum verum Dei Filium negabant, quia arbitrati sunt ex meritis Deitatem illi fuisse collatam, perperam interpretantes vatis illud elogium in Psal.44. *dilexisti Iustitiam, &c. propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo letitiæ, &c.* quæ verba de vnctione Deitatis intelliguot, vnctumque Deū arbitrantur Christum in Iordane, dum in Columbæ specie Spiritus sanctus super ipsum apparuit, vt patet apud Nazianzenum *oratione secunda contra Arianos*. E contra verò fidelium scola cum Patribus, ac scholasticis nullum præcessisse Christi meritum, quo hæc admirabilia vnio naturarum fieret; vno constanti ore proclamat.

Photinus Origenes

Ariani

Psal.44.

Nazianzenus

2 De possibili aliunde nobis obiectæ difficultates occursant, siquidem scolastici non pauci; qui nobiscum contra hereticos bellantes Christum non meruisse vnionem hanc firmiter confessi sunt, meriti tamen Christi ad hoc mysterium possibilitatem inficiari verentur, præcipuè si absolutam Dei potestatem contemplemur; quæ nulli obnoxia ligamini supra constitutas rerum leges, ac ordines conditos collocata est, citatur in hanc sententiam Caietanus *3.p.q.2.art.11.* cui ad stipulatur Franciscus Suarez *disp.10.cap.siue sect.4.* è contra vero alij iū de ordinata, tum de absoluta Dei potestate hoc inficiantur.

Caietani, & Suarez opinio.

3 Recentes aliqui inter vtrosque mediā constituentes sententiam aiunt, non equidem Incarnationis ipsum mysterium, sed quidpiam ipsius mysterij potuisse Christum mereri, immò & de facto meruisse, nimitum de condigno meruisse perpetuitatem vnionis, & nexus illius tot maximi perennitatem; insuper conditiones, ac circumstantias quasdam Incarnationis meruisse nedum comitantes, vel sequentes mysterium; qua'ea sunt quod nasceretur ex Virgine, quod nasceretur in Bethleem, quod ex regali progenie, & similes, sed antecedentes, nimirum, quod Matrem haberet nulli peccato obnoxiam, quod ab Angelo nunciaretur, prædiceretur à Prophetis, & cæteras id genus. Ita sentit Vasquez *disp.21.cap.8.*

Opinio Vasquez

4 Disceptationem præsentem nullibi prosequitur Scotus, licet ex ija, quæ in *2.sent.dist.5.q.1.* loquendo de Angelis exposuit, placitum eius non fine grani coniectura deduci queat. Prosequitur autem hanc difficultatem ex Recentioribus Scotistis Faber *disp.44. cap.5.* ita tamen, vt velit etiam de facto Scolasticos aliquos in sententia fuisse, Christum Incarnationē suam meruisse, vel saltem mereri potuisse: ita putat Faber teneri ab eis illos, qui habitualem gratiam in Christi anima ante vnionem, tanquam dispositionē postulatunt. Sed forte labitur Faber, nam

Fabri placitum reij citur.

Gratia decor animi

nam posuerunt auctores illi cum Sancto Bonauentura, Alense, Gabriele, Marsilio, & alijs gratiam in Christi animo præuiam non ad opus, sed ad decorem animi, vt enimus decoratus perfectissimo habitu crederetur assumptus, non ita vt signare possent aliquod temporis instans, pro quo gratia donatus fuerit Christi animus antequam vnitus, sed prioritatē naturæ intelligentes ita philosophabantur, at sola naturæ prioritas nihil ad opus facit, quod elicitur in tempore. Voluntatiē igitur in eam sententiam præcitati auctores à Fabro vocantur.

5 Vt meā apertā mētē obseruandū reor primum, referendam huc esse vniuersam de Christi merito doctrinam, præcognita prius meriti ipsius quidditate, & natura, de quo nos nonnihil diximus supra disp. peculiari de satisfactione Christi, dum huius operis necessitatem aucuparemur. Meritum igitur est actio elicita à voluntate recta, quatenus principium in se operandi habet, acceptata à Deo ad præmium: ex qua diffinitione non obscurè deducitur meritum præire ad prēmium, tanquam causa præit effectum, tanquam via præit terminum; tanquam dispositio præit rem, cuius est dispositio: hisce enim exemplis accommodatis meriti essentia declaratur, deducitur etiā nonnisi dilucidè, duo ad rationem meriti complendam concurrere, alterum, scilicet, opus ipsum præstitum, alterum vero, diuina pactio, & acceptio; quorum neutrum sine altero perfectè rationem meriti complet, nam si quis bonum eligat vel ex genere, vel morale, n si acceptetur opus nusquam perfectam obibit meriti rationem, si quis etiam acceptare velit ad præmium, nonnisi, opus acceptabit, alioquin pacisceretur sine obiecto pactionis, quod est impossibile. Hoc dixisse volui, vt Suarezij, & aliorum Recentium sententiæ falsitatem ostendam, qui & si nobiscum conueniunt circa disputationis huius factum, appendice tamen quadam nostram destruunt sententiam rati per merita subsequentia potuisse Christum propriam vnioeē mereri non arbitrantes absurdum præmium quandoque præire, ad meritum,

Meritum quid sit?

vt patet exemplo Regis, vel copiarum ductoris, qui militi pro stipendio futuri certaminis equum, & arma impertitor; quo casu præmium præire ad meritum constituendum esset. Verum hanc nouam esse philosophiam diximus digressio ne illa de merito in genere: & sanè in exequendo rerum ordine terminum ante viam constituere, est vniuersum rerum ordinem peruertere; quamuis enim in intentione secus sit dicendū, attamen in executione certum est anticipatam solutionem non habere rationem præmij, sed accommodationis, quod experimento probamus in eodē exemplo, quod est Suarezii, & Recentiorum Achilles; nam Rex, vel copiarum ductor impertitur equum, & arma militi non pro futuri operis præmio, sed pro stimulo ad futurum opus, non retribuendo, sed commodando, vel mutuando. Ratio huius est, quia præmii largitio spectat ad iustitiam retributiuam: *Retribuere* nihil prætereà sonat, nisi, at vt ita dicam, *ad tributionem tribuere*; quare ex ipsa nominis specie præitionem fert operis ad præmium. Cæterum de hoc alibi diximus.

Præmiare est actus iustitia retributiua

6 Interim ad hunc locum reuocanda esset vniuersa de Christi merito doctrina *ex dist. 18, huius tertij sent.* quid, scilicet, quando, & quomodo Christus meruit, si hæc tanta rerum diuersitas permisceri sine nota posset, Reuocandum est pariter in memoriam, rerum ordinem esse duplicem, quemdam in agentis intellectu, quendam in rerum successione, & euentu; qui duo ordines, licet in eo conueniant, quod res debent intentioni artificis respondere; at certè non secundum modum intendendis, ac decretantis, qui primo finem intendit, mox media; at prius exequitur media, quam finem. Ratio huius est, quoniam media in rerum euentu sunt dispositiones quædam, & quasi via ad finem; via autem, ac dispositio, iuxta communem philosophorum doctrinam, ad rem efficiendam, terminumq; assequendum præponuntur: è contra vero accidit in decretis, quibus media non decernuntur, nisi in gratiam finis. Egimus de hisce ordinum diuersitatibus fusè alibi; neque sunt inutiliter hoc loco repetendæ, nisi quatenus dispo-

Ordo rerum alter intentionis alter executionis, & alter alteri contrarius.

sputatio in duplici sensu cribatur à Recentibus, & in sensu intentionis, siue in electione, & in sensu executionis, siue in opere, & diuersimodè eã secundum hunc duplicem sensum diiudicant; iuxta eorum propria principia; Suarez enim, qui electionē sanctorum antecedenter arbitratur factam ad merita, ad electionem etiam vnionis Christi in hypostasi humanæ naturæ nullum agnoscit Christi meritum, in executione autem, & si exhibitum nullum meritum agnoscat; posse tamen agnosci tetur; è contra vero Vasquez, qui ad electionem merita præire sentit, aliter tenetur sentire.

Opinio Suarezij.

Opinio Vasquezij

7 Memini me in disputationibus de electione sanctorum generatim pro Scoto sensisse, merita non præcessisse ad gloriã, neq; ad gratiam, de Christi tamē vnione nihil dixisse; cum ipsius electio vix cum aliis conferri queat; in quo natura, non persona electa fuit, non ad gratiam, sed ad summam gratiam, non ad gloriam, sed ad summam gloriam, & solummodo, quantum loci illius petebat occasio, docuisse Christum prius ad summam gloriam electum, quam ad vnionem hypostaticam; est tamen peculiariter de hac re agendum, dum ipsam Christi prędestinationem peremus, interim nelcioque etiam delibari hoc loco necessum est, in quo tota lis ex ordine in electione diuina dependet, quoniam si constiterit electionem ad vnionem factam, vel infectam, ita vt in opere haberetur ex meritis, vel non electam nisi præcognitis Christi meritis nihil vltra remanet expostulandum. Dixi de Christo semper idem intelligens nomine Christi, & humanitatis assumptæ in supposito, quod notasse volui, vt Suarezij, & Radæ errarum corrigam diuerso modo loquentium de Christo, & de humanitate assumpta in proposito, tenetur enim isti Christum vtique non meruisse, sed neque mereri potuisse credit Rada; humanitatem tamen potuisse mereri, quæ distinctio non caret risu, quid enim illa humanitas à Christo distincta? an operativa natura sine supposito? an prius tempore humanitas fuit; & non vnita? Certè hæc omnia reprehensione non

Distinctio Rada, Suarezij, et Bonacinę non probatur

vacant, vt infra probabo.

8 Obseruandum tertio, meritum, cuius diffinitionē alibi tradidimus partitionē habere apud Scolasticos in meritum condigni, & congrui, quid autem vtrumque sit, nominis energia declarat, & nos suo loco expressimus. S. Bonauētura tertiũ distinctionis meriti membrum adiungit, quod meritū digni appellat; vix tamen apud quēpiam inuenies expressum, quid sit hoc meritum digni, quone pacto à merito condigni distinguatur; nisi apud Marsilium in 3. q. 5. art. 3. dubio 1., qui duo sentit ad meritum digni conspirare, nimirum meriti, & operis naturam; & acceptionem Dei, arbitratur enim meritum digni esse illud, quod Deo acceptante dignum est tanta remuneratione: ex cuius sententia deducere possumus; quoniam is nobiscum arbitratur omne meritum per diuinam acceptationem compleri, meritum digni esse quasi genus quoddam ad meritum de congruo, & ad meritum de condigno. Ratio huius est; quia omne meritum mercedem exigit, & dignum est præmio, siue sit dignum verè, siue per quandam decentiam, & congruitatem: si sit dignum ex decētia, & congruitate quadam appellabitur meritum de congruo: si sit dignum verè appellabitur meritum de condigno. Hoc etiam ex natura, & ratione vtriusque meriti, congrui videlicet, & condigni liquescit: etenim vtrumque meritum dignitatem quandam remunerationis præ se demonstrat, meritum quidem de condigno remunerationem ex Iustitia, meritum de congruo remunerationem ex decentia; quarè cōcludendum censeo meritum digni frustra poni tertiam meriti speciem, cum potius sit vtriusque meriti genus, vt diximus.

Meritum digni, condigni, & congrui quid sit ex S. Bonauentura.

Expositio Marsilij.

9 His prębabitis assero primo, Christum de facto in executione operis vnionem hanc in hypostasi non meruisse; sed neque in electione factam hanc vnionem fuisse ex meritis Christi præuisis. Assertio duplici parte constituta est, vt patet, & duplicem habet sensum, alterum de meritis vnionem antecedentibus, alterum de meritis vnionem subsequentibus, Assertio circa prio-

Christus Incarnationem suam non meruit.

priorem partem, ac sensum probatur primo ex scripturis, quibus apertissimè docemur Incarnationis mysterium ex diuina liberalitate, ac munificentia manasse; vnde ad Titum 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei* & ad Ephesios 2. *Propter nimiam charitatem suam misit Deum Filium suum, &c.* quod ipsemet Seruator expressit Ioannis 3. *Sic,* inquiens, *Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Estque perpetua, & constans fidelium sententia, diuinæ bonitatis, ac misericordiæ viscera in hoc opere patefacta homini; ita siquidem Lucæ 2. præcecinit Zacharias vates. *Per uiscera misericordiæ Dei nostri, &c.* quod & Virgo in suo Cantico expressit. *Ad faciendam misericordiã, &c.* propterea hoc opus, quod indiuisè tota Trinitas operata est, Spiritui sācto appropriatè reuocatur, iuxta illud Angeli ad Virginem *Lucæ* 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* quoniam Spiritus sanctus amor est in diuinis, vt amoris effectū credamus hoc ipsum mysteriū; quod si tota ratio agendi in Charitatem, & amorem Dei reflectitur, meritum in hoc opus inducere vanum est, quod rationem totalem gratiæ destrueret; non enim gratis datur, quod ex merito datur.

Sit. 2. Eph. 2. Ioan. 3. Luca 2

10 Hanc veritatem, vt cæterorum Patrum testimonia mittamus, omnium instar dilucidè propugnauit Augustinus *ferm.8. de Verbis Apostoli* hisce Verbis. *Audebit ne ergo aliquis dicere, quia natura nostra in illo mediatore primum per liberum arbitrium promeruit Deum, & sic suscipi meruit, vt esset homo, & Deus, &c.* & clarius in Enchiridione *cap. 36. quidnam natura humana in Christo meruit, vt in vnitate personæ esset assumpta? &c.* Nonnulli etiam hanc veritatem vulgato Augustini testimonio probant, *in rebus per tempus ortis nulla maior gratia, quam quod Deus fieret homo, & homo Deus, &c.* perperam tamen, me Iudice, quoniam hæc auctoritas gratiam à nostris meritis, non à Christo refellit, vt patet. Allatæ Augustini auctoritates à nobis tam dilucidè patent, vt à sensato viro nullam queant explicationem in oppositum desiderare, proinde temerariè satis sentiet, qui secus sentiet.

Aug.

11 Probo secundo hoc idem argumentis. Primo ijs omnibus, quæ in superiori disputatione loquendo de instrumentali causa phisica, & tractatione de Incarnationis essentia produxi, quæ, quatenus dispositionem omnem ad hoc opus ablegant, huic parti non modicum opitulantur, si quidem, si gratia non antecessit vnionem hypostaticam, vtique nec meritum vnionem antecessit; meritum namque est actio elicita bona à voluntate informata gratia, gratia igitur ad meriti elicitionem exposcitur; quæ desiderata in Christo ante vnionem, meriti quoquè rationem ablegauit. Rursum autem hanc partem ita persuadeo. Christus ante vnionem meriti nullo modo capax fuit, ergo Christus vnionem suam non meruit, consecutio euidens, antecedens suadetur, præter rationem gratiæ, quæ deficiebat, expostulabatur causa, ad hoc, vt perficeret meritoriū opus. Ante vnionem non erat in aliquo temporis instanti Christus, ergo nec meritum Christi in facto, ne opus effingas sine agente, antecedens subsumptum probo postulans; numquid esset eo in instanti Christus verè totus, an vero sola Christi humanitas, quodcumque dicas, infringam: si primum dixeris, ex quo Christus totus non solum humanitatem designat Christi, sed Deitatem cum humanitate subsistente in supposito Verbi, ante vnionem, quam perimus, vnionem ipsam construxisti: si vero humanitatem præisse dicas in eo instanti, duo inferes errata, Theologicum vnum, alterum philosophicum, philosophicum quidem, quia naturam sine suppositatione pro aliquo tempore constitues, quod philosophię monstrum appellabis potius, quam errorem; Theologicum verò, quia in Photini errorem dilaberis existimantis Christum præcessisse ad vnionem, quod falsum est. Prætetea sola humanitas meriti non est elicitiua, vt infra probabo possibilitatem etiam huius operis euellendo; quare simpliciter constituendum est Christum sibi inhumanationem non meruisse.

Probatur 2. ratione

12 Audio Recentes aliquos non obsistendo assertioni nostræ, sed ingenij sui pompam faciendo occursuros argumento huic, Christum meruisse, quoad

Recentiorum occursus præcipuè

Bonacina assecla Caiet. Ianneri, & Becani.

quoad humanitatem, quæ informata gratia voluntate elicere potuit opus meritorium ad vnionem, & in primis responsio transit ab actu ad potestatem, de qua infra; de facto namque nullus catholicè sentiens oppositum sentit; secundum se etiam responsio eluditur. Natura regulariter non agit; ergo nisi suppositata in eo instanti, nullum potuit Christi humanitas edere actum regulari potentia, antecedens probatur communi asserto illo philosophorum, Actiones sunt singularium, quod est idem, ac si dicamus actiones esse suppositorum, si quidem in philosophorum scolis suppositum ab indiuiduo, ac singulari nominaliter solum diuersum est; quod siue verum sit denominatiuè tantum, vt arbitratur Scotus, siue verum absolutè, vt credunt alij, inter Scolasticorum sententias vt verum vagatur. Volui dedito studio in hanc rationem incidere, vt cum Vasquezio latior mihi pateret disceptandi campus, qui, & naturam agere posse sentit *loc. cit. in Vestibulo huius capitis*, & non esse necessarium docet, in omni actione esse principium quod, & principium quo, sed solummodo in compacte ex materia, & forma, & auctoritatem illam de actionibus suppositorum proprijs perperam à singulis arbitratur adductam, & perperam magis intellectam, quoniam ex Aristotelis fonte, ex quo deducitur *1. Meth. cap. 1.* non rectè deriuatur; ait namq; Aristoteles actiones esse circa singularia, non autem esse singularium, refert autem hoc, vel illud dicere; quia si aio actiones esse singularium, principium quod actionum ipsarum declaro, si aio actiones esse circa res singulares, obiectum, siue subiectum circa quod actionum explano, primum igitur assertum nusquam inuexit Aristoteles, sed hoc secundum dumtaxat, estque proinde effatum illud, actiones sunt suppositorum, nonnisi vulgi proprium, à nullo nominis alicuius philosopho inductum.

1. Meth. cap. 1.

13 Hæc Vasquezij noua doctrina corrigitur quo ad singula, supponendo dum de facto loquimur, nos ordinem constitutum rerum spectare, rursumque naturalem rerum, non autem quid absolutè fieri queat; regulariter autem in actionibus naturam non agere, vt principium quod, sed singulare agere Aristoteles edocuit *1. de anima cont. 64.* negans animam irasci, aut timere, si quis enim dixerit animam irasci, vel timere, ad instar eorum se habebit, qui crediderint animam filare, vel texere; animus igitur humanus forma est, qua agens agit, est enim præceptore Aristotele eodē *in 2. de anima*, principium quo mouemur, sentimus, ac intelligimus, non autem principium quod actionum; similiter, *& in 2. Phis.* natura dicitur principium quo motus, & quietis; natura igitur non est principium quod, sed quo actionum; estq; principium formale, non effectiuum. Adde, quod non solum in compositis ex materia, & forma hoc idem patet, sed & in simplicibus, vt patet in diuinis productionibus, in quibus supposita producentia sunt principium quod, memoria vero, & voluntas fecunda sunt principium quo; & in naturalibus, cęli, qui simplices sunt, calefaciunt hęc inferiora non vt principium quo, sed vt principium quod, medio, scilicet, calore, vel lumine. Præterea principiū quo, & quod aliud esse docet apertè Boetius *lib. de hebdomad.* docens in omnibus citra Deum differre quo est, & quod est, & si igitur ex Aristotele *1. meth.* authoritas præfata non educatur, est tamen Phisica assertio ex præfatis Aristotelis locis deducta, & à Boetio aperto ore inducta, & præcipuè quod spectat ad propositionem illam, qua asseruntur operationes esse singularium propriæ, est auctoritas Damasceni *lib. 3. de fide cap. 15.* vbi postquam docuit, aliud esse actiuum, & aliud actionem, aliud agens, concludit agentem esse personam. Neque audiendus est Vasquez auctoritatem hanc interpretatus in hunc modum, vt putet verum esse effatum Damasceni, at non obinde sequi naturam non esse principium quod etiam, quoniam nusquam dixit solam hypostasim esse agentem; non est, inquam, audiendus, nam si principium quod, & quo seiungit ad inuicem Damascenus, nisi ex æquo ita seiungeret, vt quod vni competit, alteri posset conuenire, pari formiter, ac asseritur, posse naturam esse principium quod, vna

Vasquezij doctrina inanis

Aristoteles 1. de anima cont. 64.

Boethius

Damascenus,

cum ſuppoſito, aſſeri poſſet, poſſe hypoſtaſim eſſe principium quo, ſicut natura, quod in nullius mentem incidit. Adde propoſitionem illam, *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, aſſeram fuiſſe vt veram in Concilio Florentino *ſeſſ.* 18. à Ioanne Theologo, non quidem tanquam propoſitionem de fide, ſed vt communiter à Theologis receptam.

14 Pater Lugo *diſp.* 8. *ſect.* 2. conuenit vtique vulgatum illud axioma recipiendo, *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, tanquam ex Ariſtotele, Damaſceno, & ex Ioanne Theologo in Concilio Florentino dimanans; ſed ex eo aſſertionem propoſitam probari non poſſe ſubdit; quoniam aliud eſt, actiones eſſe ſuppoſiti, ſeu denominare ſuppoſitum, & aliud, actiones procedere à ſuppoſito, vt ſuppoſitum eſt formaliter: nam eodem modo, quo tu dicis. *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, poſſum ego dicere. *Paſſiones ſunt ſuppoſitorum*; quia ſic ego dicere poſſum: *Humanitas non generatur*, ſicut tu ais, *Humanitas non generat*; & tamen adhoc, vt natura terminet generationẽ non prærequiritur ſubſiſtentia, quare per ipſum ad hoc vt actio ſuppoſito tribuatur, non prærequiritur, quod ſubſiſtentia ſupponatur ad actionem, nam filio in diuinis tribuitur actio ſpirandi cum toto rigore, & tamen ante ſpirationem non præſupponitur perſonalitas filij, nam prius ratione eſt ſpiratio ipſa in Patre, quam in Filio, vel ſaltem, vt pater ſpiret non prærequiritur filium iam eſſe conſtitutum, ergo licet ſpiratio non procedat à filii perſonalitate præcedente, tribui poteſt ſuppoſito filij, eo ipſo quod intelligatur tota ſpiratio in filio. Hæc ille, licet non ſub his omnino verbis, hæc tamen omnino.

Expenditur dicta à Lugo circa illud effatum actiones ſunt ſuppoſitorum.

15 Et ego quidem de ſenſu, ac veritate pronunciati illius, quod hoc loco ad probandum ex communibus commune aſſertum adduxi, ſuperſedeo, ſenſum eius alibi in hoc opere longiori ſermone proſecuturus, ita tamen, vt non penitus à cenſura dictorum à Lugo ſuperſedeam. Ait hic auctor, aliud eſſe denominare, aliud procedere, non diſſentio, ſed cum nomen ſit conſequens rei, id denominabit actio, à quo procedet, ne ſit denominatio falſa; ſi ergo denominat ſuppoſitum, ab eo fluit actio ſuo modo; fluit autem modo alias explicando, dum de Chriſti impeccabilitate loquemur, quare & ita denominabit. Axioma etiã illud Ariſtotelicum eſſe inficiatur Scotus, vt infra dicam. Sed cuiuſcũq; ſit, labitur Lugo in adductis exemplis de paſſione, *humanitas non generat*, *humanitas non generatur*, nam in ijs non affirmatur paſſio, ſed negatur de natura, neq; vſquam ſic de paſſionibus, vt de actionibus locuti ſunt in eo pronunciato philoſophi; ſi autem contendatur, parem eſſe de actione, & paſſione rationem, quia oppoſitorum eadem eſt ratio. Aio imprimis, non ſumi hic actionem pro reſpectu, cui reſpondet paſſio pro reſpectu, ſed pro materiali, ſiue pro operatione ipſa, cui non neceſſum eſt paſſionem reſpondere, cum ipſa ſit res acta. Rurſum addo etiam in paſſionibus quomodo denominatur ſuppoſitum, eas eſſe ſuppoſitorum, denominatiuè, ſcilicet, quatenus natura nõ eſt ſine ſuppoſito in creatis regulariter. Exemplum quoq; de ſpiratione in filio non concludit; nam præterquam quod illa non eſt vera actio, quæ nulla eſt in diuinis, adhuc dum auctor deberet probare, non præſupponi ad ſpirationẽ actiuam in filio perſonalitatem filij, quod aſſumit probandum, tranſit in probatione dicendo, non prærequiri ad hoc, vt pater ſpiret, filium eſſe iam conſtitutũ; en quo modo ab actiua ſpiratione in filio tranſit ad actiuam ſpirationem in Patre. Adde demum exemplum Lugo de termino generationis deficere, quia formaliter terminare nõ eſt pati, ſicut nec fũdare relationẽ eſt agere.

Adhuc cenſurantur dicta à Lugo.

16 Diſputat de veritate eorum, quæ hactenus decurſa fuerunt à nobis, longo ſermone Scotus *in* 4. *d.* 12. *q.* 3. *lit. Aa.* vbi tandem aſſerere cogitur actiones, vel eſſe ſuppoſiti proprias, vel alicuius habentis modum ſuppoſiti, & de diſtinctione principii quod, & quo *lit. Bb.* concedere tenetur, quodlibet cauſatum habere illa principia duo quoquomodo diſtincta, licet non oporteat in quolibet creato quo agit, & quod agit eſſe diſtincta, quibus videtur ſibi ipſi contrarius; nam ſi neceſſum eſt in quolibet creato principia illa diſtingui; quonam modo non oportet in quolibet creato non diſtingui illa duo? Hæc enim

duo

Scoti loca pugnãtia cõciliãtur

duo asserta pugnant ad inuicem, sed facile vtrumque conciliabis, dicendo negari distinctionem realem solum à Scoto inter illa duo, vt patet in exemplo, quod affert de anima, quæ cum sit forma simplex, & proinde non distincta realiter à suis potentijs, non est aliud quod agit intellectualiter, & quo agit. Adde Scotum ibi non regulariter locutum, sed appositè ad explicandam actionem accidentium in Sacramento altaris, & proinde de re miraculosa locutum.

Rursus probatur assertum

17 Præterea principaliter probatur assertum. Principium meriti non cadit sub merito, sed gratia vnionis fuit radix meritorum Christi, ergo illa non cecidit, nec regulariter cadere potuit sub merito; Maior probatur, nam gratia est principium meriti iuxta explicationem superius factam, quæ gratia si ex meritis fieret, non amplius gratia diceretur; quæ idcirco hoc appellatur vocabulo; quia gratis datur: Adde implicare dari meritum sine gratia præuia in voluntate esset, ergo recursus in infinitum in actibus, nec ad vnum perbenire quis primum posset, quem agnosceret esse meritorium, & non elicitum ex gratia. Minor deducitur ex primo capitulo Euangelij Ioannis, vbi ratio videtur assignari, quare gratia tali donatus fuerit Christus, quia erat Vnigenitus à Patre, hoc est, homo Deo Iunctus, ait enim. *Vidimus gloriam eius quasi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*, & ratione confirmatur, quia gratia non potuit præire vnionem, vt in superioribus exegimus; neque actus igitur meritorius vnionem præit, vel præire potuit; Siquidem actum meritorium sine gratia effingere est meritum sine merito imaginari.

Ioann. 1.

Pars 2. asserti Probatur

18 Altera pars asserti constituens, non esse factam electionem vnionis ex præuisione meritorum, difficilior est; quippeque in abyssum diuinæ prouidentiæ aditum aperire deberet; et tamen aditum intercludit in disputatione Paulus *toto capite 8, & 9. epist. ad Rom.* his præsertim verbis. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Et infra. *Quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Certè Scoti sententia est, antecedenter ad meritorum præuisionem factam fuisse Sanctorum electionem ad gloriam, & ad gratiam; ex qua facile deducere Incarnationis mysterium prius fuisse decretum, quam Christi merita præuiderentur; quandoquidem hoc ipsum mysterium gratia dicitur, immò gratiarum caput, ac princeps, iuxta illud Augustini *lib. 13. de Trinitate cap. 19. In rebus per tempus ortis nulla maior gratia, quam quod homo fieret Deus, Deus homo*. Inde egregiè concludit Scotus *in 4. sent. dist. 2. q. 2. lit. M.* opus hoc fuisse merè gratuitum, neque aliquod ad illud præcessisse meritum etiam in ordinatione diuina: pars hæc igitur asserti ijs persuadetur argumentis, quæ in primo sententiarum ad probandam electionem sanctorum factam ante præuisa merita tulimus, quæ in hunc locum reuocare poteris, si lubet.

Rom. 8. & 9.

August.

Scotus

19 Hanc ipsam asserti partem hic forte scrupulus conturbare posset. Si vera sunt, quæ vera esse in obseruationibus monuimus, ordinem executionis esse ordini electionis contrarium: planè, cum in executione operis prius exhibita hæc vnio fuerit, quam elicita merita, in ordinatione diuina è conuerso sentiendum erit, scilicet, fuisse prius præuisa merita, quam decreta fuerit Incarnatio. Huius tamen scrupuli nodum dirimes, si dixeris prioritatem, vel posterioritatem rerum in opere nihil conferre ad ordinem intentionis, & electionis diuinæ, alioquin, si quæ primo fiunt vltimo essent decreta, vltimus omnium esset prædestinatus Adamus, qui cæteros homines generationis ordine antecessit, esse tamen vltimò electum falsum est, cum ex Scoti doctrina docuerim in primo sententiarum in eodem instanti electos fuisse singulos, de qua re nec vlla etiam vertitur lis inter Scolasticos, dempta electione Christi, quam aliqui priorem faciunt, docente Paulo Christum esse caput, & primogenitum ex fratribus, & dempta Ambrosij Catherini singulari opinione de hac re, cui obicem vniuersa Theologorum Gymnasia posuerunt. Aio igitur propositionem illam. Quæ sunt primo facta, sunt vltimo electa, veram esse in iis, quæ ad inuicem vt effectus, & causa nectuntur, queuè vt finis, & media diriguntur, de quibus verè

Dubitatio orta ex dictis dirimitur

Catherinus

essamut, quæ primo fiunt vltimò decreta; siquidem finis, qui executioni postremo loco mandatur, primo loco statuitur ex decreto artificis, in opere vero media, quæ gratia finis fuere decreta, primo loco exequi necessum est; penes alia autem allata doctrina nec vera est, nec multi facienda.

Assertio 2. contra Caietan. Suarez Bechaük Bonacinā Radam Fabrum.

20 Assero secundo. Neque absolutè potuisse Christum suam vnionem mereri. Hæc assertio maiori difficultate scatet, quę ne dum Aduersarios videtur habere alienæ scolæ Theologos, Suarezium, & Caietanum in principio capitis relatos, sed oppugnatores habet Nostrates, præcipuè Ioannem Radam *tom. 3. contr. controuersia* 12. *art.* 3. *dubio* 1. qui & si *conclus. secunda* arbitratur improbabile, Christum hanc vnionem potuisse mereri, *concl.* 3. nihilominus possibile meritum humanitati Christi ad opus hoc non veretur concedere; Faber autem licet satis in hac re anceps videatur, & dubius *loc. cit.* tandem concludit, quod si oppositum huius asserti concedatur, meritum illud dicendum esset congrui, non condigni. Ego autem simpliciter de quocumque merito eo inficias fieri potuisse, vt Christus vnionem suam mereretur; nec loquor de meritis solum subsequentibus, ad quæ diuertit Faber, sed de præcedentibus etiam, de quibus Rada loquitur. Probo autem assertum de meritis præuijs. Quęcumque fieri repugnantiam inuoluunt, illa fieri per nullam queunt potestatem, sed merita in Christo præire vnionis opus repugnantiam inuoluit; hoc igitur nequit vlla potestate fieri. Maior patet, nam absoluta Dei virtus ad ea se prouehit omnia, quæ fieri absolutè possunt; quæ si nequeunt fieri, ad ea potestas Dei nulla erit, non est enim ad impossibile aliqua potestas; minor probatur, nam contradictoria non possunt simul, ac semel vera esse de eodem, vera autem essent, si concedamus possibilitatem hanc, quam euertimus; subsumptum suadeo, nam dato opposito necessum esset concedere Christum ante vnionem meruisse, & rursum non meruisse ante vnionem; meruisse quidem, vt supponitur; non meruisse verò, quia nullum possumus signare instans, pro quo Christus nō fuerit vnitus, si quod igitur ante vnionē instans effingis; nō loqueris amplius de Christo, qui nō est Christus nisi ex vnione, si ergo potuit mereri ante vnionē potuit mereri antequam esset, quod nō sine risu dicitur, nec sine stomaco creditur. Non obfecit quidē hāc argumētationem Rada, sed ex doctrina eius quispiam responderet, hoc fuisse possibile multis modis. Primo si dicamus in instantibus naturæ hoc potuisse compleri diuersis, vt in primo intelligatur Christi humanitas cum gratia, & merito, in secundo vnita; neque hoc est impossibile, nam in illo primo instanti verè singularis intelligitur illa natura, licet nondum in hypostasi suppositata. Secundo, si dicamus humanitatem illam suppositatam prius in proprio supposito, in quo meruisset, mox ad Verbi subsistentiam pertractam expoliatam propria hypostasi. Tertio si dicamus pertractam primo humanitatem ad existentiam Dei, quam ad subsistentiam. Quarto denique si dicamus habuisse prius natura operationem, quam vnionem; sed hic quartus modus est penitus idem cum primo, singillatim tamen à me relatus, quia singillatim à Rada prostituuntur *conclus. illa tertia*, sed singuli etiam pari facilitate luduntur; qua licentia asseruntur. Primus quidem modus eluditur auctoritate, & ratione, auctoritas est Augustini *lib. 3. de libero arbitrio* dicentis, quod si Deus ab initio fecisset homines in pena, non esset propter hoc vituperandus vt iniustus, sed si ab initio non fecisset hominem in pena, & postea sine suo demerito fecisset in pena esset vituperandus: ex hac auctoritate elicio supponere Augustinum meritum, siue demeritum (est enim vtriusque oppositi ratio eadem) cum pręmio, vel pęna simul & semel in vno instanti esse non posse, quoniam Augustinus ait, in ordine ad demeritum sequi debere pęnam, alioquin Deus si fecisset hominem in pęna vituperandus esset. Alia auctoritas, quoniam cum Scotista altercamur, est Scoti in 2. *dist.* 5. vbi nullam aliam ob causam diuersas moras comminiscitur in actibus meritorijs, vel demeritorijs Angelorum, nisi quia nihil arbitratur

Christum Incarnationem suam non potuisse mereri, probatur.

Responsio quadruplicis medi ex doctrina Radæ.

Primus modus eluditur auctoritate Augustini.

Et Scoti.

tratur impossibilius, quam meritum, & præmium esse in eodem temporis instanti; vnde *q. 1. lit. E.* præcessionem durationis inter illa duo inuexit. Quod si *q. 2. eiusdem dist. lit. A.* docere videatur Scotus potuisse Angelos esse Beatos in primo instanti; hoc ideo dictum possibile puta, quia immediatè potuit beatitudo donari eis à Deo, cuius eorum natura capax erat in illo instanti primo; ad beatitudinem igitur possibilem in primo instanti donum dumtaxat Dei attendit Scotus, non autem voluntatis opus, cuius nullus actus meritorius potest esse in eodem instanti cum suo præmio; cum præmium sit à merito distinctum.

21 Quod si dicas, vtique de Angelorum morulis ita sensisse Scotum, vt dictum est; atqui eumdem in voto fuisse, moras illas compleri per instantia naturæ: Habes doctrinam Scoti in oppositum *dist. 5. q. 1. lit. H.* docentis, tempori nostro diuerso diuersas illas Angelorum morulas respondere. Sed rursum pro se Rada profert Scoti auctoritatem *in 3. sent. dist. 18, lit. G.* vbi docet, satis esse, vt meritum natura præcedat præmium; & proinde colligit Rada, posse primũ modum probabiliter sustineri: Verum hic auctor non percipit, Scotum ita ibi locutum ex aliorum sententia argumentante in oppositum, quorum deinde rationem diluit *eodem loco lit. G. §. ad 2.* per hæc verba. *Ad secundum dico, quod prioritas naturæ potentiæ præcedentis actum non sufficit, &c.* Vide Scotum ibi, & lapsum Radæ dignosces.

Scotus.

Rada confugium Scotus

22 Sed & Ratione refellitur primus modus à Rada excogitatus. Via præcedit terminum tempore, alioquin idem simul, & semel pro vno instanti posset esse in termino, & in via; in quiete, & in motu, quod philosophia rideret: sed qui meretur est in via, qui præmio afficitur est in termino viæ; vt patet ex doctrina Scoti, tum *in 2. dist. 5.* tum *in 3. dist. 18.* ergo mereri, & præmiari in vno, eodemque instanti non bene auditur. Vide Scotum *in 2. sent. dist. 5. q. 1. lit. L. in solut. 1. princip.* vbi per hæc verba docet meritũ, & præmiũ absq; diuersitate morarum esse nõ posse: *Meritum autem istud non potuit esse supposita liberalitate diuina, qua creauit omnes æquales, nisi ad minus duabus moris præcedentibus beatitudinem.* Ex his primus respondendi modus Radæ eneruatur. Et confirmatur; nam Sacramenta, quæ statuuntur morales causæ gratiæ, tunc gratiam causant, quando primo non sunt; sunt enim quasi via ad gratiam, quæ est instar termini; præsente autem termino cessat via, & cessante motu est terminus: eodem igitur pacto antecessio meriti, quod est quasi via ad præmium, ad præmium ipsum dignosci debet.

Scotus in 2. dist. 5. & in 3. d. 18.

23 Secundus autem modus à Rada excogitatus acrius castigatur; quia ille homo, qui humanitatem, vt supponitur, habuisset hypostaticè vnitam suo supposito, fuisset alius à Christo, neque propterea dicendus esset Christus meruisse hanc vnionem: sed alius homo à Christo Christi vnionem, hypotesi admissa, diceretur meruisse, & in appositione huius primi modi Rada non fuit suæ doctrinæ memor; hunc enim modum, quem conclusione secunda reiecerat, approbauit conclusione tertia, nullo supposito, nisi arbitrario fundamento.

2. Rada modus inutilis.

24 Tertius etiam modus corrigitur, scicitando, illa humanitas ad existentiam Deitatis pertracta consideratur ne, vt suppositata dum, meret, an verò vt non dum suppositata, vtique vt non suppositatam considerari dicet Rada; sed contra; implicat intelligere naturam aliquã singularem pro aliquo temporis momẽto, & non suppositatam, quoniam suppositatio sequitur conditionẽ naturæ singularis, vt in disputatione de Personalitate dicebamus, & conuenit per se naturæ creatæ atomæ, mereri autẽm cõuenit per accidens, immediatius autem insunt, quæ per se insunt, quàm quæ per accidens insunt. Quod si dicas, hoc vtique esse verum de potentia ordinata, non autem de absoluta. Contra nos loquimur supposito, quod Deus naturam hominis non destruat; natura igitur hominis in suo esse conseruata nulla virtute potest secus se habere, vt scilicet cõseruetur pro aliqua parte temporis indiuidua, & non in hypostasi. Quod si Deus variaret hominis naturam, non esset amplius homo, sed aliquid aliud.

3. modus exilis.

25 Quartus denique modus vrgetur, vt primus, verbo namque tenus ab illo distat, sed solummodo obseruandum est, *cõfutatur*

Quartus modus

Radam

Radam pro confirmatione eius in hunc modum arguere *art. 3. illius controu. in princ.* Non repugnat meritum esse simul cum præmio; nam si repugnaret, vtique repugnaret ex eo, quod meritum comparatur ad præmium, vt via ad terminum, & vt causa ad effectum; sed ex neutro capite dimanare potest talis repugnantia; ergo &c. non ex primo, quia si via est momentanea potest esse simul cum termino, vt patet in genito, ac generatione, quæ sunt in eodem temporis puncto; neq; ex secundo, quia causa perfecta non agens per motum est simul tẽpore cum suo effectu, qualis est causa voluntas respectu actus meritorij. Verùm hæc ratio friuola est, non enim repugnat solùm ob adductas causas, sed quia non potest mens capere, simul elici actum dignum præmio, & conferri pro eo actu præmium in vno instanti, & præcipuè à Christo, qui pro primo temporis instanti, quo natura fuit atoma, eam sibi vniuit; disceptationis tamen studio ob causas adductas à Rada etiam hoc impossibile arbitramur, & argumento eius nego, non repugnare hoc ex ratione viæ, & causæ; nusquam enim est via simul cum termino, & ad exemplum generationis respondeo, in primis disparem esse rationem de mutationibus instantaneis, & de merito, & præmio, quoniam illæ si viæ sunt, viæ sunt phisicæ: istud verò est via moralis.

Occurritur argumento Radæ

Secundo aio, generationem posse sumi bifariam, vel pro ijs, quæ verè via sunt ad genitũ, vel pro denominante genitũ, primo modo nomine generationis cohonestantur singulæ præuiæ dispositiones in materia ad ortum necessariæ; & hæ quidem non simul fiunt cum genito pro eodem instanti, sed tempore antecedenti ad genitum ponuntur in esse, vt patet ex Phisicis, secundo modo generatio est relatio, & quasi forma denominans genitum, & hæc non est via ad illud; est ergo exemplum, vel ineptum omnino, vel potius ad oppositum. Ad aliud exemplum causæ, quidquid sit de causis phisicis, quæ dum causant causæ sunt; morales alio modo se habent, vt nos expressimus disputatione illa de tempore, quo Sacramenta gratiam causant: dictum namq; fuit causari ab eis gratiam in illo primo instanti, quando non sunt; ratio etiam persuadet in moralibus causas antecedere effectum debere, quia cum intercedat in eis spõsio, ac pactum, dum exhibitæ sunt causæ, pactum & sponsio retributionem largiuntur; vt patet de Rege санciente pactum, se coronam elargiturum egregiè certanti; is planè regium diadema post decertationem egregiam militi imponet, non autem in decertatione actuali; regulariter igitur in moralibus causa præire debet effectum, at nunc vero meritum non est causa phisica præmij, sed moralis dumtaxat.

Generatio bifariam spectatur

26 Sed hoc loco bellula difficultas animum turbat, Scotus *in quol. 1. lit. X.* postulans, quid immediatius conueniat naturæ, qualitas nè, an verò suppositatio? Apertè respondet; quod si suppositum constituatur in esse supposita per aliquod alterius rationis remotius à natura, quam genus qualitatis, immediatius inest naturæ qualitas, quã ratio personæ; quæ doctrina si vt vera aditum sibi in humanam præparet mentem, non est pertimescendum asserere prius actionem meritoriam posse conuenire naturæ atomæ Christi, quam personatæ, & proinde præijsse meritum vnioni, quod negauimus in decursione huius eiusdem capitis, quoniam actio meritoria, siue opus meritorium, vel reducitur ad substantiam, vel collocatur in genere qualitatis, suppositum verò sola negatione completur, atqui negatio posterius quidpiam est quocunque ente tam absoluto, quam relatiuo; cum sit extra lineam entis. Hæc difficultas vrgere maximè debet Fabrum, & alios, qui de Scoti sententia propugnant, suppositum sola negatione compleri, mihi quidem hæc nullum facessit negotiũ, qui in principio harum disputationum pro certo mihi constitui, personam non sola negatione, sed quopiam etiam positiuo, non relatiuo, sed absoluto compleri, propterea argumentatio hæc ad aures Scoti sententiæ huic meæ non refragatur.

Difficultas noua proponitur

Nulla secundum auctoris sententiã

27 Hactenus tum de facto, tum de possibili opinionem meam exposui de meritis antecedentibus vnionem, absolutè negans meruisse, vel potuisse per opera antecedentia mereri Christum vnionem suam, sed quid de meritis vnionem sequen-

An Christus meritis sequentibus mereri Incarnationem potuerit.

quentibus dicendum? Numquid ijs saltem meruerit, vel mereri vnionem suam potuerit Christus? Breuiter in electione diuina asserto primo huic dubitationi pro facultate feci satis; in facto autem constantiue nego hoc factum, vel fieri potuisse. Elicitur ex

August.

Augustino de *Ecclesia Catholica moribus*, hisce verbis. *Nec præmium potest præcedere meritum, & prius homini dari quam dignus, quid enim hoc iniustius, & quid iniustius Deo? non ergo debemus poscere præmium, antequam mereamur accipere.* Hæc Augustinus, ex quibus deducito nihil effingi posse absurdius, quam quod meritum sequi debeat præmiatoriam actionem; neque recursus ad potestatem Dei validus est, quoniam de possibili, non de facto Augustinus loquitur, & propterea Magister sententiarum communiter negligitur in 5. *dist. 2. sent.* asserens Angelos habuisse beatitudinem in principio creationis, & eam nunc per obsequia mereri; cuius opinionem reprehendit etiam Scotus, & triplici rationem euellit. Primo, quia via præcedit terminum. Secundo, quia dispositio est prior forma. Tertio, quia voluntas non simul vult mutabiliter, & immutabiliter, vide Scotū. Ratio huius nostri asserti est eadem, quam supra protulimus, probantes meritum antecedere

Confirmātur dicta

debere actionem præmiatoriam. Nunc breuiter confirmatur. Anticipata solutio non habet rationem præmij; ergo præmium non potest anteire ad meritum, consecutio est euidens; probo antecedens, quia qui antecedenter dat non retribuendo dat, sed potius tribuendo, vt retribuat; hinc in humanis accommodatio, vel mutuum appellatur, quod anticipanter datur; quomodo namque retribuere dici potest anticipatè dare, si retribuere est retro tribuere, hoc est ad executionem retributiuæ iustitiæ aliquid dare? fortè inquies; meritum esse situm in pacto, at Deus pa-

Oppositio.

cisci potest præmium pro futuro opere, quod præuidit, immo ipsi etiam mortales interdum paciscuntur præmium pro futuro, vt patet de Rege impertiente militi denarios, & equum, tan-

Tollitur.

quam præmium futuræ concertationis, & hoc exemplum maxime ex Magistro vigent Recentes oppositæ opinionis propugnatores. Verum hæc obiectio ad ordinem electionis confugit, de qua asserui, prius Christum ad vnionem electum, quam ad merita, quæ ex vnione tanti facta sunt, vt nonnullis visa fuerint formaliter infinita, non igitur ideo Christo Deus vnionem dedit, quia eius merita præuiderat, sed merita illa decreuit, quia vnionem decreuerat, & hunc ordinem in diuinis electionibus constituimus, tum hoc in ipso capite, tum potissimum in *primo sent.* in disputationibus de sanctorum electione, & exemplum allatum Regis semper floccifeci; nō enim Rex in præmiū impertitur militi arma, & equum, sed mutuādo, vel donando impertitur, quod si concertando vicerit miles, donum illud nō incipit esse premium, quia iam donū fuit, & gratis datum; si verò sub conditione datum, hoc pacto, scilicet, dò tibi equum hunc, hæc arma, hæc onera, quibus si victor exstiteris, potieris, sin minus, reddes quod debes. Hæc elargitio non erit præmiatio, sed dono datio conditionata, vel accommodatio ad tempus, quæ incipit esse præmium, si parta victoria redeunti militi cesserint arma, & equus. Hoc igitur posita, quod velis, nusquam in anticipata solutione præmium dignosces. Superest vt de circumstantijs huius mysterij non nihil dicamus.

28\. Assero igitur tertiò, Christum circumstantias præuias, & comitantes mysterium hoc mereri potuisse, & de facto meruisse. Hæc assertio explicanda

Tertium assertum

primum est, mox vero probanda, explicabitur autem dicendo, sensum eius esse ex meritis Christi præuisis, conditiones, ac circumstantias quasdam, tum comites, tum præuias, meruisse, ac mereri

Explanatur assertionis intentio

potuisse Christum, non enim de exhibitis, sed de præuisis meritis loquimur, quoniam de exhibitis pars negans ijsdem argumentis, quibus superiores assertiones induximus, hanc etiam partem facillimè probauimus. Explicatur insuper assertum, cognita conditionum, de quibus loquimur natura; præuias igitur conditiones ad mysterium voco eas, nimirum, quod ex regali progenie Christus ortum duceret, quod ex Vir-

gine intacti sanguinem, ac carnem sumeret, quod Virgo mysterio huic propium præstolata fuerit consensum, quod Angelorum ministerio prædictum Mariæ fuerit, quod vaticinatum à Prophetis, præcantatum à Sibillis, promissum Abrahæ, & Patriarchis; quod Matrem Christus habuerit nulli peccato obnoxiã, ab originali etiam labe immunem, quarum conditionum aliquæ comites sunt, aliquæ præuiæ. Has ergo ex præuisis Christi meritis exhibitas puto. Quod probo, quoniam conditiones istæ in honorem cedunt, & gloriam potius Christi parentum, quam Christi ipsius, & si quæ bona sunt, bona censenda sunt potius parentum, quem Christi, qui dum è Regia progenitus est serie, seriem ipsam regum ortu suo tamquam sigillo regio sigillauit, iuxta vaticinium Iacobi. *Non auferetur sceptrum de Iuda,&c.* non igitur Christo series hæc generis honor fuit, sed propagini Illi Christus honorem tulit, similiter in decus cedit Virginis, quod partum, & integritatem conseruarit, quod fuerit Angelo nunciante destinata Christi mater, quodue ab omni labe immunis; atqui bona parentis, & parentum singula ex Christi præuisis meritis dimanasse, non dubiè sentit Scotus *in 3. dist.* 18. dum de Christi merito disserit, quod si præfata omnia in honorem etiã Christi cedere velis. Age, sin ego tecum dissentio; neque tu dissenties ad honorem, & exaltationem nominis Christi ea vertere dumtaxat, adque accidentariam aliquam gloriam, essentialem nãque nec meruit, nec mereri potuit, vt suo loco dicemus, sed accidentariam Christi gloriam sub merito cadere docemur ex epistola ad Hebr. *cap. 2. Vidimus Iesum per passionem eius gloria, & honore coronatum*, & nominis exaltationẽ cecidisse sub meritò docemur à Paulo ad Philippenses, *propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, &c.* quibus dilucidè constat reddi causam exaltationis nominis eius ex morte, nam particula, *propter quod*, est redditiua causæ. Quatenus autem præfatæ conditiones in commodum cessere Christi parentum, de nonnullis est apertum ecclesiæ testimonium in collecta de conceptione Virginis, sub his Verbis. *Vt sicut ex morte filij sui præuisa eam ab omni labe præseruasti, &c.* ex Christi igitur passione præuisa interclusus est originali peccato aditus in Virginem, tu hoc idem pari coniectura asserto de conditionibus alijs, siue præuijs, siue comitibus huius mysterij. Adde conditiones præfatas nullam necessariam cum ipso mysterio habitudinem, ac necessitudinem habere, poterat enim carnem Christus sumere, & non ex Virgine, & non ex Regibus, & non vaticinatam, nunciatam, promissam Patriarchis, Angelis, Prophetis, quoniam hæc beneficia nullo nexu necessario Vnionem circumstant, sed voluntariò dumtaxat, quare non est æquo modo philosophandum de mysterio, & conditionibus, possunt hæ igitur cecidisse sub merito, quamuis non ceciderit illud.

Asserti probatio.

Gen. 49.

Scotus in 3. d. 18.

Heb. 2.

Philipp.

Ecclesia in collecta quadam in off. fratrũ minorum

29 Sed quid de conditionibus affectis huius operis, nempe de adoratione pastorum, oblatione Regum, Angelorum concinentium hilaritate, miraculorum frequentia, & similibus? Constantius assero eas sub Christi merito cecidisse, ne dum præuiso, sed exhibito, ex quo enim, vt Paulus monet, exaltatio Christi nominis, & accidentarius Christi honor sub merito cecidit, cum hæc omnia & nomini Christi exaltationem, & Christo accidentarium decus ingerant, rectissimè asseri possunt sub Christi merito cecidisse, ne dum præuiso, sed exhibito, si vera est assertio Scolastica mereri Christum in Conceptionis instanti potuisse. Hactenus in re, cuius possibilitatem ostendimus, dum factum persuasione monstrauimus. Cæterum cum omnia ex Dei pendeant arbitrio, exactior doctrina superfluit. Nunc, vt aliquando capiti finem appingamus, oppositæ opinionum aduersatum fundamenta dituere necessum est.

Dubit. de conditionibus sequelis mysterij.

30 Photini errorem, quem in principio capitis adduximus, fidei decreta castigant, vnde Conc. Ephes. 1. *Can.* 13. non aliam ob causam retur Deum natum ex Virgine, nisi quia in eius Conceptione Deus hominis carni fuit vnitus, quod decernit etiam sexta Synodus *act.* 11. & secunda Synodus *act.* 3. & Patres passim in hunc sensum verba illa Angeli, Lucæ 1, referentes, *quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* Qua de re vide

Occurritur obiectis.

Racen-

Recentes 3. p. S. *Thoma* q. 6. ex quibus deducito, sin minus Christus præextitit homo antequam vnio facta fuerit, nec iure concedi posse vnionem suam Christum promeruisse. Origenis errorem de animarum præcessione, vt ad præsens attinet, refellit S. Leo Papa *epist.* 11. docens præcessionē hanc à Catholicis mentibus, & auribus nō tolerari. Adde, quod cū Origenes ex illa præcessione nusquā intulerit Christi animum ante vnionem corpori meruisse; error ipsius non ad hunc locum, sed alio referendus est.

Leo Papa Origenē corrigit

31 Testimonium ab Arianis à scriptura depromptum aliquid roboris prima fronte præ se demonstrat, estque eiusdem generis, ac illud, quod ex Apocalipsi Ioan. *cap.* 8. asseritur, *dignus est agnus, qui occisus est accipere diuinitatem*: vbi particula, *qui*, videtur esse causalis, posita loco, *quia*, sicuti paulo ante dicitur *eodem in lib. & cap. dignus est agnus, accipere librum, & soluere signacula eius, quia occisus est*, diligenter igitur diluetur: & certè tanta est Patrum in eius expositione diuersitas, vt multiplicitate sententiarum mentem non leuiter perturbent. Ambrosius Ansbertus in primis tanti præcitatas tum *psalmi*, tum *Apocal.* auctoritates vrgentes fecit; vt earum fronte conuictus non dubiè concesserit Christi humanitatem vnionem suam cum Verbo meruisse; cuius sententia ex hoc capite eluditur. Patres igitur antiquiores inprimis ita locum psalmi interpretantur, Augustinus *in enarratione psalmi* 44. locum illum interpretatur in hunc modum, *dilexisti Iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit, &c.* idest, *idcirco te Deus vnione hac admirabili donauit, Vt iustitiā diligeres, & odio haberes iniquitatem.* Vnde sensus illorum verborū debet esse diuisus in hunc modum. *Tu quidem dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, ad hoc enim te Deus oleo exaltationis vnxit*, ita vt particula illa, *propterea*, quæ suaptè natura est redditiua causæ, sit quidem redditiua causæ finalis, non autem meritoriæ. Hanc expositionem postmodum reliqui Patres videntur amplexi, sed idem Augustinus *lib.* 2. *de Incarnatione Verbi* alio modo præfatam auctoritatem interpretatus, particulam illam, *propterea* videtur ad causam meritoriam reuocare, sunt autem Augustini verba, *sed et Vnus spiritus esse cum Christo cui magis conuenit, quam huic animæ, quæ se ita Deo per dilectionem iunxit, vt cum ipso Deo vnus spiritus dicatur, dicente propheta dilexisti iustitiam, &c. dilectionis ergo merito vngitur oleo lætitiæ.* Hæc Augustinus superiori expositioni toto cælo diuersus. Athanasius *oratione secunda contra Arianos*, alio modo locum illum interpretatus est, ait enim, *non est sensus ideo vnxit te, vt Deus fieres, sed potius propterea quia Deus es, vnctus es.* Hæc Athanasius, vnctionē referens ad largitionem gratiæ habitualis potius, quam ad gratiam vnionis. Hilarius *lib.* 11. *de Trinitate*, cui sese subscribunt Recentes cum Rada *loco cit.* locum præcitatum de declaratione externa interpretatur, vt sit sensus. *Quia dilexisti iustitiā, & iniquitatē odio habuisti, propterea te Deus declarauit Messiā, siue te iam Christū vnctum in principio Conceptionis illucescere fecit mundo.* Qui expositionis modus frequentissimus est in scripturis, vnde in Genesi Angelus alloquens Dei nomine Abrahamum, *nunc*, inquit, *cognoui, quod diligas Dominum*, idest, nunc cognoscere feci te diligere Dominum. Ambrosius *in cap.* 1. *epist. ad Hebreos*, particulam *propterea* referens ad causam meritoriam, vnctionis olei nomine non vnionem hanc nostram intellexit, sed oleum lætitiæ exhilarans conscientiam. Hieronymus etiam in expositione prædicti psal. & olei lætitiæ nomine resurrectionem intellexit, regnandique potestatem, qua Christus ex meritis delibutus est, qui post resurrectionem dixit, *data est mihi omnis potestas, &c.* quā ex merito habuisse docuit Paulus ad Philip. *propter quod Deus exaltauit illum, &c.* Hæc effantur pro testimonij illius intellectu Patres, quorum placitis non audeo obuius ire, ne os ponere in cælum videar. Quæcunq; igitur ex præcitatis expositio quadrare videatur magis, sat factum est Ariano homini satis; nam pro Arianis præcitatum elogium adduximus. Vnum hoc monuerim, testimonium illud à Paulo videri in epistola ad Hebreos *cap.* 1. ad vnctionem diuinitatis referri; idcircò quæcunq; sententia illud ad hanc vnionem reuocans probetur tutior esse videbitur.

Apocal. 8 locus difficilis

Ansberti interpretatio vana

August. in psal. 44

Aug. lib. 2. de Incarnatione Verbi

Athanasij glosa

Hilarij sensus approbatus à Rada

Ambrosius

Hyeron.

Matth. vltimo

Quid sentiat auctor

Heb. 1.

32 Horum psalmi verborum interpreta-

Opinio Ioannis Lorini in expositione psalm. 44.

tionem fusè omnium nouissimè prosequitur Lorinus; vbi etiam hanc petitionem diluit, vtrum meruerit Christus Incarnationem, negatiuè loquendo de facto; verum de possibili tetur Deum potuisse velle conferre humanitati gratiam hypostaticæ vnionis, non absolutè, sed tamquam sub conditione, & dependentia quadam à futuris operibus, vt in præmium eorum, conuictus exemplo illo Regis, quod supra ex Recentioribus retulimus, & refutauimus. De facto autem negans Christum suam Incarnationem meruisse verba psalmi interpretatur de causa finali, non de meritoria, vt sit sensus, *Propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ, vt diligeres iustitiam, & odio haberes iniquitatem*; ita vt verba illa construat, siue sint Dei Patris ad Filium, vt putat Valentia, siue Prophetæ Dauidis ad Christum, vt probabilius putant alij, in hunc modum; *Tu Christe Rex Iustitiam dilexisti, & odisti iniquitatem, nec sine causa, quoniam ad id te Deus vnxit oleo exultationis præ participibus tuis*; idest super homines, & Angelos: sed in interpretatione hac, vt vides, Augustinum est secutus hic auctor, cuius placitum paulò ante retulimus, quod adamussim insecutus erat Caietanus in paraphrasi ad illum psalmi versiculum, & Titelmannus, & Bellarminus, ipse tamen Augustinus, vt supra dixi huic interpretationi refragatus est; immo eodem *lib. 2. de Incarnatione Verbi*, ante verba citata habet Augustinus *Hac vero anima, quæ in Christo fuit priusquam sciret malum elegit bonum, & quia dilexit iustitiam, & odio habuit iniquitatem, propterea vnxit illam Deus oleo lætitiæ, &c.* Quibus apertè de causa meritoria loqui videtur. Vt hæc Augustini pugnantia, quæ videntur loca concilies afferas, *in psalmorum enarratione* Augustinum sequi illorum opinionem, qui vnctionem olei ad hypostaticam vnionem referunt; *in lib. autem 2. cit.* vnctionem ad plenitudinem gratiæ retulisse; vnde idem Augustinus concludit ibi, *Vngi namque oleo lætitiæ non aliud intelligatur, nisi Spiritu sancto repleri*. Hæc ille. Vbi fusè de anima Christi impeccabilitate eloquitur; quamuis, & hæc etiam interpretatio difficultate pari prematur; quia nec vnionem, nec habitum gratiæ habuit Christus ex

Valentia

Caietan. Titelmannus Bellarminus.

Augustini loca conciliantur

meritis; aut est igitur ad manifestationem diuertendum cum Hilario, aut subscribendum est priori Augustini interpretationi de causa finali. Certè Lorinus in assertione possibilitatis labitur; nam nos an Christus potuerit mereri vnionem petimus, is verò affirmans ait Deum potuisse velle Christo vnionem cum quadam quasi dependentia à meritis, in quo quis non videt effugium? Non inficior alio modo potuisse velle electionem Deum; at hoc modo voluisse, vt, scilicet, antecedenter ad merita præuisa decreuerit vnionem hypostaticam ostendi, qua volitione supposita, nec sine fundamento, asserui Christum mereri vnionem non potuisse in opere, & etiam in electione; ex quo constitui nullius electionem factam ex præuisione meritorum, sed ex Deo miserente, ac volente iuxta Pauli placitum *Roman. 9.* Exemplum autem à Lorino adductum toties hucusque neglectum est.

Confectarium ex dictis

33 Ad locum autem *Apocal. 5.* adhuc variæ responsiones occurrunt. Quidam nomine digni non veram intelligi volunt meriti rationē, sed naturale quoddam debitum, ac congruentiam; sed isti dum à merito declinant merito occurrunt; et si meritum negligunt condigni meritum inueniunt congrui, nos tamen in hoc ipso capite vtriusque meriti rationē à Christo adhuc opus euellimus. Alij nomen digni ad meritum rectiori mente reducentes sentiunt auctoritatis eius sanum esse intellectum in hanc formam, *Dignus est Agnus accipere diuinitatem, &c.* idest, *Dignus laudari, & adorari, vt Deum, quia occisus est.* Quadrare videtur hæc expositio auctoritati Pauli *ad Philip. 2.* qui propterea exaltatum Christi nomen, & genuflexione adorandum putat, quia factus est obediens vsque ad mortem, sed repugnat auctoritati Ioannis, verba illa referentis, qui Ioannes aliud quidpiam ab adoratione vt Deum his verbis inuexit, quoniam honorationem, & cultum, de quo loquimur, subsequentibus subnexuit verbis aiens, *Dignus est agnus accipere virtutem, diuinitatem, sapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam, & benedictionem.* Hæc ille, qui diuinitatis nomine quidpiam ab honore distinctum, vt patet, inuexit. Alii cum Suarezio, & Rada, tan-

Loci Apocal. interpretationes variæ

Suarezij. ac. Rada responsũ ex Lyrano, & Ruperto inane

imitantes Liranum, & Rupertum Abbatem. acceptionis vocabulo manifestatione intelligunt, vt fiat prædictorum verborum sensus. *Dignus est Agnus, vt cognoscatur virtute, deitate, sapientia, &c. præditus, quoniam occisus est*, & isti quidem faciliori se se negotio à difficultatum tramite seducunt, sed nescio, quo sensu veritatem sinceram Ioannis verborum attingant, qui collaudantium Angelorum Deum vocem illam ait, non autem homines monentium: arbitror igitur si qua meę opinioni restat loci particula, locum illum in primis non rectè intelligi, dum ex occisione Christi meritum putatur ea auctoritate induci, quo Agnus ille dicatur bonorum illorum dignus, nimirum virtutis, sapientiæ, deitatis, &c. quoniam nulla in eo testimonio habetur particula redditiua causæ, verba namque sunt; *dignus est Agnus, qui occisus est*, non autem habetur ibi, *dignus est Agnus, quia occisus est*, latum autem est inter vtramq; assertionem discrimen, quoniam assertio prima est explicatiua subiecti, de quo loquimur, cum particula, *qui* sit relatiua, altera vero assertio est redditiua causæ, cuius inditium est particula, *quia* Voluntariè igitur locus ille ad redditionem causæ, quam nullam tangit, deflectitur.

Responsio propria

Secunda responsio

Secundo aio, vocem illam esse Angelorum omnium in meritum accepti beneficij ab agno, quia enim librum aperuerat, & signacula soluerat, quæ soluere nemo poterat in cęlo, & in terra, meritus est, vt singula bona ei accepta referentur, bona autem singula nomine illorum donorum expræsserunt Angeli nempe Virtutis, diuinitatis, sapientiæ, &c. quæ accepta illi soli referunt, à quo solo peculiare soluti libri beneficium dimanasse cognouerant.

Tertia

Tertio aio, diuinitatis vocabulo non deitatem ipsam, & naturam Dei intelligi, sed quidpiam magni nominis inexplicabile, quomodo nos etiam diuos vocamus Cæsares, diui nomine neque Deum, neque Sanctos intelligentes, sed Heroes, vt fortè sic sensus, *diuinitatis*, idest *virtutis Heroicæ*, cuius rei non leue est indicium, quod cũ in ea auctoritate sermo sit de virtutibus præcipuis; è quarum numero recensetur *sapientia, virtus, fortitudo*, deque virtutum præmijs, quæ sunt, *honor, benedictio & gloria*, nescio quam partem debuit diuinitas, nisi pro virtute sumeretur, inter præfata omnia sibi vendicare, eo potissimum, quod non primo loco Diuinitas Ponitur, quo tamen sine controuersia collocanda fuisset; si diuinam significasset beatam naturam. Coniecturam denique meam fouet Græca lectio, quæ pro Deitate, siue pro diuinitate diuitias posuit, quidpiam ergo intellexerunt cælestes illi citharedi vocabulo deitatis ab ipsa deitate diuersum, siue illud diuitias esse velis cum Græco contextu, siue cum nostra interpretatione virtutẽ Heroicam. Quod si de iis identidem petas, at quonammodo accepisse ea dignus fuit Christus, qui dona non ex meritis habuit, sed ex gratia. Respondeo nomen digni nõ esse ad Christi meritum referendum, sed ad vnionem; vt sit sensus; *idcirco dignus est sapientia, virtute, &c. quia vnctus est*, quæ responsio optimè quadrat asserto Ioannis *cap. 1. Vidimus gloriam eius, &c.* vbi idcirco plenum ait Christum gratia, gloria, veritate, &c. quia verè fuit vnigenitus à Patre. *Ioan. 1.*

34 Hactenus longiori fortasse, quam par erat, orationis decursu præcitata testimonia interpretati sumus, nec sine consilio, quoniam ea eadem, quæ ansam videbantur Hereticis alias sentiendi præbere, ansam præbuisse videntur Catholicis, possibilitatem inducendi meriti Christi adhoc opus: aio autem hęc ansam dedisse, non ex seipsis, quæ sacra sunt, & summa veneratione sustinenda, sed ex prauo interpretantium sensu, qui quãdoque ex cerebro auctoritates metiuntur, & non secundum sapientiam, & spiritum. Supersisunt rationes aliquæ, tum secundam, tum tertiam assertionem nostram conturbantes, sed quia hæ facilè diluuntur ex ea, quam vniuerso hoc capite doctrinam eradidimus, ne longiorem contexamus disceptationem, hisce auctoritatibus solutis, hanc sigillamus;

AN BEATISSIMA VIRGO Inhumanationem Verbi meruerit, quoue merito, ſimiliter petitur de Patribus antiquæ legis.

CAP. II.

35 Ex decurſis ſuperiori capite facile deduces capitis huius euidentiorem coniecturam, quoniam ſi inhumanationis myſterium inter res
in tempore ortas, Magiſtro Auguſtino,
Auguſt. principem gratiarum obtinet locum,
non eſt cur vereamur aſſerere ad eam
nullum Virginem Deiparam condigni
meritum habuiſſe. Cauendi ſunt autem
in hoc capite auctores illi, qui difficultatem propoſitam ventilantes ita eam
cum alia diſceptatione, an Virgo meruerit eſſe Dei Mater commiſcent, vt
vnam pro alia vſurpent, vel indiſcriminatim de altera, ac de altera effantur,
vt patet apud Bonacinam *diſp. 2. de In-*
Bonacina *carnat. q. 12. puncto 5. §. 1. num. 13.* cum
tamen latum ſit inter vtramque diſcrimen, ſiquidem maternitas ſita eſt in
generatione, ac portatione filij, inhumanatio in terminatione depẽdentię humanæ naturæ ad Verbum. Iam vero poſtulatio præſens multa poteſt habere
capita, & in primis cum meritum ſit
duplex ex dictis, alterum condigni, cui
de iuſtitia debetur retributio, alterum
congrui, quod ita leue eſt, vt nulla iuſtitia debita ſit retributio, ſed ſolum
congruitate quadam, propoſita difficultas de merito vtroq; exigenda eſt. Rurſum cum Incarnatio nedum ipſum opus
ſed, & quas circumſtantias vocant, inuoluat, de ijs pariter peti poteſt, an eas
Virgo meruerit, quoue meritò, ſunt
autem circumſtantiæ ipſæ, acceleratio
operis, deſcenſus è Regia ſtirpe, aliæq;
id genus, quarum alibi meminiſſe me-
memini.

36 His igitur vtcumq; delibatis aſſerere
verendum non eſt, Deiparã Virginẽ nullo condigni merito Verbi inhumanati-
Aſſertio onem meruiſſe. Aſſertum hoc nullibi
prima expreſsè Scotus tradidit, quemadmodũ
nullibi propoſitam dubitationem proſe-
Scotus. quitur, elicitur tamen ex eius doctrina
in 4. diſt. 2. q. 1. lit. M. cuius verba inferius
referemus. Aſſertum nihilominus com-
muni ſententia firmatur à Scolaſticis, *Aſſertio*
ijſque firmatur auctoritatibus ſanctorũ, *probatur*
quæ myſterium hoc in ſolam Dei
largientis pietatem deuoluunt; quod
enim gratis ſimpliciter datur, non
retribuendo datur. Suaderturque
communi illo effato, quo ſtatuitur
meriti principium ſub merito non
cadere, porrò certum eſt Verbi inhumanationem principium, & cauſam extitiſſe meritorum Virginis, quia per Chriſtum omnia ex Paulo, quare ſuſtineri
nullo quit modo, Virginem Incarnationem, quæ ſui meriti principium fuit, meruiſſe. Sed nec mereri potuiſſe dixerim
non ſolum ordinata poteſtate, quæ leges à Deo conſtitutas reſpicit, ſed nec
abſoluta: & de ordinata quidem res facilis eſt; ſi enim conſtituit Deus Chriſtum principium meriti Virginis, planè
nulla ordinata potentia fieri potuit, vt
Virgo principium ſui meriti meruerit;
quonam enim merito, ſi meriti vis in
eo eſt ſita, vt ſit actus à voluntate informata charitate prodiens acceptandus ad retributionem, ſi gratia omnis
per Chriſtum?

37 De abſoluta vero poteſtate aſſertio
noſtra difficultatem patitur; ſiquidem *Medina,*
quamplures Recentes Medinæ ſecta- *quid ſen-*
tores *3. p. q. 2. art. 12. concl. 1.* ſimpliciter *tiat*
fatentur de poteſtate abſoluta nedum Virginem, ſed purum quemuis hominem
de condigno Incarnationem Verbi mereri potuiſſe. Sed, & iſti gratis effantur
nulli fundamento innixi, vt patet apud *Reprehen-*
Medinam, & noſter ſenſus oſtenditur, *ditur.*
nam, quę fieri ſimpliciter nequeunt, nulla quęunt pòteſtate fieri, non eſt ſiquidem ad impoſſibilium poteſtas: at Virginem mereri filij Incarnationem ſimpliciter fieri nequit, quare nulla poteſtate fieri poteſt. Minor probatur; patet enim maior ex terminis; nam, quæ
contradicunt ſibi contradictoriè, vera
effici nulla poteſtate poſſunt; nequit
enim vlla poteſtate fieri, vt ego ſim homo, & non ſim homo, negatione cadẽte
in Verbum, vt logici norunt, id tamen
in caſu eueniret, ſi quis concederet potuiſſe abſoluta Dei poteſtate Virginem
filij Incarnationem mereri, ſiquidem
Incarnatio, quæ fuit omnis meriti origo, & fons, non fuiſſet ſimul, ac ſemel

origo, & fons meriti, sed meriti præmium. Aies, hypotesi concessa, non futuram fuisse Incarnationem meriti principium, sed mutaturum Deum ordines. Non sumus in casu; absolutam hic enim Dei potestatem ad casum hunc solum attendimus, non vero constituto, quod Deus alios voluisset præscribere rerum ordines, qua hypotesi potuisset etiam Virginem sibi vnire, & alio modo Incarnationis opus perficere: at hic postulamus, an supposito Incarnationis modo exhibito vlla potestate opus hoc ipsum mereri Virgo potuerit, & negando respondemus.

Bonacina & aliorū fundamentum leue. 38 Martinus Bonacina Suarezij *disput.* 10. *sect.* 5. Tanneri, & aliorum Recentium opinionem secutus alio medio hanc impossibilitatem rimatur; quia meritum puræ creaturæ finitum est, & inferioris ordinis; atqui Incarnatio superioris est ordinis, & infiniti valoris. Argumentatio tamen hæc leuis est ponderis; cum Incarnatio formaliter nihil infinitatis habeat; est enim formaliter relatio humanæ naturæ sustentatæ ad Verbum sustentans, quæ vtique finita est in subiecto finito; hæc enim sola est effectus actiuæ vnitionis à tota Trinitate manātis. Habes egregium Scoti locum *in* 4. *dist.* 11. *q.* 2. *in solutione primi argumenti*, quo facile doceris opinionem nostram in superioribus traditam, nimirum relationem solam vnionis esse operis huius totalem terminum.

Secundū assertum 39 Assero secundo, nec merito congrui Virginem Deiparam Incarnationem Verbi meruisse. Hæc assertio pugnat contra omnes ferè Scholasticos, & præcipuè contra Medinam 3.*p.q.*2. *art.* 12. Suarezium *disp.* 10. *citata*, Bonacinam *disp.*2.*q.*12. Cæterosque Thomistas, & eliciturex Scoto in 4. *sent. dist.*2.*q.*1.*lit.M* per hæc verba. *Posset dici, quod in operi-* *Scoti verba in 4. dist. 2. q.1.* *bus Dei non fuit aliquod opus merè gratia, nisi sola Incarnatio Filij Dei, & hoc si ad illam nulla merita præcesserunt*, & infra, *si tempore Conceptionis præcesserunt aliqua merita Mariæ, tamen non erant bona absolutè respectu Incarnationis, sed fortè accelerationis, &c.* Hæc ibi Scotus; è quibus elice, merita Virginis nullum ordinem habuisse ad hoc opus; sed, si quem habuerunt, habuisse ad circumstantias, de quibus infra: ne autem putes locutum Scotum de solo condigni merito; habes suprema Scoti verba sensum eius declarantia, hoc opus fuisse merè gratuitum, vbi obserua illud aduerbium *merè*, quo haud dubiè indicare voluit Scotus nullum meritum siue condigni, siue congrui habitudinem ad hoc opus habuisse. Hanc assertionem eamdem sequitur Gabriel *in* 3. *dist.* 4. *q.* 1. *lit.* K. nec *Biel* distat admodum Vasquez *disp.*22.*cap.*4. *Vasquez* *num.*38. & Ioannes à Lugo *disp.*8.*sect.*4. *Lugo*

40 Hoc assertum ijsdem persuadetur argumentis, quibus meritum condigni ad Incarnationem in Virgine inficiabamur; siquidem pariformiter concludūt; vnde sola meriti ratione spectata sic licebit arguere. Meritum nequit esse *Meritum* meritum, si retributionem demas; hinc *congrui* merito condigni retributio debetur ex *ad Incar* iustitia, merito congrui ex congrui- *nationem* tate, at nulla congruitate debitor erat *negatur* Deus hoc mysterium actionibus Vir- *in Virgi-* ginis retribuere, ergo nec vllo congrui *ne* merito illud Virgo à Deo poposcit; immò ex sola Dei miserentis munificētia eadem exclamar id factum in Cantico, *& misericordia eius à progenie, &c.* *Cant.Ma* quod etiam ante cecinerat Zacharias in *riæ, &* Cantico, *per viscera misericordiæ Dei no-* *Zacch.* *stri, &c.* Minor probatur, quia hoc ipsum mysterium operum singulorum Virginis origo fuit, ex præuisione enim Christi mortis omnia Virginis bona euenerunt incipientia à primo Conceptionis instanti, iuxta illud Ecclesiæ, *Qui ex morte filij sui præuisa eam ab omni labe præseruauit*, nullum igitur opus meritorium Virgo elicuit nisi in virtute illius gratiæ, quæ ei data fuerat per Christum, Christi ergo ipsius aduentus sub Virginis quocumque merito non cecidit.

Adde, electionem Christi antecedenter ad aliorum electionem factam *Alia probatio.* (quamuis enim in vno, eodemq; signo electi fuerint prædestinati omnes, nobiliori quodam tamen, excellentiorique ordine prius dicitur prædestinatus Christus, quam Virgo, & cæteri iuxta Scoticam præcipuè sententiam) quare nulla ad Christi aduentum Virginis meritorum connexio. Quod si dicas, non vtique in electione, sed in executione: at, inquam, executio electioni respondet, ne quid dicas executioni mandatum, quod non intentum, quod falsum est; si autem

fi autem velis in electione vtique prius electum Chriftum, mox Virginem, & per eius merita Chriftum: Hunc ordinem apud nullos, quos viderim nancifceris Theologos, qui ex Paulo habent, electos nos in ipfo, & per ipfum, hoc eft, per eius merita, non autem ipfum per merita aliorum electorum, alioquin nec effet primogenitus electorum, neque caput Ecclefiæ.

Appēdix

Huic etiam affertо Appendicem contexere non dubitarim, conftituentem, nec fieri potuiffe ordinata poteftate, vt congrui merito id mereretur Virgo, fiquidem ex dictis patet nullam connexionem iuxta conftituras à Deo regulas verti inter meritum quodcumque, & inhumanationē Verbi, quæ opus mere gratuitū nūcupatur, hæc autē poteftas conftitutarum à Deo regularum ordinem non excedit. Idque conftituendum videtur omnino in fententia Scoti ftatuentis, Chriftum præuifum venturum ante cuiufque hominis peccatum, vel gratiam, mox vero prædefinitum vēturum in carne mortali præuifo peccato, ex vi igitur illius decreti aduenifſet Chriftus præfcindendo à quocunque aliorum merito, & ex vi alterius decreti aduenifſet, vt planè aduenit aliorum meritorum caufa, & fons gratiarum; ex ipfius enim paffione, ac merito præuifo gratiæ fluxerunt in Patres, & in Beatam Virginem: quare regulariter nullo potuit modo fieri, vt cum Chrifti aduentu Virginis merita nexum haberent condigni, vel congrui, quę debuerunt è cōtra ex aduentu Chrifti pendere.

Nec absolutè de congruo id mereri potuit Virgo

Numquid autem abfoluta faltem poteftate mereri de congruo id Virgo potuiffet (loquimur autem hucufque de ipfa Incarnationis fubftantia) maiorem habet difficultatem: fortaffe tamen negare non erit abfurdum, fi Dei poteftatem accipiamus præfuppofito illo electionis ordine à Scoto conftituto; in fenfu namque compofito implicat intelligere, Chrifti Incarnationem opus fuiffe mere gratuitum; & Beatam Virginem potuiffe Incarnationem Chrifti aliquo merito mereri; quemadmodum in fenfu compofito implicat damnatum poffe faluari, in fenfu verò diuifo, & abfolutiffi nam, vt ita dicam, Dei poteftatem fpectando, fecus dicendum eft. Vide, quæ diximus de prædeftinatione.

Affertiõ tertium

41 Affero tertio; Quod nec de condigno, nec de congruo antiquæ legis Patres hoc opus meruerunt, fed nec mereri potuerunt. Conftitueram feiuncto capite de Patrum merito effari; at quoniam difficultates ifię morales mutuo fe comitantur, huc breuiter peritiunem fusè ab alijs inductam redegimus. Affertio multiplici parte confita eft, vt patet, & qua parte conftituit Patres nullū habuiffe de condigno meritum ad hoc opus, propugnatores habet Scolafticos ferè fingulos; an autem mereri Patres de condigno potuerint; non pauci dubitant: qua demum parte conftituit, de congruo nec id Patres meruiffe, nec mereri potuiffe; oppugnatores habet ferè omnes.

Suadetur

Mihi tamen in vniuerfum dilucidè videtur affertio ex fuperiori doctrina elici. Quandoquidem non plus tribuendum eft antiquis Patribus, quã Virgini, cuius gratia conferri cum aliorum gratia (excipe Chriftum) non potuit, quare nec meritum, fi igitur Virginis meritum non eo fe tulit, vt de condigno, aut de congruo meruerit, aut mereri Incarnationem potuerit, multo minus validum fuiffe cenfendum eft antiquorum Patrum meritum ex logicorum pronunciato, *fi de quo magis in effe videtur, & non ineft, ergo nec de quo minus*, & confirmatur ijsdem rationibus omnibus, quæ tam pro prima, quam pro fecunda affertione ferebamus, quarum fingulæ huic parti fauent:

Suadetur fecundo

& confirmatur infuper: quia caufa ab effectu, nec pendet, nec pendere poteft, fed è contra, vt patet apud philofophos, at qui Chrifti inhumanatio caufa fuit electionis, & meritorum Patrum, ergo nullo modo à Patrum electione, ac meritis pependit, aut pendere potuit.

Tollitur inftātia

Aies, vtique in electione, at non in executione. Contra executio intentioni non eft contraria, alioquin Decretum Dei fallax effet; folummodo ordo intentionis, & executionis contrarius eft in his, quæ fe habēt, vt medium, & vt finis ita vt in intentione præcedat finis, in executione medium, quod non habet locum in re noftra, nam nec Chrifti Incarnatio eft finis meritorum, nec merita funt Incarnationis media, quare fi in electione Chriftus fuit aliorum caufa electionis, & pariter in executione: porrò

Chri-

Christum electionis nostræ, ac sanctorum Patrum fuisse causam edocuit Paulus *elegit nos in ipso, & per ipsum*, idest, *in ipso* exemplariter, *per ipsum* meritoriè iuxta doctrinam S. Bonauenturæ *in 3. d. 18.* Hactenus de Incarnationis substantia; qua in re vt simpliciter à Diuina voluntate pendente effari prolibito probabiliter licet, asseuerare, ac admodum philosophari non licet; nullam experimento, ac naturalibus scientijs ad rem nostram ostensiuam rationem præstolantibus.

S. Bonau.

42 Sed quid de Incarnationis circumstantiis? Enimuero illæ quamplures sunt; personarum videlicet, loci, & temporis, puta, quod ex semine Abrahę, & Dauidis, ad quos facta est de Christo promissio; ad Abraham quidem, *Benedicentur in semine tuo omnes gentes Gen. 22.* Ad Dauidem autem, *de fructu Ventris tui ponam super sedem tuam psal. 131.* quod in Nazareth: quod eo anno, & mense, & die: & hæ quidem antecedentes, vel comites esse dicuntur ad opus ipsum: similiter quod ex Virgine: deinde, quod nasceretur in Præsepio: proclamaretur ab Angelis: dona darentur ei à Regibus, & similes, quæ sequelæ dicuntur. Et in primis de Virgine simpliciter tenent omnes quasdam circumstantias meruisse, nimirum accelerationis, & hanc præuiam, & adorationis, & tributi, & similes, & has sequelas: de Patribus etiam vniuersa Theologorum schola conclamat, eos circumstantias quasdam huius operis meruisse, nimirum, quod ex eorum genere nasceretur Christus, quod tali loco conciperetur, & tempore; ita Thomistæ omnes *in 3. p. q. 2. art. 11.* vbi Recentiores, Suarez *disput. 10. sect. 6.* Vasquez *disp. 22. cap. 4,* & *disp. 23. cap. 5.* Bonacina *loco supracitato de Incarnatione*, & alij omnes; & videtur assentire Scotus noster *in 4. loco pluries supra citato*, dum ait, *non fuisse bona absolute respectu Incarnationis, sed fortè accelerationis, vt impleretur illa Incarnatio praeordinata, &c.* Hæc ibi Scotus: sed ineptè satis pro Patribus adducitur, qui de sola Virgine loquebatur: immò nec affirmanter locutum ibi Scotum, argumento sunt hæc eius præcedentia verba. *Posset dici, quod in Vniuersis operibus, &c.* Quo plane loquendi genere indicat, se non ex sua, sed ex aliorum sententia loquutum: insuper addidit particulam dubitatiuam *fortè*, ne quid putaretur affirmasse, si ex propria diceretur opinione scripsisse.

Gen. 22.

Psal. 131

Suarez
Vasquez
Bonacina
Scotus.

Exponitur Scoti locus.

43 Ego autem, quamquam asserere non vereor, Sanctos Patres meruisse primã illam circumstantiam; quod ex semine Abrahæ ortum Christus duceret, & hoc merito congrui dumtaxat; quia nulla iustitia tenebatur hoc illis retribuere Deus, vt de condigno meruisse dicerentur; quamquam, inquam, id asserere non vereor ob dilucidas sacræ scripturæ promissiones. *Quia obedisti Voci meæ*, Gen. 22. *benedicentur in te omnes gentes*, & psal. 131. *propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui*; quæ non facilè nisi extorquendo aliam pati interpretationem possunt; è contra tamen asserere vereor meritos fuisse Patres circumstantias loci, & temporis. Et in primis, quod meriti fuerint, vel saltem meruisti potuerint originem Christi ex semine Abrahæ, & Dauidis, ita intelligo, vt putem in diuina electione prius quidẽ electum fuisse Christum ad gloriam, gratiam, & ad vnionem, postmodum decretum Seruatorem Mundi independenter à quocunque aliorum merito, iuxta illud Pauli ad Titum, *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos &c*: & rursũ, *apparuit gratia Saluatoris nostri, &c.* deinde constitutum descensurum à stirpe Dauidis; & aliqua Dauidis, & Abrahę præuisa merita, quorum intuitu, non quidem primario, sed quasi secundario decreuerit Deus originem Christi trahendam ex eorum genere; & hæc quidem positio non incongrua videtur, vt veritas effari sacræ scripturæ feratur; eoque id magis; quo hæc originis tractio nullam habet cum Incarnatione habitudinem; siue enim ex Dauide, siue ex alio originem Saluator noster duxisset, humana redemptio suum habuisset locum, factaque fuisset humanæ naturæ dependentis sustentatio à Verbo, in qua formaliter sita est Incarnatio, sicuti finaliter in Redemptione mundi.

Opinio auctoris.

Gen. 22.
psal. 131

Epist. ad Titum.

44 De duabus alijs circumstantiis; nulla necessitate, aut auctoritate conuincor asserere Sanctos Patres loci, ac temporis circumstantias meruisse. Et in primis de Nazareth Galileæ vico, quę

Ciui-

Ciuitatem Lucas appellat, hanc meriti præstantiam non colligo, qui è contra doceor Ioan. 1. tã vili factam Nazareth, vt in prouerbium verteretur, *a Nazareth potest nè aliquid boni esse*, quod ibi reperijt Nathanael vir à Christo commendatus, *hic est verè Israelita, in quo dolus non est*, Porrò Nazareth ignobilem Galileæ fuisse pagum, aut vicum, habes apud Bedam *in epitome de locis sanctis* librum Adumnani præsbiteri, & Arcuulphi Galliarum Episcopi commentariũ, quorum singuli præstant Nazareth vicum fuisse sine muris, ac propugnaculis; nec refert Nazareos apud veteres in pretio fuisse; quia ij nõ erant Deo dicati, quia à Nazareth; sed quia floridi; seu quasi flores inter alios electi; vel quia ab alijs separati, & sanctificati, vtrumque, scilicet, significatum Nazareth patitur: nec etiam refert Nazareth Ciuitatem à Luca appellatam; quia Ciuitatis nomen pro pagis etiam adduci consueuit; quemadmodum, & in Gallijs pagi vocabulo, seu villæ Ciuitates etiam appellantur; nisi fortè mauis asserere, Ciuitatem fuisse nuncupatam in Virginis primo ibi Conceptæ, mox in Incarnationis Verbi ibidem factæ gratiam. Ex his colligo nullam comminisci nos posse rationem, & causam, ob quam dicamus Patrum merito Christum patriam habuisse Nazareth. Sed nec meruisse Patres tempus Incarnationis Verbi patet; quia nedũ ab æterno Deus primo elegit Christum ad gloriam, & ad hypostaticam vnionem; sed etiam tempus prædefiniuit operis, iuxta illud Pauli ad Galatas 4. *Vsque ad præfinitum tempus à Patre*, & ibidem: *At vbi venit plenitudo temporis, &c.* Vnde Augustinus *tom. 4. lib. quæst. ex nouo testamento quæst. 83.* Quæsitus, cur non antea Christus incarnatus est, respondet. *In potestate dantis est quando, vel quantum velit misereri*; sumptoque exemplo Medici, qui tarditate argui non potest, si officium suum gratis impendit post pauca subdidit. *Idcirco tunc venit, quando debuit venire voluntatis suæ rationem sequutus, non meritorum nostrorum*. Hæc Augustinus, quibus nihil dilucidius, patentius nihil. Nec valet meriti nomen in hac Augustini sententia ad solum condigni meritũ detorquere;

Ioan. 1.

Quid Nazareth declaratur.

Adumnanus præsbit.

Arcuulphus Episcopus

Gal. 4.

August.

quia is simpliciter, & absolutè aduentus Christi in carne tempus in diuinam potestatem, ac voluntatem redegit.

45 Absolutè igitur reor, nec Virginem Dei parentem, nec sanctos Patres temporis circumstantiam, siue accelerationem, quam vocant, meruisse de congruo, aut mereri potuisse; de condigno enim difficultas dubio caret. Sustinet hanc ipsam sententiam Ioannes à Lugo de Patribus quidem *disp. 8. sect. 4.* de Virgine verò oppositum videtur sentire *sect. 5.* ab re tamen, cum omnium eadem sit ratio, & Augustinus genericè loquatur, vt patet, eãdem etiam innuunt Lorca *disp. 22. de Incarnatione*, & Salmeronus *disp. 29. in 4. caput ad Galatas*. An etiam meruerint, quod ex Virgine nasceretur: Habes in Isaia responsum *cap. 7. Ecce Dominus dabit ipse vobis signum, ecce Virgo concipiet, &c.* Vbi habes perijsse Isaiam, vt Rex Acab signum peteret, quod petere renuente Rege, subdit prophetes; *ecce Dominus &c.* quasi diceret, etsi nulla de hoc petitio fiat, ex se Deus dabit hoc signum, vt Virgo concipiat, non ex vestra petitione, ac merito.

Ioannis à Lugo Opinio Carpitur

Lorca

Salmeronus.

Isaia. 7.

46 Hactenus de circumstantijs præuijs, & comitibus; de sequelis vero Patrum meritum aliquod, & Virginis Deiparæ si ponas, non tot implicaberis difficultatum ambagibus; attamen illæ peracto iam Incarnationis mysterio euenerunt; & proinde sicut Christi ad eas meritum admittimus, Virginis etiam dispositionem admittere non implicat. Nunc aliorum argumenta cribremus.

47 Assertionis primæ oppositum probatur ex doctrina Medinæ. Potuit Deus merita hominum ordinare ad opus Incarnationis, ergo & homines illud mereri potuerunt. Respondeo mutato ordine rerum vtique potuisse, constituto non potuisse; at nos in huius capitis decursione monstrauimus potestatem Dei absolutam in hoc opere constitutos ordines non excedere; itaut potentiam absolutam non absolutè sumamus, sed prout quasi ad hoc opus contractam.

Occurritur argumentis Medinæ.

48 Oppositum secundi asserti suadet Bonacina auctoritate, & ratione. Auctoritas est Ecclesiæ passim canentis dignitatem Virginis ad hoc opus, vnde canit

Ad Bonacinam

Regina:

Ecclesia in off. natiuit.

Regina tali latare, quia quem meruisti portare, & rursum in quodam responsorio. *Beata Virgo, cuius viscera meruerunt portare Dominum Christum*, & rursum. *Quæ sola meruit portare Regem Cælorum, & Dominum*. Ratio est multiplex, quæ pariter de Patribus concludere ab ipso putatur. Sed rationes expendentur infra; auctoritates etiam adductę ad rem non faciunt, quæ non de Incarnationis mysterio, sed de Virginis maternitate effantur; porrò pat de vtraque difficultate iudicium ferre, non est rectè sapere; nunquid autem verè Beata Maria Maternitatem Dei meruerit, discutiendum est infra.

Argumentum Bonacinæ

Psal. 105
Psal. 84.
Isaia 55. & 64.

49 Assertionis tertiæ oppositum probat Bonacina ex Diuo Thoma; quia congruum fuit, vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant, & aliquid postulabant; at Sancti Patres obediebant Deo, & Verbi inhumanationem postulabant, vnde psal. 105. *Visita nos in salutari tuo*. Et psal. 84. *Salutare tuum da nobis*. Et Isaiæ 55. *Rorate Cœli desuper*. Et rursum 64. *Vtinam disrumperes Cælos, & descenderes*. Aliaque id genus scriptura habet; ergo congruum fuit exaudiri à Deo.

Solutio 1.

Respondeo, in primis nec sanctos Patres postulasse ipsum Incarnationis mysterium, quod ex fide futurum certò credebant, sed accelerationem, siue non retardationem postulasse, neque tamen obid meruisse circumstantias temporis, quia & constituto à Deo tempore Christum credebant esse venturum; non enim diuinum decretum, aut humanis precibus irritari, aut mutari posse fides docet; sed ita exorasse, vt necessitatem Redemptionis humanæ ante Dei oculos, vt ita dicam, assiduò recolerent, ardensque suum ad hoc opus desiderium monstrarent.

Solutio 2

Posset dici secundo, quamuis preces, ac desideria Patrum in actu primo congrui fuissent valoris ad merendum Incarnationis circumstantias, non tamen fuisse in actu secundo. Responsionem declaro. Quamquam Sanctorum Patrum opera congrui erant meriti, vt acceleraretur diuinus aduentus; non tamen propterea verè illum in actu secundo meruerunt Patres; quoniam Deus non ex ijs ad cito veniendum se disposuit, sed ex suæ voluntatis libertate aduenit, quando voluit: hinc vera meriti ratio nulla in actu secundo, deficiente diuina acceptatione, quæ rationem meriti complet, vt fusè alibi diximus, dum de ipsa meriti quidditate disceptaremus.

Auctoritates in oppositum.
Psal. 11.
Daniel. 9
Lucæ 2.
Bernard. super missus est.

50 Accelerationem mysterij huius meruisse Patres edocent nonnulla scripturarum elogia; vnde psal. 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus*. Et apud Danielem. *Septuaginta hebdomades abbreuiatę sunt super populum meum*, & alibi. *Verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram*. Et rursum Lucæ 2. *Responsum acceperat Simeon à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini*. His adde Patres, & præcipuè Bernardum de Virgine loquentem *super missus est*, eamque hortantem, vt consensum Angelo præbeat, *Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat, ex tuo ore pendet consolatio miserorum, &c. Salus vniuersorum filiorum Adam, &c.* Nec dissimiliter effantur reliqui Patres gratiarum actiones reddentes Virgini, per quam salus humano generi apparuit, de quibus longam contexunt Recentiores seriem.

Allatæ auctoritates declarantur.

Hisce tamen, & consimilibus auctoritatibus ex dictis facilè occurres. Primæ quidem, nentiquam ex ea deduci miseriam inopum, & gemitum pauperum meruisse Christi aduentus accelerationem, vel substantiam; sed verè Christum aduenisse, & tunc aduenisse, quando sibi placuit ad tollendam pauperum miseriam, ac gemitum. Danielis auctoritas alium à proposito sensum patitur; nam abbreuiatio in ea non pro acceleratione, sed pro completione sumitur, vt sit sensus. *Septuaginta supersunt hebdomadæ, &c.* Insuper cum Paulus ait, Verbum fuisse abbreuiatum, intelligitur de modo non de tempore Incarnationis, quo Deus Filium suum infinitum sub finitis conclusit terminis, & hæc abbreuiatio non ob aliorum preces, aut merita, sed à Deo facta est, vt Paulus ait.

51 Nec Lucæ 2. locus officit; quia verbis ijs potius dilationem mortis Simeonis habemus, quam accelerationem Christi aduentus; nullaque apud Lucam meritorum, aut pro dilatione mortis Simeonis; aut pro Christi aduentus celeritate mentio, nisi voluntaria au-

ctorum eam adducentium, Bernardi auctoritas ad rem non facit; is enim oratoria munere functus huiuscemodi verba pro orationis commiscuit ornatu; ad quid namque deprecatio illa habito tot sæculis ante Virginis consensu? sique nomine vniuersi humani generis tunc temporis, cum Angelus Mariam inuisit, loquutus est Bernardus, puta loquutum ob restaurationem ab humano genere expectatam; quam ex Virgine deprecabatur populus gentiũ; quamuis, & si aliam Christus selegisset Matrem, adhuc futura fuisset Incarnatio.

Declaratur verba Bernardi

AN VIRGO VERA DEI MATER fuerit.

CAP. III.

52 Occasione ex superiori capite præstita, quoniam Recentes idem ferunt de Incarnatione, & Maternitate Virginis iudicium, vt insequenti capite dignoscamus: An Virgo Dei Maternitatem meruerit; necessum fuit difficultatem præsentem ad hunc locum redigere; mutato paululum Scolasticorum ordine; qua in re non esset cur vereremur, docente fide, Virginem verè Dei Matrem extitisse, iuxta illud Angeli nunciantis promissum. *Concipies in vtero, & paries filium.* Lucæ 1. & Matthæi 1. & illud Isaiæ vaticinium supra relatum. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Nec enim aliud quidquam ad Maternitatis rationem complendam exposcitur, quam concipere, & parere, vnde Damascenus à Scoto in 3. dist. 4. q. 1. lit. A. citatus; *Dei*, inquit, *Genitricem verè Sanctam Mariam prædicamus, &c.* Nisi de modo, quo Virgo Dei Mater extitisse potuit, grandem Scolastici còcertationem agerent.

Luca 1.

Damasceni verba ex Scoto.

53 Vt autem eam dilucidè simul, ac breuiter enodemus, recolimus hoc loco Scoticam esse de corporis humani organizatione doctrinam, quam præstolatur nobis in 3. dist. 2. q. 3. per totam; vberiorem de hac re doctrinam supponendo ex phisicis. Organizatio igitur humani corporis trifariam potest intelligi, siue spectari; primo pro vltima introductione formæ disponentis immediatè ad animam intellectiuam, & hæc acceptio est secundum sententiam Henrici, vt referunt Margiristæ Scoti; secundo pro inductione animæ intellectiuæ; & hæc acceptio est secundum mentem Thomistarum, negligentium aliam substantialem formam in composito ab anima rationali diuersam; putant enim animam esse formam, qua formaliter corpus est organicum. Tertio sumi potest organizatio pro transmutatione præcedente istam vltimam inductionem formæ organicæ disponentis ad formam intellectiuam: & hæc acceptio est propriè de mente Scotistarũ ponentium præter formam animæ intellectiuæ in humano composito formã corporis, quam corporeitatis, & organicam formam appellant Scotistæ. Vt hæc vltima organizationis acceptio faciliori captu teneatur, obseruandum est, vltimam illam inductionem organicæ formæ præcedi à duabus transmutationibus, quarum altera est motus localis, quo semen, seu sanguis, seu quæcunque alia statuatur materia defertur ad locum generationi aptum; altera transmutatio est alteratio ipsius prædictæ materiæ in loco illo, quæ per illam alterationem disponitur ad formam corporeitatis; & ita si partes etherogeneæ, siue dissimilares corporis specie ad inuicem differrent; quemadmodum aliqui probabiliter opinantur in phisicis, multas deberemus ponere transmutationes, seu alterationes; quia sicut quælibet pars dissimilaris haberet poneretur substantialem formam quidditatiuam, ita ad quamlibet deberet esse transmutatio, generatio, & alteratio; nimirum ad embrionem, ad cor, ad cerebrum, & sic de alijs; nec omnes istæ generationes essent simul, sed altera alteram præcederet, essetque altera dispositio ad alteram.

Organizatio trifariam sumitur.

Forma corporeitatis qua

54 Hæc sunt, quæ dè corporis humani organizatione docet nos ibi Scotus ex naturali philosophia, & ex Medicis; ex quibus colligendum est quomodo, & quando fiat infusio animi, ad hoc vt generationem Filij Dei in Materno Virginis vtero percipere possimus; certum est enim in re nostra, quod Incarnatio tempore

pore animationem subsequuta non est, sed in eodem instanti temporis facta est animatio, & humanæ naturæ ad Verbum assumptio; si enim animatio præcessisset alterum, vel alterum sequeretur incommodum, nempe, vel quod natura illa pro aliquo temporis momento fuisset animata, & non suppositata; vel quod fuisset in illo primo instanti suppositata in proprio supposito, quorum vtrumque falsum est; primum quidem, quoniam implicat intelligere corpus animatum, & non suppositatum; eo enim ipso quo animatum est, subsistens est, & persona; alterum vero falsum esse patet, quia Christus naturã atomam assumpsit non personam: & cursum ex eo sequeretur Virginem Deiparam non Dei, sed puri hominis fuisse parentem; siquidem eius actio vniuersa terminata fuisset ad illum hominem purum, quem deinde Deus Verbum sibi vniuisset, quod est hæreticum.

Animatio non præcessit tempore suppositationem

55 Distinctiones igitur præfatas organizationis metientes dicimus, quod si organizatio sumatur primo modo, vt eam sumebat Enricus *quolibeto 3.q.6.* pro inductione scilicet formæ disponentis ad animam rationalem, illa tempore animationem non præcedit, sed natura solum; si enim præcederet Virgo non fuisset vera Mater Christi, nedum Dei; quod probatur, quia Virgo hoc sensu non generasset hominem: Cuius enim tota actio completur prius tempore, quam sit homo, ille hominem non generat; sed si organizatio tempore præcederet animationem compleretur Virginis actio prius tempore, quam esset homo, ergo non generaret Virgo hominem. Minor patet, quia animatio est à Deo, non à Matre, vel à Patre; ad hanc igitur nullam habente Virgine auctoritatem, iam actio sua organizationis corporis tempore antecedenti completa fuisset. Si sumatur organizatio pro inductione animæ intellectiuæ; ad hoc vt Virgo vera dicatur Mater Christi, dicendũ est inductionẽ formarũ substantialiũ partialium in eodem simul temporis momento fuisse; alioquin si vna pars prior tempore, quam alia fuerit, illa præfuisset in supposito dum assumebatur à Verbo, quod falsum est. Si organizatio sumatur tertio modo, scilicet, pro motu locali materiæ ad generationem apte ad locum generationi destinatum, & pro alteratione materiæ in illo loco: duplex esse potest sentiendi modus; alter, quod motus ille localis, & alteratio materiæ præcesserint tempore generationem totius, vel generationem partium; alter vero, quod totum completum sit in instanti: secundum primum modum Mariam cooperatam esse ad motus illos non est dubium; & fortè dicetur infra: secundum alterum verò nullos admittitur ibi motus locales, & nulla mutatio cum successione, sed omnia fuere completa in illo instanti, quo suum Virgo præbuit consensum; antea quod nulla actio specialis spectans ad hoc mysterium consideratur in hoc opere.

Enrici sensus de organizatione

56 Hactenus pro crassa quadam, rudique minerua ad captum præcipuè dicendorum. Nunc ad quæsitum principale redeundum est, quia in re tam est certum fide, quod Virgo vera fuerit Dei Mater, quam incertum est apud Scolasticos, quo modo illa Mater fuerit, an videlicet actiuè concurrens ad filij generationem, an vero alio modo. Vniuersa autem difficultas ex philosophorum valuis videtur egressa. Aristoteles enim tã *libro de animalibus 15. cap. 26.* quam *in lib. 1. de generatione animalium cap. 19.* vniuersam actiuã in generatione hominis virtutem ad marem redegit, passiuam dumtaxat rationem in fœminis nactus: quocirca virtutem paterni ad generandum seminis æquat artifici, materiam autem à Matre ministratam comparat ligno, è quo artifex scamnum facit: quod est dictum mulieris sanguinem, ac semen habere dumtaxat rationem materiæ, non autem actiui principij, quoniam materia, & efficiens non coincidunt. Ex hoc Aristotelico principio ansam arripuere celeberrima Scolasticorum capita cum Diuo Thoma *3. p. q. 32. art. vltimo*, asserendi Beatissimam Virginem nihil actiuè gessisse in generatione filij; quemadmodũ & reliquæ Matres habent sese in conceptu filiorum merè passiuè. E contra Scotus *in 3. distin. 4. q. 1.* mulieres quasuis in filij Conceptione actiuè se habere tradidit. Sancti Thomæ placitum

Aristotelis loca.

S. Thom.

Scotus.

Caietan. Medina Scotus, Gabriel

imitantur ſinguli ex eius familia cum Caietano, & Medina; Scotum uerò ſequūtur Gabriel,& Scotiſtæ, & mordicus hanc Scoti ſententiam per plura capita contra Ariſtotelem, nedum veterū Medicorum, nempe Galeni, Hyppocratis, & aliorum locis infra citandis, ſed etiam Recentiorum auctoritate Valleſij *lib. 2. cont. cap. 6.* & Ludonici Mercati *lib. 1. p. 4. de partibus claſſ. 1. art. 3.* Ioannes Baptiſta Poza probat in ſuo elucid. Deiparæ dānato *lib. 2. tract. 5. cap. 4. & ſequentibus*, addens (quod mirum eſt) Virginē in filij conceptu Matripatrem, ſeu Patrimatrem debere dici, ex quo effectiuè in prole gignenda præſtitit; quod Matres aliæ, ac Patres præſtant.

Valleſius Mercatus Poza

57 Inſuper hac difficultate ſuppoſita controuerſum eſt, Quid Matres pro generatione filiorum præſtant, ſanguinemnè, an ſemen, an vtrumque, & an Virgo alterum horum, an vero vtrumque concefferit? quamuis etiam ſemen ipſum ſanguis dici queat, quoniam vt Medici docent, etiam ex Ariſtotele 2. *de anima tex. 47.* ſanguis perfectè decoctus ſemen parit: is enim eſt ordo in generatione ſanguinis, & ſeminis, vt cibus in ore dicatur ad concoctionem diſponi, quamuis vulgò feratur, quod prima digeſtio eſt in ore, quod ita verum eſſe intelligitur, quatenus contritio illa, quam maſticationem dicimus cibi, proximè cibum ad concoctionem diſponit; cum vera concoctio virtute caloris naturalis incipiat in ſtomaco, è quo eiectus in ventriculum cibus in chilum vertitur, vbi alia coctio; inde ad iecor, vbi tertia; poſtrema ad partes alendas, vbi in alien ſubſtantiam vertitur: quoties autem quid ſuperfluit ſanguinis, gignitur ſemen; quare, & ſemen ipſum quoquomodo ſanguis dici poteſt; poſita autem aliqua inter vtrumque differentia, in dubitationem vertitur, quod dimus. S. Thomas *3. p. q. 3. art. 5. ſoluendo tertium* patenter ait, fœminę ſemen non eſſe generationi aptum, nec requiri neceſſariò ad conceptum, affertque locum Ariſtotelis *lib. de generatione animalium*, proindeque multò magis concedere tenetur, ſanguinem à Virgine ad filij conceptum, non autem ſemen fuiſſe accommodatum; cuius ſententiam explicantes Thomiſtæ cum Medina *articulo illo*

Sāguinis, & ſeminis ortus, ac diuerſitas.

S. Thom.

Ariſtot.

oppoſitam tentur eſſe, non quidem hæreticam, ſed periculoſam, ac valdè temerariam. Et Bonacina *diſp. 1. q. 4. punct. 3.* Ad euellendam neceſſitatem muliebris ſeminis in generatione adducit Galenum *lib. 1 de Sanit. tuenda cap. 1.* Hallucinatur tamen, quia ne verbum quidem ibi de hac re Galenus; immo *cap. 2.* neceſſitatem muliebris ſeminis inuexit. Adducit Bonacina Auicennā *lib. 9. de animalibus*. Sed Auicenna contrarium docuerat *lib. 1. fen 3. cap. ſingulari dictionis 3. lit. B. & lib. 3. fen. 2. tract. 4. cap. 1. lit. etiam B.* hos ergo auctores nec à limine Bonacina ſalutauit. Nihilominus contrarium docuit Richardus in 3. *diſt. 4. art. 2.* nec diſtat admodum S. Bonauentura *ibi art. 3. q. 1.* Alij verò cum Scotiſtis, quos ſequitur Suarez *diſp. 10. ſect. 2.* & ſanguinem, & ſemen Beatiſſimam Virginem ſubminiſtraſſe probabiliter tentur.

Medina cenſura.

Galenus, & Auicenna malè citātur

Opinio Ricardi, & S. Bonauent.

58 Altera lis maxima agitur inter Theologos, quomodo Virgo coegerit Spiritui Sancto principali agenti, an in tēpore per plures motus, an in inſtanti? nō enim vna idem ſentiunt omnes, vt ex dicendis patebit.

59 Vt in hac tanta dubiorum, ac dubitantium varietate tutiori, ac clariori procedamus indagine, obſeruandum primo, quod ſiue Mater ſuſtineatur paſſiuè dumtaxat ſe habere ad generationem filij, vt tenebatur Sanctus Thomas; ſiue actiuè, vt putant alij: certè nulli debet eſſe dubium accommodari à Matre materiam aliquam ad generandum aptam; alioquin vera mater eſſe non poſſet; ad rationem namque maternitatis quatuor ponuntur ab aliquibus Doctoribus, nimirum materiei ad corpus efformandum miniſtratio, concurſus ad productionem formę vltimo eductæ ex poteſtate materiæ, conſeruatio prolis in vtero, & eiuſdem nutritio, & augmentatio, quorum primum, idque præcipuum deſideraretur, ſi nihil materiæ ad prolem gignendam Mater accōmodaret: ſola diuerſitas in hac varia opinantium ſerie eſt; quia opinio negans Matrem ſe habere actiuè aſſerere tenetur à Matre vniuerſam miniſtrari materiam, à Patre verò miniſtrari vtique ſemen, non tamquam fętus materiam, ſed vt principium actuans mulieris ſangui-

Conditiones ad maternitatē expetita

guinem, vel semen, ad hoc vt fiat aptum generationis principium. Altera vero opinio constituens, & Matrem se actiuè gerere in generatione, seu conceptu fœtus, asserere debet ex vtroq; haberi, materiam parente; maiorem quidem ex Matre, at minus actiuam, forte ob defectum caloris, vel aliarum qualitatum; minorem autem ex Patre, sed actiuam magis: nusquam enim dubitatum fuit Patrem principalius, ac perfectius operari, quam mater operetur.

Obseruatio notabilis

60 Secūdo obserua, vulgi non sapientum esse illud effatum; quo dicitur mulier ad fœtum accommodare sanguinem menstruum, ex eo capite, quod deficiat menstruus sanguis in muliere prægnante; quasi verò sanguis ille vniuersus ad fœtus Conceptionem conspirarit; quod si hoc apud Medicos constituatur vt verum, nos vt verius hoc loco statuimus contra Abulensem *q. 52. super primum caput Matth.* Christum nequaquam ex mēstruo sanguine generatum; qui enim fieri, ac dici potest ex eo sanguine genitus Christus, qui ex purissimis Virginis sanguinibus conceptus affirmatur ab Ecclesia, & Sanctis Patribus? numquid purissimus dicendus est sanguis menstruus, qui suopte ingenio, vt imperfectus, & ad corruptionem tendens, à natura emittitur?

Abulensis refutatur

61 Vt verissimum etiam constituimus, sanguinem menstruum (quod optimè notauit Faber, & Suarez, *in disp. 12. cap. 1.*) bifariam posse spectari: vno modo pro sanguine ipso, ex quo gignitur fœtus, qui causatiuè, ac principiatiuè quodammodo menstruus dicitur; quatenus, scilicet, ex eo partes defecatæ seliguntur, & emittuntur, vt ad prolem inceptæ; alio modo formaliter pro ipsomet purgamento sanguinis illius puri, quod fœminæ statutis temporibus, vt superfluum, & vitium naturæ emittunt; & priori quidem significatō ex menstruo sanguine ē fœtum concipi, nec implicat, nec dedecet; posteriori autem & falsum est, & indignum asserere hominem gigni, Christum præcipuè, de quo ita effantur Patres, & Concilia, vt è purissimis Virginis sanguinibus dicatur genitus.

Sanguis menstruus bifariā sumitur

62 Tertio Obserua, hæc vt minimum ad corporis humani structuram in Matris vtero necessariò exquiri, quorum aliqua in expositione tituli huius capitis expressimus. Primū est localis motus, seu sanguinis, seu seminis, quo id, vel is fertur à suo loco in locum ad concipiendum destinatum, puta ad vterum: secundum est figuratio corporis generādi; sicut enim generandum corpus multiplicem debet constitutiuam habere corporis partem, nimirum caput, cor, pedes, & alia, ita materia illa sanguinis, vel seminis diuersas obire figuras debet, quæ figuratio nequit sine alio motu fieri, estque tertium expetitum ad generationem corporis, scilicet, condensatio, qua demum condensatione materiæ, & figuratione partium habita introducitur forma corporis organici; siue illa anima rationalis sit tantum, vt putant Thomistæ nullam aliam agnoscentes substantialem formam in humano composito præter animam; siue sit forma corporis, quam Scotistæ corporeitatis formam appellant; & insuper, siue sit vna tantum totius, ac partium substantialis forma, siue vniuscuiusque partis partialis etiam statuatur substantialis forma; non curo ad præsens; quoniam hæc est disputatio phisica penitus, neque in hunc locum sine vitio redigenda, vbi ea, quæ diximus, vt præaccepta ex philosophia naturali statuimus. De ijs autem, quæ ad generationem humani corporis coire diximus, tria prima illa, nimirum materiæ collectio, figuratio, & condensatio in nobis regulariter successiuè fiunt in tempore, vt Medici aiunt, dierum quadraginta spatio, quo corpus ad eam redigitur quantitatem, vt animari queat: ad hanc etiam structuram redactam dicēdum est Christi corpusculum, dum animatum, & assumptum est; non enim, vt diximus, prius tempore animatum, quam assumptum. Quod si dicat Ecclesia, *Animatum corpus sumens, &c.* ex quibus videtur elici prius animatum Christi corpus, quam assumptum: prioritatem temporis rideas ob rationes illas, quas supra attulimus; sed, si quam prioritatem nouetis, prioritatem naturæ pariaris solum.

Quot, qui ne motus ad structuram nostri corporis expetantur

An fiant in tempore.

Eccles. in off. Circumcis.

63 An autem motus illi sanguinis ad vterum, figurationis, & condensationis materiæ, quoa organizationem corporis nuncu-

nuncupant alij, ſucceſſiuo temporis decurſu in Christi corporis ſtructura facti fuerint, an vero in inſtanti; digladiantur Scolaſtici, apud quos in confeſſo eſt, & ſi tempore præceſſerunt ij motus in hoc opere, certè non tanto tempore fuiſſe completos, ſicut in formatione alterius humani corporis, superueniente videlicet diuini ſpiritus adiutorio, qui breuiori temporis interuallo Chriſti Corpuſculum è Virginis materia formaſſet. *S.Thom.* S. Thomas 3. *p.q.* 33. *art.* 1. primum motum localem materiæ ad vterum factum in tempore putat, reliquos duos in inſtanti, ſcilicet, condenſationem, ac figurationem. *Suarez* Suarez *diſp.* 11. *ſect.* 2. opinionem aſſerentem motus illos in tempore factos, & ſi non hereticam, temerariā ſaltem diiudicandam eſſe, & erroneam contendit, quippe quæ diſſona eſt Sanctorum Patrum aſſertis conclamantibus iſtud myſterium in vltimo verborum Virginis prolationis inſtanti completum. *Scotus.* Scotus vtrumque dicendi modum probabilem tetur; & quod potuerint motus illi in tempore fieri, & quod in inſtanti: & ſecundum vtrumque modum probat Virginē potuiſſe cooperari Spiritui Sancto, vt videre eſt apud eum *d.4.q.p.* Recentiores cum *Tannerus* Tannero *diſp.2.tom.2.q.2.num.* 22. & Bonacina *diſp.1.q.4.puncto 3.num.* *Bonacina* 8. id factum totum putant non in inſtanti Mathematico, & indiuiſibili, ſed in inſtanti phyſico, & morali, ſeu in breuiſſimo temporis interuallo; quoniam, inquiūt ipſi, tranſmiſſio ſanguinis ad vterum, & alij motus vt ſic fieri non poſſunt in inſtanti Phyſico, tamen diuina virtute fieri poſſunt breuiſſimo, & imperceptibili tēpore. *Bonacina ſibi contradicit* In hac tamen ſententia pugnantia habes, amice lector; putant enim primo id non factum in inſtāti indiuiſibili, ſed Phiſico: quaſi verò inſtās tēporis Phiſici eſſet diuiſibile. Secundo aiunt id factum in inſtanti phiſico, & morali: quaſi vero Phiſicum, & morale non ſint toto cælo diuerſa. Demum ratio, quam ferunt, eſt ad oppoſitum, ſi enim nequeunt, vt ipſi aſſunūt, motus illi fieri in inſtanti phiſico, quomodo audent aſſerere factos in inſtanti phiſico? an fieri, aut factum impoſſibile tentur?

64 Hac ego in re nihil temere pro mea ſententia aſſeuerare auſim, ſicuti neq; quid temere auſus eſt diffinire Scotus; cum enim vtrumque fieri potuerit, vtrum factum fuerit, Deus ipſe nouit, qui fecit; nulli enim de modo hoc facta eſt reuelatio, nullum adeſt Conciliorum, aut Eccleſiæ decretum. Neque Patres vni magis, quam alteri parti fauent, quia & ſi eorum plerique ad inſtantaneam actionem opus hoc referant, ij planè morali modo, ac humano quaſi ſenſu loquuntur, vt celeritatem diuinæ operationis probent. Certè, ſi ſtandum eſſet experimento, ac rationi; experimento (inquam) in alijs, ac rationi conuincenti motus locales non poſſe fieri in inſtanti, quippequi menſurantur, ac durant tempore: *Auctoris opinio* conſtito in aliorum generatione intercapedinem temporis eſſe, motuſque illos ſanguinis, ſeu ſeminis è proprio loco ad vterum eſſe locales; dicendum videtur non omnes actiones illas in inſtanti peractas; nimirum ſeminis, ſiue ſanguinis collectionem; tranſfuſionem ad uterum, condenſationem, configurationem, & alias.

65 Noui equidem diuina virtute omnia fieri potuiſſe in inſtanti, quæ non eſt tēporum ſucceſſioni alligata: at è contra confiteor miraculorum multiplicitatem eſſe vitandam, ſi quod fieri miraculosè ſtatuitur, naturaliter fieri poteſt; cum non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate. Porrò quid impedit, ſi dicamus motus illos ſucceſſiuo, ſed breuiſſimo temporis interuallo factos, & in vltimo inſtanti organizationis totius, quo facta eſt animatio, Verbum noſtram ſibi ſumpſiſſe naturam? Certè corpus illud nuſquam ſecundū hunc dicendi modum capitur perfectum fuiſſe ſub illis motibus, ſed in fieri ſemper; quo autem inſtanti perfectum fuit, animatum fuit, Deo vnitum fuit, actio ipſa Virginis ceſſaſſe intelligitur ad Conceptionem ſpectans. Sique Suarezij cenſura huic modo dicendi aptari poſſet, pariter Sancto *Reprehēditur Suarezij cenſura licentioſa.* Thomæ aptari poſſet, qui ſaltem in motu locali ſanguinis, ſeu ſeminis ad vterum ſucceſſionem agnouit: ſed Apage hoc de viro Sanctiſſimo, ac doctiſſimo dicatur; & Apagè nos Recentiorum iſtorum imitemur licentiam. Certè ea ſententia temeritatis arguitur, quæ ſingularis

gularis à Scolasticis omnibus diuersa, sine fundamento ponitur, ita rursum erronea censetur, quæ est errori proxima. An autem hæc singularis sit opinio quam probabilem Scotus, & Scotistæ tenent, an sine fundamento à singulis diuersa, habes ex dictis; similiter an errori proxima tunc dices, cum dicere audebis errori proximè sensisse Sanctum Thomam, qui ex parte eam sequitur, & Scotum, qui vt probabilem illam prosequitur. Si tu autem oppositum sentire mauis habes Scoti doctrinam *d. illa 4.q.vnica*.

66 Demum obserua ad nominum Amphibologiam vitandam, & ad argumētorū vim eneruandam ex ipsa nominum impositione, latum esse discrimen inter esse Matrem, vel Patrem, & generare, & inter esse filium, vel filiam, & generari, vel nasci. Nam in diuinis bene propositiones illas concedimus, essentia est Pater, essentia est Filius, at essentiam generare, vel gigni negamus, nisi modo eo, quem ex nostro Marte in primo sent. præstolauimus; in humanis etiam rectè concedimus manum, vel pedem hominis genitum esse; at filium esse negamus, ne dicere cogamur hominem in generatione filij tot parere filios, quot generat partes in fœtu concepto. Huius ratio potissima est energia nominis; siquidem vocabula *Patris*, *Matris*, *Filij*, & *Filiæ*, pro supposito dumtaxat toto ac integro supponunt cui cōmunicatur natura. Nomina vero, seu rectius verba. *Generare*, ac *generari*, non tam de toto; quam de parte suppositi rectissimè prædicantur. Ex his habes hominem purum non posse nuncupari Virginis filium; quia nullum fuit in hoc opere purum hominis suppositum; sed sola natura humana indiuidua nodo. ...a, sed genita suppositata à Verbo, quod propterea optimo iure filius Virginis nuncupatur, quod & si æternaliter præextitit, generari tamen dicitur, & esse filius Virginis, quia est suppositum sustentans naturā illam à Virgine productam, cuius actio non fuit ad nondum humanitatem terminata, quæ non extitit pro aliquo tempore sine supposito; nec est necesse ad generari, quod de nouo esse incipiat, cum sit satis, vt nouam recipiat substantialem formam, vel tamquam sui partem essentialem, vel tamquam naturam in qua subsistit. Notanter dixi, vel tamquam essentialem partem sui, vel tamquam naturam, in qua subsistit, vt cauillum euellam de materia prima, quæ nouas recipit substantiales formas, quæ tamen non sunt essentiales eius partes, nec naturæ, in quibus subsistat; propterea non dicitur vsquam prima rerum materies generari.

Discrimen inter Patrem, & gignere

67 Ex his assero primo, Beatissimam Virginem verè Dei Matrem, & dici, & esse. Hoc assertum probat primo fides Lucæ 1. *Quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei*. Matth. 1. *Cum esset desponsata Mater Iesu, &c.* & rursum Matthæi 2. *Accipe puerum, & Matrem eius*. Ioannis 19. *Stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius.* & Ecclesia in salutatione Angelica. *Sancta Maria Mater Dei*, & Hymno. *Dei Mater alma*, &c. Mitto alia loca, & auctoritates Patrum, pręcipuè Damasceni *lib.3. de fide cap.12.* cuius meminit Scotus; Augustini, & aliorum, quorū fusè satis meminere Recentes, quae nos tamen in re citrà controuersiam mittimus.

1. probatur. Luca 1. Matth. 1. & 2. Ioan. 19. Ecclesia. Damasc. Aug.

68 Probat secundò assertionem nostram hæc ratio. Maria erga Dei Verbum præstitit quidquid ceteræ Matres erga filios præstā, quos concipiunt, ac pariunt; ergo verè Verbi Dei Mater extitit: antecedēs probatur ex doctrina in superioribus tradita; quia ad maternitatem innehendam spectant ministratio materiæ ad prolem, coactio ad organizationem corporis, conseruatio, ac nutritio filij: sed quatuor hæc verè in Virgine erga Verbum Dei nancisimur; ergo verè Dei Verbum Virginis Mariæ filius fuit, verè Virgo Maria Verbi Dei Mater fuit: subsumpta minor probatur; nam in primis Virginem ad gignendum Christum sanguinem, vel semen subministrasse non obscurè indicauit Angelus eam alloquens. *Ecce concipies in vtero, & paries, &c.* at conceptus nonnisi ex semine, vel sanguine fit concipientis, vt Medici cum phisicis norunt; materiam igitur ministrasse concluditur: coegisse etiam ad corporis organizationem ex præiactis doctrina colligitur; etenim organizationem complent motus illi omnes, quos supra expressimus: nimirum sangui-

Probatur secundo

Luca 1.

guinis, vel seminis collectio, transfusio ad vterum, condensatio, ac figuratio fœtus; at ad hos motus coegisse in Christi corporis genitura Virginem rectè dicimus; ergo ex hac parte rectè dicimus Virginem ad organizationem Christi Corporis cooperatam fuisse: subinducta dilemmatis minor suadetur; nisi enim operata dicatur Virgo, peto, cur non est cooperata? an quia noluit, an vero quia non potuit? non primum, quoniam Virgo se totam voluntati Dei in hoc opere substrauit verbis ijs, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum*. Non secundum; quia si id Virgo non potuit, idcirco id euenisse putandum est, quia vel causalitatem, quam habent aliæ Matres, non habuit, vel motibus instantaneis virtus eius naturalis coagere nequiuit, vel demum à superiori agente præuenta absque eius concursu nullam ipsa causalitatē reliquam habuit: at hæc omnia etiam improbantur: primum quidem, quia Virgo suapte natura fœcunda fuit nullum habens admixtum naturæ vitium, quale est sterilitas; vnde si nupsisset, vt nupsit, sique viri commixtionem habuisset, quam non habuit, procul dubio ex illa commixtione generasset, vtpote fœcunda, & causalitaté, quam ceteræ habent Matres non desiderans; secundum etiam improbatur, tum quia improbabile non est non omnes illos motus instantaneè factos, sed modicissimo tempore, vt supra dictum est, tum etiam, quia si omnes in instanti factos dixeris, non implicat; quoniam figuratio, condensatio, & formæ inductio non sunt actionis illius adæquati termini, sed inadæquati; adæquatus enim actionis illius totalis terminus est corpus genitū animatum, seu compositum animatū: iam verò virtutem vnam actiuam posse simul in plures partiales terminos, dum principalis, ac totalis inducitur, nullū remur incommodum; si Deus præcipuè media obsistentia auferat, vt facit in proposito. Nec demum obstat tertium, quia Spiritus Sanctus non *Matris*, sed patris vicem suppleuit, reliquit autem Matri actiuitatem suam, quarè concludendum est, Virginem quo ad hoc caput veram Dei Maternitatem obiuisse, & fuisse veram Dei parentem. De conseruatione in vtero, & nutritione in vtero, & extra vterum res ipsa iam dilucida est, quam vt sole clarior; ipsa namque & nouem mensium spatio in vtero fouit, ac nutriuit filium, & natum suis lactauit vberibus. Quod si dicas, Ecclesiæ effatum esse, Virginem non lactasse Christum lacte naturali, sed miraculoso: ait enim. *Sola Virgo lactabat vbere de Cælo pleno*. Iam ad aliam difficultatem me trahis, an Beata Maria fuerit naturalis Dei Mater, an verò miraculosa; de qua.

Luc. 1

Fusè vrgetur allata probatio.

69 Assero secundo, Virginem, & naturalem, & miraculosam Dei Matrem dici posse, & esse. Probatur, quia quæ naturaliter actiuitatē habuit non infœcūda, naturalis Mater dicenda est; quæ vero nō per naturalē modum ad actum reducta est eius causalitas (non enim per commixtionem hominis, sed per virtutem Sancti Spiritus concepit) miraculosè concepit, & Mater est Christi; rursum, quæ cetera *Matris* munera obiuit, naturalis est Mater; quia naturaliter semen, seù sanguinem accommodauit, coegit ad figurationem, condensationē, & alios motus; quæ uerò in instanti, ablatis Spiritu sancto operante mediis, supernaturalis, ac miraculosa *Mater* dicenda est. Nunc autem ad obiectionem asserti huius petentem originem de lacte, deque vbere de cœlo pleno, respondeo, Vbera Virginis lacte naturali fuisse plena, & naturaliter fuisse plena, non enim miraculorum multiplicitatē absque necessitate approbamus; catenus autem ab Ecclesia Virginem dici lactasse Filium vbere de cœlo pleno, quatenus plenitudo vberis à plenitudine vteri regulariter pendet; implentur enim vbera mulieris ex impletione vteri, vterus autem Virginis impletus est ex superueniente Spiritus Sancti gratia, quare ex hac impletione eius lacte repleta dicuntur Beatissimæ Virginis vbera, ita vt causaliter supernaturaliter dici queant remotè plena; formaliter autem, & proximè naturaliter; potest enim esse effectus à supernaturali causa productus, qui tamē deinde naturalis est sui effectus causa; sic Adam à causa supernaturali est factus; qui tamen Abelis naturalis causa fuit: ita in proposito (currat quantum potest exemplum

2. assertio Beata Maria fuit Mater Dei naturalis & miraculosa, et probatur

Quomodo Virginis vbera fuerint lacte plena

plum) impletio vteri Virginis supernaturalis fuit; sed & ea fuit naturalis vberum repletionis causa. Si vrgeas. Quod est causa causæ, est causa causati. Remotè concedas, proximè verò negabis.

70 Habes ex his, quæ tum hoc, tum superiori diximus asserto Virginem non alibi filium concepisse, quam in vtero, ex quo & Mater naturalis dicitur Christi, & Dei, & in efformatione fœtus cæterarum parentum instar se gessit, virili semine dempto; quod dixisse volui contra nonnullos à Suarezio relatos *tom. 2. 3. p. disp. 10. sect. 1.* qui arbitrabantur Christum in Virginis corde conceptum, contra quos apertissimè pugnant scripturarum oracula Lucæ 1. *Ecce concipies in vtero, & paries filium*, & Matth. 1. *Inventa est in vtero habens de Spiritu Sancto.* Habes etiam Deiparam verius, ac rectius Maternitatis sibi nomen asciscere respectu filij, quam ceteræ Matres; quandoquidem illa se sola id præstitit, quod aliæ virili ope præstant Matres.

Suarez nonnullos citat in oppositū. Lucæ 1. Matth. 1.

71 Non autem posse dici Christi Patrem, neque propterea Patrimatrem, vt putauit Poza, patet; quoniam non id tantum est Patris munus, vt materiam generationi ministret, sed vt reuocet mulieris actiuitatem à potentia remota ad proximam, quod munus suppleuit in ea Spiritus Sanctus, qui & Virginis potestatem passiuam remotam reduxit ad proximam (erat autem hæc passiua potestas remota obedientialis potestas Virginis ad Deum ad suscipiendum in vtero Verbum) & actiuam potentiam remotam ad concipiendum reuocauit ad proximam, quam in alijs mulieribus reducit Pater, qui propterea in omni naturali conceptu primaria causa dicitur, Mater autem secunda: causa autem secunda habens potentiam ad agendum remotam reducitur ad proximam à causa prima. Quod vero Virgo sola materiam ad fœtum accommodarit, id ad summum conuincit ipsam verius matrem dici, quam ceteras; at non dici Patrem, vel Patrimatrem, vitanda enim sunt noua in hac re vocabula; ne dum plus sapere volumus, quàm oporteat sapere, insipientium more corrigamur, vt euenit Pozæ.

Virgo nō fuit Patrimater cōtra Pozā

72 Habes demum, licet cresso matrem Virginem actiuè se in filij gignitionem gessisse, sicuti & ceteræ se habent Matres; quod hoc loco vt potius ex philosophia probatum supponimus, quam vt probandum assumamus; reclamante locis supra citatis Aristotele, cuius auctoritas in hisce de fœtus conceptione materijs non est tanti facienda, vt Galeno, & Hippocrati sobuit eam us, præcipuis vtpotè Medicæ artis capitibus, quibus vt in arte peritis standum magis est, eodem præceptore Aristotele 6. *Ethicorum*: porrò ipsa etiam Aristotelis argutio inanis est, qua similitudinem filiorum ad Patres ex Patrum efficientia nanciscebatur; quæ ratio, si vera esset, parem similitudinem in filijs ad Matres nacti, ad Matres etiam efficientiam redigat necessum esset; sed hoc alibi, videre interim poteris Scot. *quolibeto 15. lit. H.* probantem ex sententia Aristotelis 12. *de animalibus*, Matrem in gignitione prolis aliquo modo se gerere actiuè.

D. Maria actiue se gessit in conceptu filij

Probatur ex Medicis Galeno, & Hyppoc. Aristot. eth. 6. Occurritur Arist.

Scoto quolibeto 15

73 Assero tertium, Mariam Virginem sanguinem simul, ac semen ad filij gignitionem accommodasse. Assertum hoc, vt ex propositis patet, maximam habet controuersiam, propugnantibus ex aduerso Thomistis, non semen, sed sanguinem aptam esse ad generandum materiam. Scio monitum esse Sancti Bonauenturæ pium in hoc asserto, quod ipse prosequitur *in 3. sent. dist. 4. art. 3. q. 1.* dum de Virgine tractantur debere hominum labia esse munda, hæc autem tractatio omnino videtur turpitudini annexa: forrasse tamen id asserere verendum non est (pace tanti viri dictum sit) quia non obinde puritas maculatur Virginis, si ad filij gignitionem semen ministrasse dicatur, cum fides doceat, ipsam haud quaquam aliarum mulierum instar cum delectatione, ac turpitudine semen ministrasse, sed ex quo liquor ille ex sanguine decoctus, ac sanguine permixtus Spiritus Sancti virtute ad locum generationi aptum redactus est, absque vlla venereæ delectationis suspitione, vel periculo. Porrò, & hanc eandem difficultatem cribrare necessum esse, inde patet, quod non videremur hæreticis fecisse satis, Manicheo præsertim, & cæteris similis farinæ hominibus

Assero tertium Beata Virgo accommodauit ad gignitionem filij sanguinem, ac semen

S. Bonau 3. sent. dist. 4. ar. 3. q. 1.

Mariæ Virginitatem, ac Maternitatem negligentibus, nisi fuerit adamussim ostensum, quo se illa modo gesserit in filii generatione; quidue pro materia ad gignendum apta præstiterit. Primo igitur sanguinem ministrasse controuersum non est, proclamantibus sanctorum Patrum cæteruis, humanam carnem è purissimis Mariæ sanguinibus à Christo assumptam; ita enim loquitur Damascenus *lib. 3. de fide*, & alii; quorum prolixa est apud Recentes memoria. Semen autem etiam ministrasse probatur ex dictis: quoniam si se, vt cæteræ se habent in filiorum gignitione Matres, in filii generatione gessit; cum reliquæ ex Galeno *lib. 1.* de semine fœtum concipiant, nedum ex sanguine, sed ex semine, pariformiter se habuisse Virginem deducitur; quod etiam induhitanter pleri que Patres asseuerasse visi sunt, præcipuè Anselmus *lib. 2. de Conceptu Virginali cap. 14.* docens, *Christi Corpus ex Virginis semine Conceptum*, & Beda *lib. 4.* in Lucam *cap. 49.* exponēs verba illa Lucæ 11. *Beatus Venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*, ait enim *Qua consequentia eius lacte credatur nutritus, cuius semine negatur esse Conceptus, cum ex vnius, eiusdemque fontis origine vterque liquor manare probetur secundum phisicos*.

Ministrasse sanguinem probatur ex Damasc.

Idem probatur de semine ex Anselmo & Beda

Lucæ 11.

Occurritur obiecto

74 Quod si dicas, verba hæc legi consueuisse in lectionibus festi Conceptionis Immaculatæ Deiparę à Fratribus Minoribus, nunc tamen fuisse ab Ecclesia sublata: quod est argumento, Ecclesiam verba illa non probasse; quæ si probasset, vtique è medio non abstulisset. Occurram hoc factum, ne simpliciū offenderentur aures in seminis vocabulo, neue in aliquorum irrueret menté suspicio, humano modo ex Venerea delectatione concepisse Virginem; proinde, vt castè sentiatur, castè loquendū monuit Ecclesia; quod, & nos fatemur.

Patefit Scoti sententia

75 Quid in hac re Scotus senserit, ait Faber clarum non esse; clarum tamen erit inspicienti Scoti litteram *in 3. dist. 3. q. 2.* concedentem sanguinem fuisse ministratum à Virgine, & similiter *distin. 4. eiusdem q. vnica lit. B.* Nec displicuisse ei opinionem constituentem etiam semen fuisse materiam *in eodem loco lit. D. §. Sed hic est vnum dubium*, Quod etiam tetigerat *sub initio lit. B.* aiens, totam actionem competiisse Matriæ, quæ Matri cuicunque debetur; quare si reliquę Matres semen commodant, par egit de ea iudicium Scotus. Ex his ergo rationem pro subministratione seminis consta ad assertum. Si quid obstat, quominus dicatur Virgo semen præstitisse pro materia ad gignendum Filium; alterum horum dicendum erit, vel quia, scilicet, hoc repugnat conceptioni generica filiorum, qui ex solo concipiuntur virili semine, non autem ex fœmineo, vel quia repugnat tali conceptioni filij Dei, ob eiusdem Matris purissimam integritatem: at neutrum horum, ergo. Maior videtur dilucida ex partiū diuisione sufficienti, non enim aliunde videtur mihi repugnantiæ ratio posse deſ uere, quam ex duplici illo capite. Minorem probo; & primo id non obstare ex parte conceptionis secundum se, quoniam in vnoquoque conceptu muliebre semen experi docet Galenus *loco citato*, asseuerans vtriusque parentis semen concurrere ad gignendum fœtū; quoniam solidiores partes, vt sunt venæ, & arteriæ facilius ex ossosa seminis, quam ex tenui sanguinis firmantur materia.

Ratio propria ad assertum

Galeni ratio

76 Nec valet quidquam oppositio Recentiorum de fœmina iuuita in balneo existente, quæ virile recepit semen inuita, & absq; delectatione absque proprij emissione seminis concepit. Hoc etenim exemplum leois corde crederet, ego non item: an forte mulieri id asserenti credendum? an verò ipsi fuere testes operis, qui fuere relatores exempli? Secundo, non obstare ex parte huius conceptus, patet, quia, vt dixi neulatum quidem vnquam hęc seminis materiæ commodatio Virgineum candorē lęsit, quippequæ absque carnis titillatione venerea Spiritus Sancti ope in indiuisibili temporis momento peracta est. Contra singula asserta vrgere difficultates possent: at quia præsentis instituti ratio exigit tantum Deiparæ maternitatem, quæ potiora contra primum adduci possent, expendemus.

Obiecta Recentiū

77 Virginem igitur Dei veram genitricem non fuisse, persuadebit quispiam hisce argumentis. Primo ab auctoritate Damasceni *lib. 3. cap. 10.* negantis Virginem

nem esse Christi Matrem hisce Verbis. *Christotocon, idest Genitricem Christi, nequaquam dico B Virginem.*

Argumenta in oppositum.

78 Secundo Rationibus & primo. Filiatio respicit hypostasim, nō naturā, at Verbi hypostasis æterna est, non autem genita à Virgine; ergo nec Christus est dicēdus Virginis filius, nec Virgo proinde Mater Christi. Maior probatur ex diffinitione generationis, quæ dicitur *productio viuentis à viuente in similitudinem naturæ principio vitæ coniuncto*: ex qua non obscurè colligitur hypostasim, siue suppositū gigni, quod habet eamdem cum generante naturam, non autem ipsam gigni naturam. Minor est euidens, quoniam Verbum in principio fuisse apud Patrem dixit Ioannes in fronte sui Euangelii. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c.* (*Ioann. 1.*) quod propterea à Virgine generari nequiuerit pater, quia, quod gignitur recipit esse post non esse; at Verbum nusquam esse post non est recepit, quia semper fuit; quare gigni à Virgine non potuit: nec satis est dicere, quod Virgo fuerit Christi Mater secundum humanitatem, quia si non fuit Mater humanitatis Christi, nec Christi secundum humanitatem per regulam logicam. Si de quo magis videtur inesse, & non inest, ergo multo minus inest, cui non videtur inesse.

Argumentum secundum

79 Præterea. Si Maria dicatur Christi Mater, aliquis dicendus esse Christi Pater, quia Mater, & Pater correlatiua sunt: at Christus in terris non habuit Patrem; nisi velis asserere, vel Ioseph fuisse Christi Patrem, vel Spiritum Sanctum nuncupati Christi parentem, cuius obumbrata virtute genuit Virgo, quorum vtrumque falsum esse conuincit Mariæ Virginitas, & supernaturalis diuini amoris actio.

Tertium argumentum

80 Præterea. Si Virgo dicatur Dei Mater, cum nedum Verbum, sed Pater, & Spiritus Sanctus Deus sit, verum erit asserere singularum diuinarum personarum Genitricem esse Mariam. Et confirmatur primo, quia si Virgo Dei Mater esset, Deus è conuerso diceretur Filius Virginis: at hoc falsum est, alias concedendum esset, Christum realiter referri ad *Mariam*, sicut ad Matrem realiter refertur filius, quod falsum esse probatur, tum quia Deus ad creaturam nulla reali relatione refertur, secus daretur in Deo mutatio, tum etiam quia relatio multiplicatur ex multiplicatione fundamenti, non termini; alias in singulis filijs duæ essent relationes filiationis, ad Patrem vna, ad *Matrem* alteram, quod rident philosophi. Confirmatur secundo, quia & ipse Christus visus est maternitatis vocabulum neglexisse in Virgine; quam perpetim mulierē, non Matrem appellauit, vt patet in nuptijs in Cana Galilææ Ioan. 2. *Quid mihi, & tibi est mulier.* Et in ara Crucis. *Mulier ecce filius tuus.* Ioannis 19. & Matthæi 12. *Quæ est Mater mea?* Hisce, & consimilibus persuasibilibus verbis quispiam Nestorij, & Manichei assentator Maternitatem Dei à Virgine refellendam curabit. Sed inaniter; occurremus enim auctoritatibus in primis negantibus, vel quæ negare videntur Mariam Christi Matrem, locutionibus huiuscemodi addendam esse particulam hanc, *tantum*, ita vt eant Patres inficias, Mariam esse tantum Christi Matrem: & iure, quia & Verbi Mater est, & dicitur, quod callidè præstiterunt Patres tunc temporis, ne viderentur cum hæreticis consentire concedentibus Mariam fuisse Christi, hoc est, hominis illius *Matrem*, at non Dei; quorum Patres euertentes effatū negarunt *Mariā* Christotocon tantū, quippequæ Theotocon dici potest, nō Christotocon solū, ut rebantur illi. Iam argumenta diluamus.

Prima confirm. — *Secunda confirmatio* — *Ioann. 2.* — *Ioan. 19* — *Matth. 12*

81 Argumentum primum nodum pulcherrimæ difficultatis explicandum poscit de qualitate relationis Christi ad Mariam, de quo speciali tractatione agēdum est, prout autem præsentis loci postulat occasio, nonnihil assumentes illud diluimus, negata maiori; siquidem, vti egregiè nos docet Scot. *in 3. dist. 8. q. vnica*, relatio filiationis fundatur in natura accepta, non in supposito: est enim filiatio habitudo producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali: vel sensitiua, ex qua diffinitione habentur conditiones filiationis respicere naturam potius per generationem acceptam, quam suppositum; quod multo magis verum est in eorum sententia, qui putant sola negatione hypostasim compleri, licet aliter nobis

Scotus in 3. dist. 8 q. vnica

Diffinitio filiationis

pacifci vocabulum poteſt. Hìc etiam obſerua nouum Bonacinæ pronnnciatum aientis in hac diſputatione, Spiritum ſanctum ſuppleniſſe vicem virilis ſeminis; quod quam male audiatur, mundus quiſque labijs dixerit. Ad probationem argumenti, qua dicitur Pater correlatiuum Matris, hoc negandum eſt omnino; quia Filius, & Pater correlatiua ſunt; Mater, & Filia, vel Filius correlatiua etiam ſunt; non enim Pater ad Matrem, aut è conuerſo, ſed ad Filium vterque, & ad vtrumque Filius refertur, vel Filia.

Bonacina reijcitur

Tollitur noua inſtantia

85 Si inſtas, omni paſſiuo ſuum reſpondere actiuum: Matri ergo Dei, quæ paſſiuum eſt principium, ſuum reſpondet actiuum. Nego in primis, Virginem paſſiuum fuiſſe principium, cum actiuè ſe geſſerit in generatione Filij: mox dicam effatum illud, omni paſſiuo ſuum reſpondere actiuum, verum eſſe dumtaxat, niſi alterum illorum vtriuſque vices obire poſſit, vt accidit in propoſito, in quo totam ſubſtantiam miniſtrauit mater principium actiuum Filii.

86 Ad tertium. Aio Virginem eſſe Dei Matrem, quatenus Dei nomen perſonā indicat Verbi, ſeu Deitatem cum tali relatione perſonali; nec obinde concedi poteſt Maria Mater Deitatis, quia Deitas, vt ſic, præſcindit à Perſonis, quæ, licet ſint realiter eædem cum Deitate, ad inuicem tamen realiter diſtinctæ ſunt; vnde nego eſſe Matrem Patris, vel Spiritus ſancti, vt nego eſſe Matrem Deitatis in tribus; ſed ſuppoſiti talis habentis Deitatem concedo eſſe Genitricem. Ad primam confirmationem libenter aſſentio, Deum modo præfato eſſe Filium Virginis, quia, ſcilicet, ſuppoſitum ſecundum Diuinum aſſumpſit naturam ſingularem humanam à Virgine genitam; nec eo inficias Chriſtum referri ad Mariam, vt ad Matrem Filius referri dicitur; nego tamen Deum tunc ad creaturam realiter referri, vel mutari, quoniam relatio filiationis fundatur in natura, non in ſuppoſito, quod denominatur tantum: & ex hoc concedo aliud illatum nempè, multiplicatis fundamentis relationem multiplicari, quatenus autem oppoſitum tollere videtur realem relationem in hac generatione ad Chriſtum, diſcutietur loco ſuo abundè.

Maria non eſt Mater Deitatis, nec Patris nec Spiritus ſancti

87 Poſtremæ confirmationi non vna eſt auctorum occurſatio, vt quid Chiiſtus à Matre maternitatis vocabulum renuerit, vſurpato mulieris vocabulo? qua de re vide Auguſtinum *tom. 9. ſuorum operum tract. 8. & 9. in Ioann. per totum, &c.* differentem, in nuptijs Galileæ Mariam appellatam mulierem, nō Matrem; quoniam bi ō hominem, ſed Deum ſe geſſit Chriſtus in miraculi primi perpetratione; porrò non Deitatis, ſed humanitatis \ iigo Mater fuit: hoc autem intelligẽ ſano modo, quia verè humanitas nō dicitur filia, nec proinde Maria poteſt dici Mater humanitatis; Mater enim & Filia referuntur; ſed impropriè humanitatem dici filiam, eiuſque Virginem dici Matrem, quatenus relatio filiationis inheret naturæ communicatę, denominat autem ſuppoſitum. Recentes cū Suarezio, Becano, Bonacina, & alijs putant appoſitè à Chriſto Mariam appellatam mulierem, non Matrem, ob eius maiorem excellentiam, perque, vt aiunt, anthonomaſiam, vt indicaret Mariam verè eſſe Mulierem illam, de qua Deus idem in Geneſi *cap. 3.* prædixerat inimicam fore ſerpenti his verbis *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem.* Explicatio pia concionatorum magis, quam Theologorum diſceptātium propria. Ad locū Matthæi 12. *Quæ eſt Mater mea.* Reſpondent cum D. uo Bonauentura communiter omnes, eo loquendi genere indicaſſe Chriſtum non eſſe pluris faciendā cognationem carnalem, quam ſpiritualem, quia Beata Virgo beatior fuit concipiendo mente, quam Ventre; in amando enim & colendo Deū meruit, in concipiendo certè Incarnationem non meruit, & intimior eſt nexus Spiritus, quam ſanguinis.

Cur Maria vocata ſit Mulier.

Expoſitio Auguſt.

Expoſitio Recentiorum

Expoſitio S. Bonau.

88 Landulphus *de vita Chriſti p. 2. cap. 63.* & cum eo *Lyranus*, in Nuptijs vocatā aiunt Mariam *Mulierem* ex vi nominis mulieris; quatenus ex natiua quadam cordis mollitia Filium ad miraculum ſollicitaſſet: in paſſione verò iterum vocatam fuiſſe mulierem; ne ex materni nominis teneritudine grauiori cruciatu Mater, ac Filius afficerentur. Pia, vt vides, explanatio, licet commentatorum, quam Scolaſticorum litteris accommo-

Expoſitio Lādulphi & Lyrani.

commodatior. Sunt, qui velint, Mariã eo tempore Mulierem à Filio vocatam, quo Christus absque decore, & species despectus erat, tamquam vir dolorum, ac virorum nouissimus; siquidem haudquaquam huiusmodi Filium, sed speciosum forma præ Filijs hominum Virgo genuit; exindè, ne videretur Maria Mater fuisse Christi dolentis, ac specie mutati, ad eiusdem Virginis honorem aiunt eamdem Mulieris nomine appellatam. Non diffitentirem; si hæc ipsamet interpretatio aptari posset alteri appellationi consimili Ioannis 2. *Quid mihi, & tibi est Mulier?*

Expositio propria 89 Forcasse tamen singulæ expositiones adductæ locum habere possint, si singulæ singulis aptentur locis, non omnes omnibus. Demum forrasse ab re non erit asserere, mulieris nomine intellectam Matrem esse, nedum, quia ita est in aliquarum Regionum vsu, vt patet apud Insubres; sed etiam, quia hæc dũ scriberem audiui pueros mulieris nomine vulgo, *Donnama*, appellare Matres suas.

AN BEATA MARIA Maternitatem Dei meruerit.

CAP. IV.

90 IN huiusce difficultatis captus gratiam superiora tradidimus. Hanc autem opinionum varietas auget: sunt enim Theologi non pauci, qui idem omnino ferunt de Incarnatione Verbi, ac Virginis Maternitate iudicium, ac pariformiter de vtraque difficultate effantur, idem meritum ad Incarnationis mysterium, & ad Maternitatis donum in Virgine agnoscentes, vt videre est apud Bonacinam *disp. 2. q. 12. puncto 5.§.1.num.13.* Alij è contra toto cœlo diuersam hanc ab illa difficultate percurrunt: vt, qui negant omne meritum in Virgine ad Incarnationem, meritum omne agnoscant ad Maternitatem: ita Gabriel *in 3 dist. 4. q.1. dub. 3.* & cum eo Maior. *q.6.* & alij ex stimantes valdè probabile Virginem merito condigni meruisse per opera virtuosa, vt ipsi aiunt, Maternitatem Christi. Mittimus hoc loco S. Bonauenturæ sententiam, & Richardi tertium meriti genus comminiscentem, quod meritum digni vocant, quoue Mariam meruisse Dei Maternitatem tentur, de quo superius nonnihil dictum est.

Referuntur sententiæ variæ — *Bonacina* — *Gabriel Maior* — *S. Bonau. & Richardus*

91 Alii diuisionem etiam inter vtramq; difficultatem nacti arbitrantur, merito condigni Virginem non meruisse Maternitatem Dei, potuisse tamen mereri, & de facto meruisse illam solum merito congrui, ita Suarez *3.p.tom.1.disp. 10.sect.7. & 8.* è contra verò Vasquez *disp.21.cap 8.* negat fieri potuisse, vt Maternitatem Virgo de condigno mereret, & Vasquezio subscribit Lugo *in cit. disp.8.*

Suarez *Vasquez* *Lugo*

92 Demum nonnulli similiter negant Virginem meruisse Maternitatem de quocunque merito tam digni, quam condigni, quam congrui, ita Lorca *disp.22.de Incarnatione Dominica.*

Lorca

93 Ego hac in re io primis ostendam, caput præsens non eamdem cum secundo capite difficultatem cribrare: siquidem, siuè de executione loquamur, siue de æterna electione, Incarnatio diuini Verbi, & Maternitas in Virgine connexionem talem non habent, vt vnius difficultas difficultatem alterius diluat: & in executione quidem Dei Verbum certũ est humanam sibi indissolubili nexu copulasse naturam, non quatenus à Virgine habita est necessario, alioquin illam aliunde sibi assumere non potuisset; sed necessitate dumtaxat consequentis, & secundum quid; stante, scilicet, decreto de eius assumptione ex sanguine Mariæ; simpliciter tamen ità contingenter, ac liberè eam assumpsit ex Maria, vt potuisset ex alia sumere; connexio igitur in opere Maternitatis in Virgine Maria, & Incarnationis in Christo nulla est necessario; supposito autem decreto de modo assumptionis nec mihi videtur idem esse formaliter asserere, Mariam meruisse Maternitatem Christi, & meruisse Incarnationem Verbi; quia Verbi Incarnatio dicit formaliter vnionem humanæ naturæ ad suppositum Verbi, & hæc vnio relatio est, vt supra suo loco dicebamus, non filiationis, sed substentificationis actiuæ, rationis in Verbo ad naturam, passiuæ realis naturæ ad Verbum; quam relationem in

Auctoris iudicium — *Qua necessitate Christus Virginis carnem sumpserit*

suo conceptu Virgo formaliter non attigit actiuitate sua, quæ in vnione Animæ, & Corporis, vel forte ante hanc vnionem expleta est, pendente ipso etiã rationali animo à Deo immediatè.

Tollitur dubiolum 94 Quod si dixeris: at implicat intelligere B. Virginem meruisse Maternitatem, & non Incarnationem Verbi; quia si meruit esse Mater Dei; vtique meruit producere Christum Deum, & Hominem; & proinde meruit, vt Christus esset in rerum natura. Aio, nondum meam apertam esse mentem de merito Virginis ad Maternitatem, sed hucusq; insistere me, difficultatem de vtraque re esse diuersam. Opposito autem occurrã negando, meruisse vllo modo producere in rerum natura Deum hominem, quia ex Maternitate, quam meruit, si meruisse illam concesseris, sequitur tantum meruisse, vt Deus ex eius visceribus sanguinem sumeret, corpusque aptaret sibi indissolubili vinculo nectendum; non autem sequitur meruisse Incarnationem formaliter, quia vnio est quid posterius saltem natura collectione sanguinis, vel seminis; imò & quid posterius natura est, non tempore, animatione corporis, ad quam terminata est actio Virginis: in electione autem res est dilucida magis, quia quemadmodum *tractatu de prædestinatione* dicebamus, independenter à quacumque alia re Deus elegit, Christum venturum antè præuisionem cuiusque meriti, vel demeriti, & antè præuisionem meritorum Mariæ decreuit illam in Filij Matrem: an autem deinde decreuerit aliquod meritum in Maria ad maternitatem, hoc postulamus: certè non decreuisse aliquod meritum, iis argumentis omnibus liquet, quibus secundo capite probabamus, Incarnationem non posse sub alicuius merito cadere, quæ est principiũ meritorum in omnibus, ne dicatur meriti principium cadere sub merito.

95 Secundò, vt certum constituo, nullo merito condigni Virginem Dei Maternitatem meruisse; vndè egregiè Hieronymus *lib. 1. contra Pelagium*, explicans Verbum illud Virginis in Cantico. *Ex hoc Beatam me dicent omnes generationes, &c. Beatam*, inquit, *fecit dicis non proprio merito, sed inhabitantis in se clementia, &c.* & Bernardus *sermone de Natiuitate Virginis, quærant*, inquit, *alij meritum, nos inuenire gratiam studeamus, Maria non prætendit meritum, &c.* Et passim Patres alij.

Hieron. contra Pelagiũ. Luca 1. Bernard.

Sunt, qui cum Suarezio, Bonacina, & alijs hanc veritatem deducant ex illo Cantici Virginis, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, &c.* Sed hoc potius videtur esse pro opposita sententia Gabrielis; si dicatur ex præuisa Virginis humilitate eam nactam fuisse maternitatem. Ex hoc etiam loco ausam sumpsit S. Bernardinus Senensis *serm. 51.* dicendi: *Virgo per humilitatis illius actum, quo Angelo respondit; Ecce ancilla Domini, &c. plus meruit, quam cæteri Sancti, & Angeli simul meruerint actibus suis.* Emphatica sanè loquutio, si referat meritum ad solam Maternitatem, quæ minor est gloria; quoniam Angeli, & iusti gloriam operibus suis meruerunt: si autem meritum ad gloriam referat; iam extra quæsiti limites loquutio vagatur, quod de solo ad maternitatem merito appositum est: quare si locus ille Cantici meritum innuit ex humilitate dimanans; quemadmodum innuere videtur ex illa particula, *Quia*, quæ est redditiua causæ; non ad Maternitatem præcisè referendus est, sed ad alia Virginis priuilegia, & præcipuè, quod à cunctis nationibus beatificaretur; propterea enim subditur ibi. *Ecce enim ex hoc Beatã me dicent omnes generationes, &c.*

Ratio Suarez, & Bonacinæ & S. Bernardini ad infringendum meritum digni maternitatem expenditur.

96 Ratio ad hanc veritatem constituendam nulla suppetit ostensiua; suadetur tamen probabiliter à Recentibus Suarezio, Vasquezio, Bonacina, & Lugo argumento Sancti Thomæ *3. p. q. 2. art. 11.* quia, scilicet, gratia, & operæ ex gratia elicita consecutionem beatitatis æternæ solum respiciunt, vt condignum præmium, nullam habentia ad alterius ordinis præmium habitudinem. Ratio tamen vix suadet, quoniam & merita gratiam respiciunt, datur enim augmentum gratiæ ex meritis, vt quid ergo impedit si dicatur hanc etiam gratiam maternitatis sub merito casuram fuisse à Deo decretam? Egimus nos de iis, quæ sub merito cadunt digressione propria, illam consule.

Ratio S. Thomæ à Recentibus quæ veritate vrgetur.

97 Sanctus Bonauentura alio ex capite id probat, quia, scilicet Maternitatis dignitas excedit omne meritum, at, ego inquam, quid præstantius, gloria æterna,

An ratio S. Bonau. sit valida

an Maternitas? Vtique gloriæ ipsa, etiam Sancto Bonauentura testante in Homilia super illud Lucæ *Beatus Venter, qui te portauit*, quod antea docuerat Beda *lib. 4. cap. 49. super cap. 11. Lucæ*, si ergo gloriam merere potuit, vt quid non etiam Maternitatem? fortasse quia dixerit cum Suarezio, aliquando facultatem aliquã posse in perfectius, non autem in imperfectius: vtique, inquam, et non sumus in argumento Sancti Bonauenturæ probare nitentis, maternitatem meritum excedere; æstimet enim hunc titulum nescio quid Diuini, ac infiniti complectis quæ ratio imbellis est, cum etiam gloriæ infinitatem obiectiuè contineat, quippe quæ ex ipsa Deitatis visione, ac fruitione completur.

Lucæ 11.

Suarezij septiua.

98 Ratio igitur ad hoc pronunciatum non nisi infirma: fortasse tamen imbecillum non erit asserere, non tanti Matrem faciendam, vt sibi j donum vilescat; crescit autem maternitatis donum, si dicatur gratiæ datum. Adde, Maternitatem in Virgine fuisse omnium meritorum ipsius fundamentum; non capit autem, nec intellectus assequitur, quonam modo queat meriti fundamentum sub merito cadere, quemadmodum nec capit, meriti principium cadere sub merito: ex hoc dilemmate probabile est asserere, nec potuisse maternitatem sub merito Virginis cadere, si ex præuisione eius dedit illi gratię plenitudinem Deus, qua elicere merita posset; videtur enim etiã ipsa Maternitas nedum fundamentum, sed etiam principium meriti in Virgine. At qui ex his Suarezii opinio eluditur constituens, Virginem Beatissimam fuisse condignè dispositam, vt esset Mater Dei, & hanc dispositionem partim ex gratia sola præueniente, partim consecutam per merita de condigno: quomodo namque intelligi potest condignè disposita, si dispositionem non ex solis habuit meritis, sed partim ex sola gratia? An partim fuit condignè, partim non condignè disposita? At hæc duo non hærent inuicem, non est enim diuisibilis dispositio. At (ille inquit assertione secunda) in Virgine spectantur hæc omnia, primum eximia Sanctitas, & gratia habitualis, secundum priuilegia innocentiæ, & carentiæ fomitis, tertiũ augmentum gratiæ, quod ex suis actibus meruit, quatenus cooperatio suæ voluntatis præbendo assensum ad maternitatẽ, quibus potuit dispositionẽ ad Maternitatem de condigno merere. Sed hæc doctrina pugnat cum tertia conclusione eiusdem Auctoris constituente Maternitatem non fuisse meritam de condigno Mariam, quia gratia respicit gloriam pro præmio, & non maternitatem: similiter, & opera efficita ex gratia; quomodo ergo id negat in tertio pronunciato, quod affirmauit in primo, & secundo? certè effecta hæc merita, & gratiæ condignum respiciunt præmium gloriam tantum, merita, & gratia condignum respiciunt præmium dispositionem ad maternitatem, non benè insimul cohærent, vt quisq; sensatus videre poterit.

Fs nulla ostensiua suasiones varij

Suarezij nouum placitum eluditur.

99 Hactenus de merito condigni; sed quid de merito congrui, meruit ne Dei Maternitatem Virgo Beatissima, nec ne? enimuero, si fas esset à communi Scolasticorum absque nota singularitatis sensu recedere, opinio Lorcæ non esset improbabilis; quamuis enim certum sit, Virginem Deiparam meruisse illum gratiæ, & sanctitatis gradum ex suis operibus condignè, quo decenter facta est Christi Mater: attamen non planè constat ipsam Maternitatis dignitatem sub Virginis merito cecidisse, quantumuis congruo; toto nimirum maternitatis eximio dono ex diuina liberalitate fluente. Nec Patrum, aut Ecclesiæ auctoritates, quæ in oppositum feruntur, parti huic obsistunt. Quamuis enim Ecclesia in Antiphona *Regina Cœli; &c.* habeat *quia quem meruisti portare, &c.* cuius pronunciati affine est illud in Officio Natiuitatis Domini. *Beata Virgo, cuius Viscera meruerunt portare Dominum Christum*; & illud in collecta Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ apud Fratres Minores, *Deus, qui per Immaculatã Virginis Conceptionẽ dignũ Filio tuo habitaculum præparasti, &c.* & illud. *Quæ sola digna fuit portare Regem cœlorum, ac Dominum*. Quamuis etiam Augustinus *lib. de Nat. & gratia cap. 36.* exclamet, *Concipere meruit, & parere*; quod alii Patres indicare visi sunt, quorum prolixam lectis consulet Suarezius memoriam: sano tamen sensu interpretationem passæ auctoritates ad rem non faciunt.

Explicatur difficultas de merito cõgrui.

Commendatur opinio Lorcę

Ecclef. in Antiph.

Ecclef. in Off. Nat. Domini

Et in collect a concept.

Aug. lib. de natura & gratia

Vt

100 Vt hoc igitur capias obserua, meritum apud Patres, & apud vsum locutionis Ecclesiæ non semper pro actu voluntatis elicito, gratia informante, acceptato, vel acceptando ad retributionem sumi, prout meritum à Scoto finitur; nam quandoque pro necessitate sumitur, vt ipse etiam notat Suarez *loc. cit.* qualis est illa acceptio in benedictione Cerei Paschalis. *O fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* Cum tamen planè constet culpam non merere, sicque proinde sensus verborum ibi. *Quæ talem necessariò expetijt Redemptorem.* Quandoque meritum pro dignitate sumitur, vt patet in allata auctoritate Officij Natiuitatis. *Cuius viscera meruerunt*, hoc est, *digna fuerunt portare, &c.* cum planè visceribus meriti verum vocabulum ineptè aptetur satis; porro dignitas à merito multum diffidet, nam & de Cruce eadem proclamat Ecclesia. *Quæ fuisti digna portare pretium huius sæculi*, neque tamen putandum est aliquod meritum in Cruce inanimi a bote extitisse: propterea hoc modo etiam interpretamur meritum in Antiphona. *Regina cœli, &c.* Quod autem pertinet ad collectam Conceptionis; oppositum potius, quam propositum ex illa deducitur, in qua asseritur Deus præparasse dignum habitaculum Filij Virginis, præseruando eam à peccato originali: si ergo preseruatio ab originis culpa fuit quædam digna Maternitatis dispositio, planè cum illa à Deo absque vlla meritorum habitudine, sed gratis facta fuerit, gratis etiam dicendum ex ea videtur maternitatis donum præstitum Mariæ.

Meritum pro necessitate sumitur.

Ecclesia in bened. cerei Pasch.

Meritum pro digni tate.

Ecclesia in offic. Crucis.

101 Patres etiam quotquot in oppositum feruntur nihil vltra inferre nituntur, nisi Virginis dignitatem ad hoc donum, seu Virginis habilitatem ad hoc opus: porro habilitas hæc, & dignitas à sola potuit Dei munifica liberalitate manare. Hæc pro Lotcę probabili sententia.

102 Cæterum si nefas quis puteta communi in hac re sensu discedere; Aiendū Virginem in executione operis ità se ex meritis disposuisse, & pręcipuè per continentiæ, & humilitatis actus, vt de congruo mereretur Genitricis dignitatem. Cumque asseritur meritum respicere pro præmio gloriam. Negandum hoc in primis, quia & gratiæ augmentū, & alia bona cadunt sub merito, licet gloria primum, & hoc loquendo de merito condigni: at congrui meritum patentius ad alias etiam dignitates potest referri; qua distinctione præ digitis habita facillimè diffidentes quæ videntur Patrũ auctoritates, quarum aliquæ totum in diuinæ gratiæ potestatem redigunt; quædam in Virginis merita deuoluunt, conciliantur: hac eadem distinctione supposita diluentur rationes, quæ pro vnaquaq; parte adduci possent. Hactenus de difficultate proposita, deque disputatione vniuersa de causis Dominicæ Incarnationis: iam ad vlteriora procedamus.

Disputationis coronis.

DISPVT. VIII.

DE PERSONA ASSVMENTE.

1 POssibilitatem, immò & necessitatem quoquo modo diuinæ inhumanationis, eiusque quidditatem, & causas venati, iuxta constitutū in huius operis vniuersi ianuis ordinem, disputationem de Persona assumente aggredimur, vt inde ad naturam assumptam, & ad corollaria progredientes opus vniuersum sigillemus; quoniam autem facti existentia primum sibi vendicat locum, deinde verò vnitas, vel pluralitas, quæ sunt Entis affectiones ex supernaturali Philosophia; hinc postulabimus primo. An persona queat assumere, & quænam; mox per alia capita possibilitatem, vel impossibilitatem assumptionis à pluribus personis inquiremus.

AN PERSONÆ PROPRIVM sit assumere.

CAP. I.

2 DIfficultatem præsentem sub hoc titulo proposuimus, vt varias vna simul dubitationes, quas Recentes seiunctim prosecuti absque necessitate locupletant folijs codices, coaceruaremus. At hic in primis supponitur personam assumere posse, deinde in actu assumere, vt mox an illi sit proprium assumere inuestigetur. Suppositum autem disputat S. Thomas *q. 3. art. 1.* Scotus nullibi, vt clarum de fide; quia dum statuitur diuini Verbi suppositum nostram sibi vniuisse naturā, planè operis possibilitas statuitur, ne factum impossibile statuatur; argumento etiam hoc idem statuitur, quod nos abunde in principio totius operis protulimus, dum possibilitatem humanationis ex parte personæ assumentis ex Scoti doctrina probauimus, eo quia est perfectissimè independens, potestq; proinde alterius dependentiam terminare.

S. Thom. *Scotus.*

3 Disquirendum est igitur solum hoc capite: an assumere sit proprium personæ; proprium autem hoc loco non sumitur quarto modo, quale est, quod conuenit omni, soli, & semper, nec tertio, quale est, quod conuenit omni, & soli, sed non semper, nec primo, quale est, quod conuenit omni, sed non soli, nec semper. Sed secundo; quale est, quod cōuenit soli, sed nō omni, quare petitio nostra eo tendit, vt disputandum proponat; an sit solius personæ Diuinæ (de hac enim appropriate loquitur) assumere sibi creatam naturam in vnitate hypostatica; an verò natura etiam munus hoc idem præstare possit. (Quid autem sit assumere ex prima disputatione supponimus:) Et rursum, an saltem hic Deus, vt abstrahit à Diuinis personis possit hanc humanæ naturę pendentiam terminare. Et factum in primis probat fides, solam scilicet personam Verbi inhumanatam, vt finitur in Synodo 5. *coll. 8. can. 4. & 10.* & in Concilio Lateranen. *cap. firmiter de Summa Trinitate, & Fide Catholica.* Et canitur in vtroque Symbolo Niceno, & Apostolorum, quod & docuit in Symbolo Athanasius. Mitto Patrū asserta ad hāc veritatem in Scholis notissimam, & apud fideles indubitatā. Rationem is commodabit, qui Dei Arcanorum scrutator fieri potuit; certè à posteriori congruentię, cur sola Verbi persona inhumanata sit, non desunt. Prima: vt quæ persona est in diuinis media, sit mediatrix etiam in terris hominum, ac Dei. Secunda: quia filiorum interest paternam vindicare iniuriam, actam igitur in Deum Patrem ob culpæ reatū iniuriam vltor accessit vindicaturus filius. Tertia: vt Dæmon ab ea persona vinceretur, cuius primatum appetierat, hęc autem Verbum fuit. Quarta: quia decuit per eandem recreari personam omnia, per quam facta sunt omnia. Quinta: vt repararentur homines per eā personam, cuius attributum sapientiā concupiscentes in mundi exordio ceciderunt. Nec desunt aliæ; quas referre in hunc locum nulla necessitas cogit, passim à Patribus assumptæ.

Quæsiti titulus.

Sola Verbi persona est Incarnata.

Conc. Lateranens.

Congruentiæ variæ.

3 Sola circa factū difficultas vrget de ratione formali terminandi hanc dependētiam in Verbo, qua scilicet formali

ratione

Scotus S.Thom. Varro

ratione secũda persona humanæ pendentis naturæ relationem terminet. Hanc prosequitur Scotus *in 3.d. p.q. 5.* & terigit S. Thomas *3.p.q.3.art. 1.& 2.* & refert Scotus Varronis præceptoris sui placitum, si Margini credimus, existimantis *lib. 3.dist. & q. 1.* essentiam diuinam esse propriam rationem formalem in Verbo terminandi hunc humanæ naturæ dependentis respectum; ex quo ratus est istam rationem formalẽ esse propter continentiam virtualem perfectionis realitatis suppositi creati, quæ certè est in essentia diuina. An hoc autem senserit Varro, nec ne, non refert: certum est Durandum, cuius opera extant, *in 3.sent.dist.2.* in eo fuisse sensu, vt putauerit primariam in Verbo rationem terminandi hanc dependentiam humanæ naturæ ad ipsum esse essentialem, & absolutam diuinæ naturæ subsistentiam. Scotus è contra, S. Thomas, & vtriusquè Scholæ sectatores hanc, quam petimus, formalem in Verbo terminandi rationem ad relatiuam Verbi proprietatem deuoluunt, vt infra dicetur.

Opinio Durandi

Opinio nominalium

4 Mediosse constituere cum Ochamo *in 3.q.1.art.2.* Nominales asserentes nec proprietatem personalem tantum, nec essentiam solum, sed vtrumque, & eorũ, vt ita dicam, Verbum esse hanc formalem terminandi rationem, quam postulamus. Hanc opinionem non dissoluisse Gabrieli *in 3.sent.d.& q.1.notabili 5.* ait Suarez *disp.12.sect.2.* immeritò tamẽ, quia Gabriel solã opinioni illi (quippe quæ Ochami erat, cui obuius Gabriel ire non cõsueuit) probabilitatẽ adsciuit; cum tamen ipse per distinctionem vniuersam Scoto lubentius adhæreat.

Gabriel problematicus

5 Postulatio præsens haud quaquam ad phisicos terminos *a quo*, & *ad quem* motus, & mutationum deuoluenda est; quemadmodum minus aptè confundunt aliqui cum Lugo *disp.11.sect.2.* de quibus nos alibi nonnihil diximus; sed nec verè in hoc sensu de terminis loquimur hìc, vbi mutationes phisicę minimè sub disputationem veniunt: sed constito, seu potius supposito ex dictis *in tractatu de quidditate Incarnationis* vnionem hanc humanæ naturæ ad Verbum esse terminum diuinæ actionis, siue esse effectum actionis illius, siuè rem actam; cum vnio sit relatio dumtaxat, postulamus: ex quo relatio fundamentum sibi, ac terminum adsciscit, quinam sit relationis huius terminus? Nec hæsitare debemus Verbo terminari hunc respectum humanæ pendentis naturæ, sicuti nec hæsitamus Verbum ad se sumpsisse illam, quam sustinet; sed non hoc loco totalem, vt aiunt, relationis illius terminationem petimus, quale est Verbum, sed formalem, quem vocant terminum, seu rationem, cuius merito Verbum relationem hanc terminat: cum autem in Verbo nihil sit præterea præter suppositum, & naturam, sitq; hæc absolutum, id verò respectiuum; sufficienter diuidendo alterum horum, vel alterum, vel simul vtrumque statuendum est id, quo Verbum relationem terminat.

Postulationis sensus ostenditur contra Lugo

6 Assero igitur primo, Diuinam essentiam non esse formalem rationem, qua Verbum humanæ pendentis naturæ relationem terminet. Assertio est Scoti, & Scotistarũ, S. Thomę, & sectatorum, cum Recentibus Suarezio *disp.12. sect.7.* Bonacina *q.3.puncto 1.* & alijs contra Durandum. Aestimat autem Suarez *loc. cit.* assertum hoc à Concilijs ferè diffinitum, nam Toletanum *6. sub initio*, & *11, etiam sub initio* constituit solum filium assumpsisse humanitatem in eo, quod proprium est filij, non quod commune est Trinitati; & sexta Synodus *act 8. propè finem*, id profitetur his verbis. *Pater, & Spiritus Sanctus nihil in Incarnatione habent commune, nisi benignissimam voluntatem, &c.* Quibus euidenter probari putat Suarez contra Durandum relationem in Verbo esse rationem terminandi habitudinem naturæ humanæ ad Verbum: est tamen expositio æquè dura, ac mutilata est Conciliorum citatio: Concilij siquidem Toler. 6. verba sunt, *& cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis; solus tamen filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in vnitate naturę, idest in eo, quod proprium est filio, non quod commune est Trinitati.* Hę: ibi, quibus tria docemur; primum, actionem huius operis communem esse tribus; secundum, solum filium incarnatum; tertium, vnionem factam in hypostasi, non in natura; quæ omnia gratis concedit Durandus,

Essentia non est ratio formalis terminandi.

Sexta Synodus

Suarez reijcitur.

Conc. Toletanus 6.

dus, an autem natura, an hypostasis fuerit ratio formalis, qua relatio terminaretur ad Verbum non docet Concilium; atque idem omnino licet mutatis verbis repetit Toletanum 11. *in confessione vera fidei*. Rursum sextæ Synodi verba sunt. *His* (loquitur autem de operationibus Verbi in Carne) *namque Pater, & Spiritus nulla ratione communicant, nisi quis dixerit secundum benignissimam misericordem voluntatem, &c.* Quæ verba imprimis ad rem non faciunt; quia passio, & operationes Christi, de quibus ibi loquitur, vtique secundum voluntatem dumtaxat à Patre pendebant, & Spiritu Sancto: at an humanationis habitudinis ratio terminandi fuerit Verbi persona, an natura; nec meminerat Concilium. Quid, quod nec Concilij sunt illa verba, sed ex codicillo S. Dionysij Episcopi Athenienfis, & Martyris?

Conc. Tolet. 11

Sexta Synodus

7 Hæc dixisse volui, ne quam pati possent Durandi, ac Varronis sententiæ censuram, contra quos vrget egregiè Scoti ratio *d. 1. q. 5. lit. A.* In quocunque supposito est ratio formalis terminandi hanc humanæ naturæ pendentiam, ipsum vtique terminat: at in Patre, & Spiritu Sancto est ratio formalis terminandi; ergo vterque terminat, & sic ne dum Filius, sed duæ aliæ Personæ diuinæ inhumanatæ dicendæ erunt. Conclusio est falsa, ergo altera præmissarum saltem falsa, non equidem maior; quia suppositum non terminat hanc habitudinem, nisi quia habet rationem formalem terminandi; alioquin esse posset ratio formalis sine effectu formali. Minor autem est desumpta è sententia Varronis, & Durandi. Si quidem essentia, quæ secundum ipsos est ratio formalis terminandi, æquè est in Patre, & Spiritu Sancto. Nec satis est, inquit, Scotus, asserere proprietatem personalem esse rationem sine qua nō, non autē formalem terminandi; quia argumentum propositum vrget, nequit enim agens formale agere per id, quod est posterius, vel simul natura cum termino; sed illud est principium, & ratio agendi, quod est prius natura, quam actio, vel terminus productus. Nec etiam est satis dicere relationem identificari cum essentia, proinde æquè bene vnum, ac alterum posse dici rationem formalem terminandi, quoniam & si idem sint omninò realiter, formaliter tamen diuersa sunt, vt in primo dicebamus; at formalis distinctio satis est ad verificandum quid de vno, quod nequit verificari de alio. Demum nec satis est dicere, quod essentia est ratio formalis, non tamen in Patre, nec in Spiritu Sancto, sed in Filio; quia alio modo est in Filio, quam in Patre, & Spiritu Sancto; quoniam insurgit Scotus. Iste modus diuersus se habendi in essentia est tantum relatio rationis; at vnio est relatio realis, expetitque proinde realem terminum, & realem rationem terminandi.

Explicatio sententiæ Durandi, & Varronis

Argumentum Scoti

8 In hac tamen responsione obserua Scotum dubitatiuè locutum, & ex communibus potius, quam ex propriis; dubitatiuè, inquam: ait enim *Quia, si ista Vnio sit realis, habet terminum realem, &c.* Quomodo autem vnio sit relatio realis ex parte vnius extremi, nos diximus. Ex communibus etiam locutum patet ex iis verbis. *Contra hoc dupliciter potest argui, &c.* Si enim ex propriis locutus fuisset, vtique dixisset. *Contra hoc dupliciter arguo*, vel *Contra simpliciter*. vt eius est in more positum. Hoc dixisse volui, quia, si verè realem relatiuum terminum relationis creaturæ ad Deum, in Deo agnoscas; cum terminus ad fundamentum referatur; fieret fortè mutua relatio, quæ nullo modo potest esse in Deo, propterea Scotus *in 3. d. p. q. 1. lit. A.* vocat hanc vnionem relationem disquiparantiæ, realem scilicet in vno extremo, cui in altero nulla realis relatio respondet; & si in *1. sent. dist. 30.* asserit relationes creaturarum ad Deum habere terminum realem in Deo absolutum, hoc ita intellige, non quasi verò illa realis terminatio in Deo dicat quid nouum reale formaliter; alias noua accedente hac terminatione mutaretur Deus, is enim qui prius non terminabat realiter, realiter terminaret, quod falsum est, si terminare diceret quid reale nouum in Deo; sed ita intellige, vt relatio illa realis creaturæ realiter respiciat Deum pro termino nihil noui in hoc respectu habentem, præter extrinsecam denominationem, quæ est quid rationis ad summum; licet ipse-

Scoti dicta explanantur.

Quid dicat terminatio relationis creaturarum in Deo.

met

met Deus realiter, vel ex relatione in creatura, vel ex absoluto antiquo dicatur talis, puta creator, vel substentator. Et sicuti de termino, ita de ratione formali terminandi specolare, ne putes hanc rationem terminandi esse quid reale nouum in Deo, sed illud idem æternum siue natura, siue persona, persona quidem secundum nostram sententiam, quam nos concipimus formalem rationem terminandi mutatione facta in humana natura, quę protrahitur ad fundandam realem habitudinem pendentiæ ad Verbum; vnde potius petendum esset, quid nam humanę naturæ pendentis relatio respiciat pro termino formali in Verbo, quam quid sit ratio formalis terminandi in Verbo: & mi herclè hæc difficultas de immutatione Verbi, qua constantissimè fatemur ex fide edocti Verbum omnino immutari posse, tanta est in hoc mysterio, vt vix illam capere humanæ nostræ mentis acies queat, quamuis distinctione de mutatione in humanitate argumenta liceat quoquomodo dissoluere; suppleb it tamen imbecillum mentis captum superna fides.

9 Assero secundo: rationem formalem terminandi respectiuam, de qua loquimur, in Verbo esse proprietatem relatiuam Verbi. Elicitur ex superiori; quoniam, nisi essentiam hanc rationem formalem constituas, relationem constituas necessum est: nihil enim aliud nancisceris in Verbo; nisi velis asserere, quod vel essentia, & relatio simul sit hæc ratio terminandi, vel *Hic Deus*, seu indiuiduum Deitatis. Si primam dixeris, qua ponis essentiam esse formalem rationem terminandi, argumento superioris asserti eluderis; qua verò relationem ponis, nobiscum senties; vtrumque enim exęquo esse hanc formalem rationem nemo dixerit; nam semper superesset petendum, quonammodo fieri posset, vt duo saltem formaliter ad inuicē distincta essent vna formalis ratio terminandi? & rursum, quonammodo eadem Verbi persona; quæ proprietatem, seu relationem personalem, & essentiā dumtaxat complectitur, posset esse simul ratio formalis terminandi, & terminus huius relationis? Si dixeris, quod *Hic Deus* est ratio hæc terminandi; vt planè

Proprietas relatiua est ratio formalis terminandi.

Et probatur

visus est sensisse Durandus; constituendum est tibi pariter tres personas ęquè dici posse incarnatas, quia hic Deus est communis tribus & proinde, cum Pater sit hic Deus, Pater erit inhumanatus habens in se rationem formalem terminandi relationem dependentiæ.

Hic Deus non est hæc ratio

10 Quod si cum Durando asseras idcirco id non sequi, quia proprietas Patris humanitati vnita non est, ex sententia dilaberis proprietatem personalem statuens rationem hanc, quam petimus; si enim, eo quod proprietas vnitur, vel non vnitur, dicitur persona Incarnata; planè deducitur proprietatem, non essentiam esse rationem terminandi vnionem: licet etiam perperam asseratur proprietas vniri, cum è conuerso natura humana proprietati, & supposito vniatur, illi quidem vt rationi, huic autem vt termino habitudinis.

11 Præterea ad assertū. Si quid impedimēto esset, quominus posset relatio, seu proprietas relatiua ratio esse terminandi vnionem; hoc præcipuè esset, quia ipsa nō continet virtualiter perfectionē cuiuslibet personæ creatæ, vt propterea supplere nequeat vicem personæ creatæ: at hoc non obstat, quia virtualis continentia non exposcitur; alioquin melius essentia esset hæc ratio, quia essentia virtute continet omnes perfectiones rerum ex sua formali infinitate, persona autem ad summum si continet, non continet ex formali infinitate, quam non habet, sed ex infinitate identica naturę, quam habet: insuper non hæc est dependentia causati ad causam, in qua exposcitur in termino continentia virtualis, sed est dependentia alterius ordinis, vt dictum est *in disputat. de possibilitate inhumanationis*; propterea labitur Suarez vtrumque nactus in personalitate diuina; nimirum formalem continētiam, & formalem infinitatem, de qua re suo loco dictum est.

Probatur secundo

12 Neque Suarezij oppositio quicquā valet aientis, mirum videri sibi, quod personalitas humana perfectionē dicat, diuina verò non dicat; nam hæc eius admiratio desinit in illorum opinione, qui personalitatem creatam in negatione constituunt: negatio siquidem nullam perfectionem dicit; in eorum verò sententia, qui personalitatem positi-

Suarezij oppositio nulla.

sitiuo etiam completi aiunt. Deficit admiratio pariter, quoniam id positiuum non aliam perfectionem, quàm entitatiuam dicit, quæ in nullo ente desideratur; adde perfectionem hanc, siquam positiuum illud in nobis dicit, supplere imperfectionem potiùs naturæ, quàm formalem aliquam, & absolutam dicere perfectionem.

Solius Verbi proprium est assumere

13 Assero tertiò ex his, solũ Verbi proprium esse assumere naturam humanã, quod petit capitis nostri titulus. Hoc assertum ex superiori elicitur; constito namque assumere nihil aliud esse in Verbo, nisi terminare dependentiam humanæ naturæ ad ipsum, rursumque constito in Verbo esse rationem formalem terminandi hanc habitudinem, quæ ratio in alijs desideratur personis; sufficienter elicitur solius Verbi esse proprium assumere. Porò, quòd sola filiatio sit ratio terminandi, etiam si à priori ostendi nequeat, saltem ija persuadetur coniecturis, quas sub ipso capitis initio cribrauimus. Atque ex his omnibus facilè aliorum obiectis præcipuè Durandi obuiam itur, quæ referunt, ac diluunt alij.

Quomodo in humanitate existant Pater, & Spiritus sanctus

14 Vnica hoc loco animũ pulsat obiectio. Si Pater, & Spiritus sanctus assumpsisse non dicuntur humanam naturã non habentes rationem formalem terminandi, an saltem speciali quodam modo existant in hac humanitate assumpta, præter illud genericum existẽdi in rebus modum per potentiã, præsentiam, & essentiam? Nullibi, quod viderim, obiectum hoc tetigit Scotus, sed nec Scotistæ, licet aliqui pariformiter philosophandum in hac re putent, ac in Sacramento Eucharistiæ, in quo sentiunt plerique per concomitantiam esse Patrem, ac Spiritum sanctum, & proinde Bonacina *disp. 2. quæst. 3. punct. 1. nu. 5. & seqq.* autumat speciali modo esse Patrem, ac Spiritum sanctum in hoc mysterio; an autem per concomitantiam, an nouo modo? Primò videtur concedere, quòd per concomitantiam: deinde, quòd nouo modo; ab ipso tamen hic modus nouua nõ explicatur.

Opinio Bonacinæ

15 Arguit autem ad opinionem suam trifariam: primò, quia vbi est Verbũ, est Diuinitas: vbi Diuinitas, ibi tres personæ diuinæ: ergo vbi Verbum, ibi aliæ tres personæ; & proinde existente in hoc mysterio Verbo aderunt & Pater, & Filius. Secundò, vbi Deus singulari modo operatur singulari modo existit; sed Sanctissima Trinitas singulari modo operatur, in humanitate Christi, & eam sanctificat, & excellentiori modo, quàm per gratiam habitualem suum efficit templum; ergo tota Trinitas singulari modo est in humanitate Christi. Tertiò, quia Sanctissima Trinitas speciali modo per concomitantiam existit in Sacramento Altaris; ergo & in humanitate; & ex hoc deducitur Bonacinam sensisse Patrem, ac Spiritum sanctum in hoc mysterio esse per concomitantiam. Demum affert auctoritates; primã Ioan. 14. *Pater in me, & ego in Patre.* secundã Augustini *serm. 3. de temp. Filius suscepit carnem, sed non deseruit Patrem, nec se diuisit à Patre, suscepit carnem in proprietate, sed tamen Pater, & Spiritus sanctus non deficit in Maiestate, &c.* Hanc eandem sententiam ante Bonacinã tradiderat Suarez *disp. 12. sec. 1.* & post ipsum Martinus Becanus *cap. 4. de Incarn. quæst. 1.* qui eam desumpserant à Gabriele Biel *lect. 42. in Canonẽ Missæ.* Si quis autem à Suarezio petat, quid hæc præsentialitas addat humanitati, vel diuinis illis duabus personis? Planè nihil addere respondebit.

Rationes Bonacinæ

Ioan. 14

Aug.

Suarez
Becanus
Gabriel

Opinio prædicta reijcitur

16 Videtur mihi hæc Suarezij, ac Bonacinæ opinio contra veteres Scholasticos inuenta omninò improbabilis: siquidem, sine vllo fundamento modos præsentialitatis diuinarum personarum in rebus comminiscitur, præter illos per immensitatem, seù potentiam, præsentiam, & essentiam, quos gratis augere non licet, ne multiplicitas sine necessitate fingatur. Porro satis esse modos illos hinc puta, quod argumenta ipsorum extra limites modorum illorum non egrediuntur, addito modo illo cœlesti in existendi diuinarum personarum ad inuicẽ in se ipsis, puta per circumincessionem. Hanc enim circumincessionem suadet prima argumentatio Bonacinæ, quam non in hoc mysterio, neque in sacramẽto altaris iremus inficias; in quo falsum est Patrem, & Spiritum sãctum esse per concomitantiam; licet Diuinitas sit per concomitantiam, quia est præsentia-

liter

liter Verbum, in quo est diuinitas, seu est præsentialiter corpus Christi, quod fuit diuinitati vnitum in Verbo; ex præsentialitate autem diuinitatis per concomitantiam non infertur eademmet præsentialitas aliarum personarũ, nisi quatenus persona vna est in alia per circumincessionem. Atque ex his habes occursum 3. Bonacinæ argumento, Secundum autem præsentialitatem per potentiam ad summum conuincit, quam nemo fidelis negaret, vbi enim Deus operatur ibi est per potentiam, qui cum operetur vbique, vbique est per potentiam, & excellentior operandi modus intimitatem ad summum maiorem per operationem argueret; neq; tamen putes Deũ esse in loco per operationem, sed manifestari potentiam eius, eiusque intimitatem per potentiam ex operis, quod patrari ergo pariformiter de præsentia Patris, ac Spiritus sancti in humanitate, ac in Eucharistia loquendum est; certè, cum in Eucharistia Pater, & Spiritus sanctus non adsint pariformiter, ac filius, qui solus carnẽ sumpsit, sed per circumincessionem, quomodo sunt personæ in se ipsis; ita in humanitate duæ illæ adsunt personæ diuinæ. S. Thomas vtique alium modum ab ijs per præsentiam, essentiam, & potentiam, & gratiam habitualem neglexit in p. p. q. 43. Scotus autem alium ab ijs non numerat *d. 37 p. sent.* & Cardinalis Vgo ab ipsomet Suarezio citatus in *speculo Eccl.* dilucidè negauit præsentialita e Patris, & Spiritus sancti in Eucharistia per concomitantiam. Quid, quod Tridentina Synodus *sess.* 13. *cap.* 3. docuit diuinitatem esse in eo sacramento per concomitantiam, nullum faciens de ijs personis verbum? quod est argumento nullam agnouisse præsentialitatem nouam. Doctrinam hanc tradidit ex nostratibus Faber *in 4. disp.* 38. *cap. 1. num.* 8. constituens adesse in Eucharistia Patrem; & Spiritum sanctum, cum adsit per concomitantiam diuinitas; non autem adesse illas duas personas alio modo, quam adsint in seipsis per circumincessionem; vt plane is Auctor nobiscum sentiat, vel nos cum ipso in hac re sentiamus; quamuis non de Incarnatione, sed de Eucharistia loquatur solum Faber.

Soluuntur argumenta Bonacinæ.

S. Thom. Scotus. Cardinal. Vgo.

Consentit Faber.

17 Contra doctrinam asserto tertio positam subrepit dubium, quod peculiari capite disceptandum proponere decreueram, in re tamẽ nõ admodum in controuersiam posita breuibus asserere ad hunc locum redigendum murato proposito curaui; id autẽ est; nequite sine scrupulo asseri personæ proprium esse assumere, cum & ipsa etiam diuina natura assumere queat.

An diuina natura possit assumere

18 Notanter diximus propositam difficultatem non multa controuersia agitari; quamuis enim Alexander Alensis *3. p. q. 2. memb. 3. & q. 7. memb. 1. art.* 3. & post ipsum S. Bonauentura *d. p. q. 1. art.* 3. negare videantur diuinam naturam posse humanã ad se sumere; id certè non ex alio concludũt principio, nisi quia, cũ vmo nequeat intelligi sine subsistentia, visumque ijs fuerit diuinam naturam, vt abstrahit à personis nullã habere subsistentiam; consequenter locutis visum est in proposita difficultate negare: quo etiam fundamento Recentiores pleriq; negarũt, è quorum numero est Vasquez *disp. 27. cap.* 2. Becanus *q 2. cap.* 4. & Bonacina *loco supra citato punct.* 2.

Negat Alensis S Bonau. Vasquez Becanus. Bonacina

19 Nihil ò tamen minus cõmunis est sententia affirmãs, ita S. Tho. *3. p. q. 7. art. 7. in solut.* 1. Scotus *in 3. dist. 1 q. 2. litt. B,* Gabriel *in 3. dist. 1. art. 3. dub.* 4. Suarez *disp. 13. dist.* 1. Aluarez *q. 3. art.* 3. Faber *disp.* 4 *art.* 4. Neque proinde veritas postremæ nostræ assertionis in hoc capite tollitur; tum quia non de Incarnatione iam facta hic loquimur, sed de possibili, in qua tota ratio facti est potestas facientis, non autem potestas, aut humanæ mẽtis captus; tum etiam, quia veritas istius dubitationis enucleata ne modico quidem superiori assertioni detrimento erit; enucleatur autem ex supposito quodam primo alias fortè, Deo dante, vberius explicando; est autem, diuinam naturam ex vi suæ absolutæ perfectionis subsistentiam haud quaquam à personis emẽdicare: id docet Scotus *in 1. dist.* 26. *littera Aa,* & *in 3. dist. 1. litt. C,* & *dist. 5. q. 1. & alibi,* & videtur aperta esse Augustini sententia *7. lib. de Trinit. cap. 4. &* 5. aientis, diuinam naturam ad se subsistere; cuius rei rationem reddens, *nam omnis* (inquit) *Substantia ad se subsistit, quanto magis Deus?* Nomine autem subsistentiæ hoc loco nõ existentiam per se incõmunicabilem intelligimus; quomodo locuta,

Affirmat Scotus. S. Thom. Gabriel, Suarez. Aluarez Faber.

Obseruatio notabilis ex Scoto & August.

cuta pleraque Concilia, & Patres solis personis subsistentiam referunt; sed subsistentiæ vocabulo id omne intelligimus, quod in se, & per se existit cum toto complemento substantialis existentiæ; quamuis illud communicabile sit, quo sensu nescio, cur Alensis, ac S. Bonauentura subsistentia essentiam diuinam spoliatiur, cum dilucidè constet diuinā illam beatam naturam in se, & per se completè existere, ac proinde subsistere, quamuis communicetur personis, à quibus tamen in propria subsistentia absolutanon pendet, illam, vt diximus, ab alijs quasi emendicando.

Obseruatio, altera.

20 . Secundo enucleatur hæc veritas, adnotando cum Gabriele, *loco citato*, quod licet vnio, & assumptio indiscriminatim in hoc opere vsurpentur, ad inuicem tamen differunt: vt nos etiam sub hatum elucubrationū vestibulo diximus, propter primarium vocum ipsarum significatum: multoquè magis differunt vniri, & supposìtari; nam vniri præcisè dicuntur, quæ cum alio conueniunt siue ad cōflandum tertium, siue è conuerso, siue alio quouis modo; suppositatio autem vnionem illam dumtaxat exprimit, quę est ad suppositum naturam substentans; proindè non æquè de vno, ac de altero verbo diffiniendum erit.

Quid sit vniri. Quid suppositari.

21 Hisce igitur suppositis nullam video implicantiam, quo minus dicatur posse diuina natura ad se sumere humanā; nō enim aio assumi naturam in singularitate personæ, aut suppositari à diuina natura; quia nemo dat, quod non habet; ipsa igitur diuina Essentia incommunicabilitatem non habens, nequibit illam naturæ humanæ in casu proposito impartiri; sed si suppositanda illa esset natura, suppositaretur vtiqsā personis, nō à diuina natura, vel remaneret certè impersonata, atque solum athoma, & singularis: sed aio impossibile non esse, vt diuina natura vnionem terminaret humanæ, quæ sibi vniretur; non quidem in vnitate personæ, quia formaliter natura non est persona, neque in vnitate naturæ, quia vtraque natura remaneret impermixta; sed in vnitate vnionis, qua vnione diuina natura humanam substētare diceretur. Huius potissima est ratio diuina potestas, quæ nulli alligatur legi, quippequę infinita finito limite non circumscribitur, quis igitur illius potestatem circumscribet, aiendo illam naturā aliam sibi vnire non posse? Neque faciendus est transitus ad suppositationē, cum, vt dictum est, latum sit inter vniri, & suppositari discrimen; neque etiam ad imbecillitatem humani ceptus recurrendum est, quia ratio facti in hoc mysterio est sola facientis potestas, neque id solum potest Deus agere, quod homo potest capere.

Authoris placitum

Vnitas vnionis

22 Hinc ruunt omnes Bonacinæ ratiociniationes transeuntes ab vnione ad personationem: ait enim primò requiri ad assumptionem duo: primum quidem vnio est; secundum autem terminatio incōmunicabilis, quæ duo desiderarentur in proposito casu; primum, quidem, quia quoties duæ naturæ præcisè spectatæ vniuntur inuicem, ex ijs cōstituitur vna totalis natura, est enim impossibilis vnio substantialis sine constitutione tertij at vnam totalem naturam ex diuina, & humana conflari impossibile est; quare & vnio impossibilis; secūdū verò deficeret; tū quia nō subsistēs nō potest terminare, in diuinis autē solæ relatiuæ subsistunt, ergo essentia, quæ nō subsistit, non potest terminare; tum etiā quia terminans debet esse incommunicabile, at essentia cōmunicabilis; ergo terminans esse non potest. Hæc est in vniuersum Bonacinæ rationis conflatio, in qua nihil non falsū assumitur. Concedo enim in primis in casu nostro expeti vnionem, nego expeti terminationē incomunicabilis; hæc enim terminatio ad vnionem in hypostasi requiritur; non ad vnionem in natura: & probatio eius ad hanc partem leuis est, quia subsistentia relatiua vtique est solum in diuinis triplex, at subsistentiam quoque absolutā Deitatis nanciscimur ibi. Ad probationem primi bellè æquiuocat hic auctor, non enim ex duabus naturis vnitis fit tertium, nisi illæ vniātur vt actus, & potentia, quod non euenit in proposito, in quo naturę illæ dicerentur vnitæ in vnitate vnionis, non suppositi, vel naturæ; quod si vnio dicatur substantialis; loco de hac re proprio responsum præstitimus. Occasione argumenti Bonacinæ de compositione ex duabus naturis sequens caput ad hunc locum fero.

Argumentum Bonacinæ.

Diluitur.

AN CHRISTI PERSONA possit dici composita.

CAPVT II.

23 Litem vniuersam cum Recentibus agitamus; siquidem Classici Theologi, & antiquiores scholastici vnanimi consensu negant, Christi personam vllo modo compositam, est enim vna, & eadem in hoc mysterio Verbi simplex persona, neque vllæ inuicem naturæ commixtionem patiuntur, ità vt Christi componatur ex ijs, & ex Verbi subsistentia persona; hanc doctrina tradidit Scotus in *3. dist. 5. q. 3. littera* A, Sanctus Bonauentura *dist. 6. art.* 2. *q.* 2. Durandus, Richardus, Gabriel, & Antiquiores omnes; nec distat S. Thomas *3. p. q.* 2 *art.* 4. *tum in corpore, tum in solutione secundi*, vbi docet talem compositionem non esse ratione partium, sed potius ratione numeri; sicut omne id, in quo duo conueniunt, potest dici ex ijs compositum, quibus potest impropriè compositionem admitti. E contra Recentiores, quorum Principem in hac re Suarezium inuenio *3. p disp. 7. sect.* 4. cuius doctrinā imitati sunt Vasquez *disp.* 16. *nu.* 1. Becanus *q. 3. cap. 6.* Lugo *disp. 10. sect. 3. nu. 3. & seqq.* Bonacina *disp. 2. q. 5. punt. 3.* simpliciter tenent Christi personam, & esse, & dici posse compositam: additq; Turrianus *part. 3. select. disp. disp. 31. dub.* 29. opinionem Scoti esse falsam, improbabilem, neque carere temeritate.

Negat Scotus. S. Bonau. Richard. Gabriel, S. Thom. Durandus.

Affirmat Suarez. Vasquez Becanus. Bonacina Lugo. Turrianus,

24 Hachusque hæc controuersia fuit nominalis dumtaxat; supposita namque vera compositi nominis energia, facillimè veritas apperiebatur; at nunc temporis de re iuncta nomini controuertimur. Vt litem autem dirimamus, obseruandū primo, quid sibi Christi nomen sonet.

25 Christi igitur vocabulū à Chrismate deductum, quod vnctū significat, designat eandem vnam diuini Verbi personā in duplici natura subsistentem, diuina videlicet, & humana; in diuina, quam habuit æternaliter communicatam à patre; in humana, quam temporaliter à matre sumpsit; in ea, quā habuit primo, in hac aduenticia; porrò dum naturam humanam aduenticiam, seu extraneam Verbo dicimus, non ita sentimus, vt accidentaliam illam Verbo dicamus esse, accidentale communicantem Verbo; nullum enim esse nouum recipit Verbum à natura assūpta, at potius natura assūpta esse nouum recipit, quæ, dum à propria personalitate supponitanda erat, ad Verbi suppositationem pertracta fuit; Verbū ergo in hac duplici natura subsistens dicitur Christus, quod planè apertis tradit verbis Augustinus *cōtra Maxim.* aiēs *Christum esse vnam personam geminæ subsistentiæ*, itidemque docuit Damascenus à Magistro citatus *dist.* 7. *huius* 3. isque idem Christus eadēmet est Verbi persona, quæ ab æterno fuit, quamuis dicatur Verbum non semper fuisse Christus, quia non semper subsistens fuit in duplici natura; at hoc subsistere nihil est præterea nisi relationem pendentis naturæ terminare, si subsistere ad humanitatem referatur.

Christi nomen quid significet.

August. Damascenus.

26 Secundo notandum, compositum, & simplex ex æquo pugnare: sunt enim affectiones entis, seu differentiæ entis; Entis eiusdem partientes naturam, sicut vnū, & multa; quapropter sicut implicat idem omnimò ens inuariatum esse vnum & multa simul, quia esset simul, & non esset vnum, quod contradictionem inuoluit; ita pugnat idem esse simul inuariatum omnino simplex, & compositū; est tamē maximè considerandum, compositi nomen bifariam posse spectari, primo latè, & impropriè, secundo strictius, ac propriè. Diuisio hæc ex ipsa nominis energia sumitur; quia enim *compositio* cōpositum est nomen à *con*, & *positione*, eæque particulæ significāt plurium rerū positionem simul, & hæc positio pluriū rerum ad inuicem contingit bifariam; vno modo, si res nullum habeāt ad se inuicem ordinem ad constituendum tertium, alio modo, si inuicem ad conflandum compositum conspirent; hinc illa impropria, hæc vero propria nuncupatur compositionis nominis energia, ac significatio; quod fortasse indicare voluit Durādus *in 3. d. 6. q. 3.* dū cōpositionem secuit in eam, quæ est huius ad hoc, & eam, quæ est huius ex hoc; priori significato latè compositionis vocem, posteriori vero strictè, ac propriè sumens. Compositio autem propriè sūmpta duplex est, quædam Physica, quædam metaphy-

Obseruatio secunda.

Compositum, & simplex affectiones entis.

Durandi distinctio approbatur.

taphysica, & illa quidem duplex, altera accidentaria, secundum quam Ioannes albus compositus dicitur ex substantia, & accidente albedinis; altera substantialis, qualis est compositio ex materia, & forma.

Obseruatio tertia. 27 Notandum est autem, quod etiam accidentalis compositio est ex materia, & forma, quia Ioannes albus sic se habet, vt substantia eius sit quasi materia, albedo quasi forma: at in substantiali compositione potissimum dicimus compositionem esse ex materia, & forma, quia in hoc materia, & forma sumuntur propriè pro partibus internis compositi Physici. Metaphysica verò compositio, vel est ex genere, & differentia, vel ex actu, & potentia, ad quam etiam Thomistæ redigunt compositionem ex esse, & essentia. Aliam compositionem ab ijs diuersam haud quaquam inuenies, cæteræ enim, si quæ sunt, ad alteram prædictarum reuocantur; hinc compositionem in nobis ex natura, & supposito nō excedere compositionem actus, & potestatis facilè dixerit, qui pro certo sibi constituet, personalitatem habere se ad instar actus, naturam verò ad instar potestatis. Hinc etiam habes, quod si plura in vnum congerantur, quorum nullum est vel actus, vel forma, nec est materia, vel potestas, ibi compositio nulla vera, vt patet in lapidū aceruo, quos vtique compositos dixero, hoc est simul positos; quia vna simul ponuntur, at nō verè compositos, nulla vera existente compositione; dum nullus lapis ad alium relatus habet vicem actus, aut potestatis; nullus vicem formæ, aut materiæ; nec vnitas ibi aliqua vera, nisi aggregationis, & numeri, non autem vera vnitas per se, quæ est entis per se affectio, dum nullum ibi vnum per se ens compositum resultat.

28 Ex his assero primo, Christi personam nullo modo posse dici verè compositā, proindeque etiam logicè hanc propositionem: *Christus est persona composita*, esse omninò falsam. *Assertio prima negans Christi personam esse compositam.* Assertio duplici est costituta particula, vt & factum, & rationes aduersariorum eneruaret asserentium Christum esse compositum quoad rem; quoad veritatē etiā propositionū hanc logicè esse verissimam, *Christus est persona composita*. Vtramque probabo; primo primam. Vera compositio, vel est actus, & potestatis, vel materiæ, & formæ, & genericè perfectibilis, & perficiētis siuè physicè, siue metaphysicè: At in *Probatur prima pars.* Incarnationis mysterio nihil actus, nihil potestatis, nihil materiæ, nihil formæ gerit vicem propriè; ergo propriè nulla compositio. Maior obseruatione secunda decursa est, estque penitus è phylosophia decerpta, nullū aliud cōpositionis genus agnoscente; nisi compositionem per accidens comminiscaris, de qua nec nos, nec Aduersarij digladiantur. Minor probatur, quia nec persona est actus naturæ humanæ in Christo, nec è contra; non equidem persona Christi est actus naturæ humanæ, quia esse actum dicit perfectionem; cum ergo Christi persona ante Incarnationem non fuerit actus naturæ, si cœperit naturam perficere, & actuare ex tempore, & ex tempore etiā nouam acquisiuisset perfectionem; quod indignum est omninò asserere, nec vllo possumus modo diuinam Christi personam à mutatione vindicare, si quæ non erat actus, & perfectio cœpit fieri actus, & perfectio. Faber hoc etiam modo *Fabri lapsus, vel mendum in eius littera.* *disp. 12. 3 sent. cap. 2.* contra Suarezium inuehitur, & in minori probare intendit esse actum dicere imperfectionem, quod certè inauditum est in phylosophia, quæ propterea formam actum nuncupat, quia entelechia, & perfectio est: argumentatur igitur Faber ex opposito sensu; nisi fortè mendum in Fabri littera admittere malis. Rursum, quod natura nequeat esse actus personæ, sole lucidius patet, cum nec persona sit quid potentiale, ne dicatur, quod absit, imperfecta; nec persona sit, quæ eleuatur, & sustinetur, sed conuersò, natura.

29 At fortè quispiam cum Suarezio obuiue argumento huic erit, negando illos esse duntaxat cōpositionis modos; *Præoccupatur Recentium responsio.* cum detur insuper compositio ex natura, & personalitate. Sed prætereà quem, quod edisserendum est Aduersario, quonammodo se in hac compositione habeant natura, & persona: numquid alterum vt actus, alterum vt potestas; numquid vero tamquam distinctæ partes nullum ordinem inter se, & ad aliud habentes? si tamquam actus, & potestas se habent, iam argumentum vim haben si vt partes sic distinctæ absque ordine; vt rū

vera

vera respondet Lugo; iam hæc compositio non excedit limites, ac genus compositionis per accidens, eruntque partes velut lapides coaceruati, quod cōcedere verentur Aduersarij. Præter hæc (inquam) adhuc producta responsio Suarezium proprijs, vt aiunt, iaculis confodit; is enim in metaphysicis *disp.* 34. *sect.* 4. compositionem ex natura, & persona redegit ad compositionem ex actu, & potestate. Qui si dixerit se locutum ibi de humanis solum, nunc vero se loqui de diuinis; non quiesco: sed sciscitor, numquid personalitas in hoc mysterio perficiatur à natura, an perficiat naturam; numquid verò nec perficitur, nec perficit? quod perficiatur ab humana natura diuina personalitas nec sōniaēt Scholastici: vel ergo personalitas naturam perficit tantum, vel nec perficit, nec perficitur; si nec perficit, nec perficitur, ergo ad illam nullum habet ordinē actus, vel potestatis, si perficit, vt ipse tetur Suarez; ergo, cum perficere sit proprium actus; diuina personalitas verus erit actus humanæ naturæ, quod supra improbauimus.

Soluuntur obiecta Suarezij.

30 Et confirmatur assertio: quia verè cōpositum est illud, quod est aliquod vnū verum distinctum à partibus componentibus: sed ex diuina personalitate, & humana natura non resultat aliquod vnum verum distinctum ab illis, ergo nullum verè compositum. Maior ex ipsa compositi ratione patet. Minor de Christo toto, quem resultare putant Aduersarij ex duplici natura, & personalitate Verbi, difficultatem pari pollet; quam tamen enodabimus infra. Nititur Suarez vim huius confirmationis infringere, asseuerans hoc argumento opprime probari hanc compositionem non esse factam inter ipsas naturas, non vero probari infectam inter naturam humanam, & personam; ex qua resultauit vnū quid aliquo modo distinctum ab humanitate, & deitate, nempe hunc hominē Christum. Sed hoc est apertissimum subterfugium; cur enim argumentum valeat de naturis, non autem de natura, & persona; gratis respondet Suarezius: immò sibi ipsi contrarius est, vel saltem sese ipsum non capit, dum ait, resultare vnum quid à Diuinitate, & humanitate distinctum, cum tamen neget naturas

Confirmatur assertio.

Respondet Suarez.

esse partes componentes, sed humanitatem, & personalitatem tantum: argumentum autem concludit compositum debere esse quid distinctum à partibus suis componentibus, non autem ab alijs, de quibus nec nos laboramus, nec eas ipsum respicit vt partes. Denique hunc hominem Christum resultare ex ijs per quā falsum est, nā hæc humanitas singularis ex Virgine habetur, non ex personalitate Verbi; Christus etiam nihil prætérea dicit, nisi suppositum Verbi in duplici natura; ergo quid ex humanitate singulari, & personalitate Verbi resultet, nec ipse Suarez (me iudice) intelligit. Cōcludendum igitur omninò falsum esse, Christi personam esse compositam.

Confutatur.

31 Præterea. Persona Christi, & persona Verbi eadem est omninò, cum non sit in hoc mysterio multiplicitas personarum; sed persona Verbi simplex est, ergo & Christi. Maiorem ex fide constitutam nemo negaret; eoque id magis, quo in superioribus ostendimus, Christi vocabulum nihil prætérea significare nisi Verbi personam subsistentem cum duplici natura. Minorem nec ipsi negant Aduersarij, aiuntque solum eandem personam, quæ erat simplex, fieri compositam. Sed peto, an Verbi persona nunc habens naturam humanam sit æquè simplex, & composita, an tantum composita, non verò simplex? quodcumque dixerint vrgentur, quia idem simul, ac semel compositum, ac simplex esse non potest; fiet enim simul compositum, & non esset compositum, quia simplex; quę duo contradictoriè pugnant; & rursum si quæ erat simplex, simplex non est, mutatur omninò, nec simpliciter potest à varietate vindicari.

Alterum argumentum.

32 Hac difficultate victi Recentiores respondent primo, quamuis eadem sit Verbi, & Christi persona; cum tamen Christus, vltra personalitatem, naturam includat humanam, fieri, vt hæc præpositio vera sit, *Christus est persona composita*; hæc autem non ita concedatur, *Verbum est persona composita*, ac obinde difficultatem realem ad logicalia trahant, vt quoquo modo vim euadant argumenti, ita respondet Lugo *loco citato num.* 9. & Suarez *circa finem sect.* 4. Mox idem Lugo *num.* 12. alio modo respondet, scilicet

Respondent Recentes.

poſt vnionem hypcſtaticam reſultare perſonam compuſitã, quæ perſona compoſita prius non erat, non tamen reſultare aliam perſonam ſimpliciter, ſed ſecũdũ quid, ſcilicet, perſonam cõpoſitã; ſicut per albedinem reſultat Petrus albus, quẽ antea non erat, non tamen reſultat alius Petrus ſimpliciter, ſed alius ſecundum quid, ſcilicet, Petrus albus.

33 At inprimis iſti boni viri extra quæſiti titulum egrediuntur in hac reſponſione, nobiſcum enim petunt, an perſona Chriſti ſit compoſita, mox in reſponſione veritatem propoſitionis huius cribant: *Chriſtus eſt perſona compoſita*, at cribrare deberent hanc aliam, *Chriſti perſona eſt compoſita*, non illam, *Chriſtus eſt perſona compoſita*, in qua perſona compoſita prædicatur de Chriſto, & in noſtra enunciatur compoſitio de perſona Chriſti, vnde eorum propoſitio ſupponit compoſitionem in perſona, quam enunciant de Chriſto, nos autem petimus compoſitionem in perſona Chriſti: quanta autem ſit harum propoſitionum diuerſitas, inde patet, quod, & ſi negetur Verbum eſſe perſonam compoſitã propriè, & impropriè, Chriſtum tamen eſſe perſonam compoſitam impropriè modo dicendo conceditur, propriè negatur: ratio eſt, quia Verbum in prima propoſitione eſt ſubjectum ſignificans ſecundam perſonam, vt ſic: Chriſtus verò in ſecunda ſtat pro Verbo cum addito naturæ humanæ, ſed è conuerſo, hæc propoſitio eſt æquè falſa, etiam impropriè ſumendo compoſitionem, *Chriſti perſona eſt compoſita*, ac illa alia, ſcilicet, *Verbi perſona eſt compoſita*, quia in vtraque ſubiectum ſtat pro eodem præſcindendo ab addito. Non eſt enim perſona illa perſona Chriſti; quatenus additam habet naturam, ſed quatenus perſona Verbi; Chriſtus vero non quatenus Verbum dumtaxat, ſed quatenus Verbum ſubſiſtens in duplici natura conſtituitur.

Reijcitur prima reſponſio.

34 Secunda quoq; reſponſio lata à Lugo corripitur, quia monſtrum eſt in Theologia aſſerere duas eſſe perſonas in Chriſto, quas quidem ille in ſua reſponſione concedit, vnam nimirum ſimpliciter, alteram ſecundum quid, dum ait ex vnione reſultare perſonam compoſitam, quæ prius non erat, quæ eſt alia perſona ſecundum quid à perſona ſimplici, quæ prius erat. Quod ſi ſis intelligat eandem perſonam eſſe ſimpliciter, at dici ſecundum quid diuerſam per compoſitionem. Contra: hæc eadem perſona immutata non poteſt eſſe ſimplex, & compoſita, quæ ſunt differentiæ diuiſiuæ entis; quare vel duas tenetur ponere in Chriſto perſonas, quod eſt Hæreticum, vel mutationem ſaltem ſecundum quid tenetur in vna, eademquè Chriſti perſona concedere, quod falſum eſt; quia nihil ex tempore aduenit Deo. Exemplum quoque à Lugo allatum aptum non eſt: ſiquidem albedo, quæ Petrum album facit alietate accidentali, inhæret Petro; humanitas autem neque ita Chriſto inhæret, cum non informet Chriſtum, neque à Chriſto etiam accidentaliter informetur, neque accidentaliter denominet obinde Chriſtum, ſicuti albedo denominat Petrum.

Refellitur reſpõſio Lugo.

Vrgentur dicta à Lugo.

35 Atqui ex his licebit alteram aſſerti partem probare ſtatuentem logicè propoſitionem hanc falſam eſſe, *Chriſti perſona eſt compoſita*, in hunc modum. Logicè propoſitio falſa ea eſt, in qua id negatur, quod debet affirmari de ſubiecto, vel id affirmatur quod eſt negandum, ex huiuſmodi ſerie eſt propoſitio, de qua loquimur, falſa eſt igitur illa omninò; maior eſt euidens ex illo logicorum principio, quandocumque aptum natum eſt prædicatum ineſſe ſubiecto, affirmatio de eo vera eſt, & propoſitio vera: è contra verò, niſi prædicatum aptum ſit natum ineſſe ſubiecto, negatio vera eſt; quia negatio, & affirmatio ad propoſitionum veritatem, vel falſitatem ex ipſa re menſuram capiunt; quandoquidè non benè intelligitur, quod aliquid de aliquo affirmetur, quod ineptum eſt illi ineſſe. Minor ex dictis elicitur, quibus probatum eſt Chriſti perſonam eſſe ſimplicem, & ſimplicitatem ita eſſe compoſitioni oppoſitam, vt nequeant ambæ de vno, eodemquè ſubiecto affirmari ſimul, ac negari: at in allata propoſitione, *Chriſti perſona eſt compoſita*, compoſitio de re ſimplici enunciatur; ergo an hæc enunciatio ſit veritati conſona, à logicis libenter addiſcerem.

Probatur ſecunda pars aſſerti.

36 Aſſero ſecundo, latè, & impropriè Chriſtum dici poſſe perſonã compoſitã. *Aſſertio ſecunda.*

Notan-

Probatur

Notanter dixi Christum vocari posse latè personam compositam; personam enim Christi esse compositam, enunciando videlicet compositionem de persona nec latè, nec impropriè concesserim; sed personam quoquo modo compositam enuncio de Christo; ob rationem superiori asserto productã. Assertum hoc ea innuunt Concilia, quę sunt Recentium propugnacula, quibus constitui simpliciter putant, Christum esse compositum. huiusmodi est 5. Synodus *act. 8. canon. 4.* quæ habet. *Si quis non confitetur Unionem secundum compositionem &c.* & infra, *vnã subsistentiam compositam &c.* & 6. Synodus *canon. 4. confitemur* (inquit) *Christum ex duabus naturis compositum &c.* & Lateranense Concilium sub Martino Pontifice anathema dicit ijs, qui non confitentur Christum ex duabus, & in duabus naturis substantialiter vnitis vnum. Hoc idẽ innuunt patres omnes pro opposita sententia à Recentibus longo Cathalogo adducti; in quorũ loquutionibus recole doctrinam nostram superius traditam; compositionem scilicet latè sumi pro omni eo, quod cum alio conuenit, licet nullo ordine, & nulla admixtione: vt, dum dicitur Christus compositus, sensus sit, præceptore Scoto *loco citato littera B*, ita verè istas naturas diuinam, scilicet, & humanam esse in Christo, ac si Christi personam componerent; licet nõ componant, nec aliquod tertium ex ijs fiat, distinctis, ac impermixtis remanentibus naturis, iuxta illud Ecclesiæ. *Quod erat permansit, quod non erat assumpsit, non commixtionem passus, neque diuisionem &c.* Vide Scotum *loco citato*, vbi postquam Damasceni authoritatem pro asserto interpretatus est, in extremis penè quæstionis illius verbis concludit verius hìc negari compositionem, quam affirmari. Nunc verò aliorum obiecta pendenda sunt, quamuis illa ad summum huic nostro asserto secundo faueant potius, quã primo obsistant.

5. Synod.
6. Synod.
Conc. Lat

Scoti disceptatio.

Ecclesia in Officio Circumcisionis.

Argumentum primum Suarij.

37 Arguit primò Suarez. Compositum id est, quod ex diuersis constat rebus, sed Christus est vnus ex diuersis constãs rebus, ergo verè compositus. Et confirmatur primo, quia terminus huius vnionis non est simplex, ergo compositus, quia hæc duo immediatè opponuntur. Confirmatur secundo, quia magis cõpositus est Christus, vt hic homo est, quam sola humanitas, quia Christus intrinsecè includit humanitatem, & aliquid aliud. Vrget Ioannes à Lugo secũdam Suarezij confirmationem hoc modo. Implicat, quod resultans per vnionem, seu terminus vnionis sit simplex, si enim fit de nouo, aliquid addit supra id, quod antea erat. Vrget secundo vniuersam difficultatem auctoritate Athanasij in symbolo comparantis hanc vnionem vnioni Animæ, & Corporis ijs verbis. *Nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus.* Hæc ille (subdit Lugo) at ex vnione animæ, & carnis resultat vera humanitas, seu verus homo, verus ergo Christus denuo ex illa vnione resultat. His etiam argumentis, licet secundum formam parum immutatis, vtitur Vasquez, & Bonacina, vt propterea inani labore separatim referenda non sint. Idẽ dicito de Nazario, & Aluarez.

Secundũ ex Athanasio.

38 His tamen occurre breuiter ex præstita in superioribus doctrina. Primo distincta maiori, vel enim res diuersæ inuicem nectuntur, vt actus, & potentia, vt materia, & forma, vt perfectibile, & perficiens; & sic maior est vera, sed falsa minor, vt diximus; vel inuicem nectuntur sine ordine, sed impermixtæ, & diuisæ, sic maior est falsa, & minor est vera; quoniam natura humana vnitur cum diuina in vnitate suppositi, non ratione actus, vel potentiæ, sed distincta, & impermixta.

Respondetur primo argumento.

39 Ad priorem confirmationem negatur antecedens; siquidem eadem illa Verbi persona subsistit in duplici natura absq; vlla sui, vel additione, vel mutatione; sæpius enim dictum est, nõ esse in Verbo ratione huius relationis vnionis, seu dependentiæ humanæ naturæ, quam terminat quidquam denuo additum; nisi fortè relationem rationis; neque Lugo vrgens vrget quidquam, quis enim ei concesserit quidquam in Verbo denuo realiter fieri? Certè Verbum solum terminat hanc habitudinem denuo, terminatio autem nihil nouum reale Verbo additum significat, vt in superioribus tradidimus; cum relatio hæc mutua non sit, sed disquiparantiæ, realis videlicet in vno tantum extremo. Ait relationem realem expetere terminum

realem

realem, etiã ex Scoto *in 3. diſt. 1. q. 5. lit. B.* at Verbum non erat ante terminus realis, nunc eſt terminus realis, quid igitur noui in hac operatione acquirit? Habes in ſuperioribus reſponſum: Relationem pendere à fundamento magis, quam à termino, qui eſt quid extrinſecum; poſſe propterea dici realem; quamuis terminus non ſit realis nouus; & Scotus ibi ex communibus, vt dixi, locutus eſt, niſi manis aſſerere dici terminum realem in ordine ad fundamentum, quaſi ſcilicet ſi poſſet terminus denuo eſſe, denuo eſſet, quantum ex parte relationis, & fundamenti eſt. Sed in propoſito implicat aliquid noui accidere Deo abſque ſui mutatione in eo impoſſibili.

Tollitur obiectio noua.

40 Ad poſteriorem confirmationem diſtinguo, vel enim Suarez præcisè Chriſtum ſpectat, vt hunc hominem, præſcindendo à perſonalitate Verbi, & ab adiũcta Deitate, vel ſpectat vt hunc hominẽ abſque vlla præciſione: ſi primi modo nõ diſſentimus, quia hic homo in Chriſto dicit humanitatem heccizatam, & atomam, & ſingularem, quæ vltra humanitatem principium indiuiduationis, quod eſt vltima realitas eius, ſeù heccitas, dicit; ſed arguitio non facit ad rẽ noſtrã, qui neutiquam conſiderimus hunc hominem ad humanitatem, ſed totum Chriſti ſuppoſitum conſideramus: Si poſteriori modo, negamus Chriſtum eſſe magis compoſitum humanitate, quia Chriſtus nullo modo, niſi latè compoſitus dicitur, humanitas autem ex corpore, & ſpiritu coaleſcit, quorum alterum rationem habet formæ, materiæ alterum; quare confirmatio ſecunda nulla eſt.

Soluitur poſterior confirmatio.

41 Ad argumentum Ioannis de Lugo ab Athanaſij auctoritate deſumptũ. Reſpõſionem qiæ e diſputatione illa, qua cõſtituimus inepta eſſe humana omnia exempla ad hoc deificum opus explicãdum; ſingula enim magis diſſimilia ſunt, quam ſimilia; & præcipuè de allato animæ, & carnis exemplo Athanaſij effati ſumus. Hoc loco dicas tantum ſimilitudinem ab Athanaſio ferri, non penes compoſitionem, ſed penes vnitatem, nõ penes modum, ſed penes factum, ita ſcilicet, vt verè vnus dicatur Chriſtus, quãuis deitatem, & humanitatem cõtineat, quemadmodum verè vnus eſt homo cõtinens animam, & carnẽ; licet in modo vnitionis, & vnitatis ſit diuerſitas, quia illa duo vniuntur, vt forma, & materies, deitas, & humanitas non ita: vnitas ex his reſultans eſt ex partibus vnius tertij, quoniam ex partibus coaleſcit tertium compoſitum, in Chriſto autem eſt vnitas ſimplicitatis in perſona, in qua ex acceſſione humanitatis, quam ſuſtentificat nihil propemodum adiungitur. Atque hæc de capite, ac difficultate vniuerſa: nec enim ſupereſt aliud dicendum contra Turrianũ, quo ignominijs, & cenſura potius, quã ratione laceſſimur; eoque id magis, quod Scotus non omnem compoſitionem à Chriſto ablegauit, ſed propriam dumtaxat, compoſitionem impropriè admittens modo præexplicato; vt videre poterat Turrianus apud eum.

Satisfit Lugo.

Turrianus ratione non arguit.

AN PLVRES PERSONÆ POSSINT *eandem aſſumere naturam.*

CAPVT III.

42 VIdimus hucuſquè Verbi perſonam dumtaxat humanam ſibi hypoſtaticè vniuiſſe naturam, nec tamen in eo aliquã compoſitionem fuiſſe inditam; nunc autem ex propoſita methodo inquirendum eſt: An ſimul aliæ perſonæ Sanctiſſimæ, & Adorandiſſimæ Trinitatis vnam eandem poſſint ſuppoſitare naturam. Hanc difficultatem proſequitur Scotus *in 3. diſt. 1. q. 2.* eſtquè illius in vniuerſum ſententia; quæſiti noſtri titulum diſtinctione declarandum: nam, dum petimus; an omnes diuinæ perſonæ poſſint eandem aſſumere naturam; vel intelligimus immediatè naturam aſſumptã terminari debere ad tres perſonas ſimul, vel immediate ad eſſentiam eſſentia verò mediante ad perſonas; in priori ſenſu negat huius rei poſſibilitatẽ Scotus, in poſteriori affirmat. Scotum ſequutur Aſſeclæ ipſius, & ex exteris Ioannes à Lugo *diſp. 12. ſect. 7.* Nec admodum diſtat Durandus *in 3. diſt. 1. q. 3.* dũ ait, non poſſe tres perſonas eandem aſſumere naturam, niſi præintelligatur illam aſſumere *hic Deus*, vt abſtrahit à perſonis.

Scotus.

Quæſiti titulus.

Lugo.

Durandus.

43 Oppo-

Opinio S. Thom. et aliorum.

43 Oppositam sententiam mordicus tuentur Thomistæ cum Diuo Thoma *3. p. q. 3. art. 6.* vbi asseclæ omnes, & Suarez *disp. 13. sect. 2.* Vasquez *disp. 2.* Beccanus *q. 3. cap. 4.* Bonacina *disp. 2. q. 3. puncto 3.* & alij, & ex exteris Gabriel *dist. 1. q. 1. dub. 3.* secutus Ochamum *3. sententiarum q. 1.* & Argentinatem *q. 2. art. 3.*

Obseruandum pro Scoto.

43 Pro Scoticæ sententiæ intellectu supponendum est, quod, quamuis in assumptionem humanæ naturæ ad personam diuinam diuina ipsa persona nihil prorsus derelinquat, vel in se noui acquirat, ipsa tamē natura illam eandem dependentiam ad suppositum assumens adipiscitur, quam haberet ad proprium, si in proprio suppositaretur supposito; nihil enim præterea agit supernaturale suppositum suppositando humanam naturam in Incarnatione, nisi quod vicem supplet creati suppositi, quatenus scilicet natura illa humana, dum in proprio supposito suppositanda erat, à Verbo assumpta in eius hypostasi est personata; propterea pariformiter philosophandū hoc loco, ac in alio quæsito, quo petitur; an Verbum assumere potuerit naturam propria personalitate personatam; hinc corrigendi sunt Caietanus *in commentario art. 6. S. Thomæ loco citato*, & Vasquez *disp. 29.* sentientes, non posse naturam in proprio supposito personatam à Verbo assumi, posse tamen assumi naturam aliquam ab extero supposito in alieno supposito personatā; quia, vt diximus, eadem obit munera alienum suppositū naturam suppositans, quæ obiret proprium si suppositaret; quemadmodum, & eadem omnino obit natura in alieno supposito, æquè sustentata, & pendens ab eo sicuti sustineretur, ac penderet à proprio, gerit enim in sustentificatione huiusmodi in omnibus, & per omnia alienum suppositum proprij suppositi vices; vtraque igitur difficultas pari difficultatis nexu colligatur, & pari modo dirimitur.

Contra Caietan. & Vasquez.

Resoluitur quæsitum negatiue.

44 Hoc supposito, nego simpliciter plures personas eandem numero assumere posse naturam, si relationis pendentiæ terminatio ponenda sit in suppositis, nō in essentia, quia de essentia satis fuimus *capite primo huiusce disputationis in calce* locuti. Hæc assertio ex doctrina, & argumentis Scoti validissimè probatur.

Et probatur primo.

Primo: si posset eadē numero natura à pluribus suppositis assumi, sequeretur eā à nullo supposito totaliter dependere, consequens est falsum, ergo & id ex quo deducitur: falsitas probatur ex præcognita personalitatis essentia; etenim si personare nihil est præterea, nisi totalem Atomæ, & singularis naturæ dependentiam terminare, ita vt nequeat vllo modo personata illa natura communicari ex præiacta de quiditate personalitatis doctrina, profectò falsissimum est reperiri posse naturam personatam à nullo supposito totaliter dependentem; alioquin posset simul, & semel personata dici, & non personata, quæ pugnant ad inuicem: sequela primi argumenti probatur, quia effectus à pluribus causis dependens à nulla causa totaliter dependet, sed ex opposita sententia penderet natura personatio à pluribus personis; ergo à nulla totaliter dependere. Minor subsumpti huius dilēmatis euidens est: nam, si eandem posset personare naturā Pater, & Spiritus sanctus, quam personat Filius; illa planè non minus à Patre, & Spiritu sancto, quam à Filio dependeret. Maior autem ex ipsa causarum præcognita essentia probatur. Causa alicuius effectus totalis illa censetur, quæ realiter influens in effectum effectum ipsum totaliter producit; quemadmodum partialis causa illa est, quæ non totaliter, sed secundum partem influit in effectum; sed in proposito casu persone vna, quæ est persona Verbi totaliter humanā naturam sustinet dependentem; est igitur Verbum totalis sustinentiæ causa, & proinde si ex hypothesi Pater & Spiritus sanctus terminare dicantur, vel non vnius, eiusdemquè naturæ pendentiā terminarent, vel partialiter terminarent, & sic nulla persona totaliter terminaret. Assumptum pro maiori in hoc discursu in quocumque genere causæ verissimum est, quoniam tota vis posita est in nomine causæ totalis, quæ nullo modo intelligi potest esse totalis, nisi totaliter producat effectum: quid est autem totaliter effectum producere, nisi nulla concausa adiuuante producere? Certè penes hoc totalis causa à partiali distinguitur, quod partialis, vt nomen sonat, secundum partem inclusa; totalis verò exclusa alterius ope causat effectum.

Causa totalis, & partialis qua sit.

Huic

Reſponſio Gabrielis ex Ochamo.

45 Huic Scoticæ doctrinæ, quam nos in huiuſcemodi argutionis formam reduximus reſpondet ex Ochamo Gabriel; totalem cauſam bifariam ſpectari, vno modo pro cauſa ſufficiente, alio modo pro cauſa præciſa: ſufficientem cauſam vocant eam, qua poſita circumſcribendo quodcunq; aliud ſufficienter poteſt produci effectus; præciſam verò eam, qua tam neceſſario ponitur effectus, vt ſine ea nequeat in eſſe poni. In priori ſignificato ſēſit Gabriel, poſſe totalē cauſā pati alterius cauſæ concurſum, licet eum non neceſſariò requirat, quod pater exemplo actuum voluntatis, qui eſſentialiter à voluntate, & ab intellectu pendent: poſteriori autem ſignificato, non pati cauſam totalem alterius cauſæ concurſum: & in priori ſenſu à Verbo humanæ naturæ dependentiam terminari.

Intercluditur.

46 Hæc reſponſio ſe ipſam deſtruit, & quidquid ſit de diſtinctione cauſæ ſufficientis, & præciſæ, profectò ſi ea eſt cauſa ſufficiens ex Gabriele, & Ochamo, qua produci poteſt effectus, quocunque alio circumſcripto, illa eadem erit cauſa præciſa; nam ſi effectus poteſt ab ea pendere abſque omni alio; ergo illa eſt illius cauſa præciſa. At (inquiunt illi) effectus alterius cauſæ concurſum non patitur, ſed pati poſſet: ergo (inquam) vel idem effectus bis poſſet produci, vel alia cauſa ſupernacanea erit per deductionem probo. Poteſt exempli gratia ſufficienter Ioannes à Petro produci; peto, poteſt ne verè totaliter Ioannes à Petro pendere, nec ne? ſi non poteſt, ergo Petrus non eſt cauſa Ioannis totalis, ſi poteſt, ergo ſi quem Petro addas, non eſt ille additus cauſa Ioannis, ſed ſi cum Petro concurrit, vel vterque erit ſeiunctim partialis cauſa, vel ille alius nullo modo cauſabit. Neque exemplum adductum de voluntatis actibus verum eſt, quoniam nouum eſt aſſertum, volitionem ab intellectu, & voluntate, tanquam à duabus cauſis totalibus eodem modo cauſantibus dependere, cùm voluntas ſit immediata cauſa totalis actus ſui, intellectus autem ſit tantùm cauſa præſuppoſita ad volendum, quia nihil volitum, niſi præcognitum; quare præcognitio eſt intellectus, volitio voluntatis effectus.

Gabrielis exemplū inane.

Argumentum ſecundum.

47 Præterea; poteritque id eſſe ſecundum in ordine argumentum. Ex ipſa nominis energia terminare, & ſubſiſtere præferunt eandem naturam nequire à pluribus pendere perſonis, oppoſitum igitur afferri omninò falſum: ſequela probatur tùm ad hominem, quia cum Nominalibus diſputātes vocum primo loco energias ſpectare cum iis tenemur, tū quia nomen non eſt contrarium rei regulariter: Auctor ſiquidē nominum Adamus ſub mundi initio imposuit nomina rebus ſecundùm proprietates ſuas, & in habentibus quidditatem, Doctore Scoto in 4. diſt. 1. q. 1. Idem eſt quid nominis, & quid rei. Antecedens autem probatur, ſuppoſito q̄ terminare ſit in Verbo, ſubſiſtere ſit humanæ naturæ per Verbum, quod ſuppoſitum difficultatem pati non poteſt, Verbum enim terminat, & natura Verbi perſonalitate ſubſiſtit. Tunc ſic: terminare, & finire idem ſunt, hinc relationis terminus is eſt, vbi relatio finitur, exempli gratia, Paternitas, quæ fundatur in patre finitur in filio, ergo ſi Verbum terminat naturæ dependentiam, pendentia naturæ in Verbo finitur, non finiretur autem, ſi æque Pater, ac Spiritus ſanctus terminaret, aliàs finiretur, & non finiretur, quæ duo contradictoriè pugnant; ſimiliter ſubſiſtere eſt ſub alio ſiſtere, quare humana natura ſubſiſtens in Verbo, ſub Verbo ſiſtit, non ſiſteret autem ſub Verbo, ſed vlterius progrederetur; ſi à Patre, & à Spiritu ſancto terminaretur illius dependentia, atque ita ſiſteret ſimul, ac non ſiſteret ſub Verbo, quod falſum eſt.

Scotus.

Occurſus præoccupatio.

48 An fortaſſe dixerint aduerſarij non terminari adæquatè in Verbo naturam, neq; in eo ſubſiſtere adæquatè? ſed hoc ſi aſſerant, concedendum eſt eis Verbum vniuerſam naturæ pendentis capacitatem non explere, quod falſum eſt, cùm vices ſuppoſiti creati ita gerat in hoc myſterio, vt quæcunque munera illi conueniunt ſubierit Verbum. Quid ad prius Scoti argumentum reſponſi obijciant Caietanus, & Suarez, & Vaſquez habes apud Fabrum diſp. 4. cap. 2. & 3. egregiè contra omnes arguentem, nos vnius Bonacinæ occurſum Recentioris ſpectemus. Negat igitur Bonacina in caſu noſtro eundem effe-

Caietanus. Suarez. Vaſquez. Bonacina.

ctum

ctum pendere à pluribus totalibus causis, quia non esset vnica terminatio, sed plures, quoniam singulæ personæ terminarent, & terminatio vnius non esset terminatio alterius, & consequenter ablata terminationa vnius, non auferretur terminatio alterius. Sed hanc solutionem desumpsit Bonacina ;ex eodem Suarez *sect.* 2. *obiecto* 2. cuius solutionem vide apud Fabrum *loco citato num.* 17. cuius doctrina si tibi plenè non facit satis, adde Bonacinam, & Suarezium superioris argumenti vim euadere non posse, siquidem multiplicatis subsistentijs implicat totaliter dependare naturam ab vna, alias aliæ superfluerent, nec vna, vel altera persona terminaret; proinde nulla adæquatè sustineret.

Suarez. Bonacina Faber.

49 Demum, quæ maior est ratio, quod nequeat vna, eademque natura à proprio, & ab alieno supposito simul pendere, possitnè è conuerso pendere à pluribus alienis suppositis? Ratio, inquit Suarez, est specialis repugnantia in illo casu, quia modus separari non potest à re, cuius est modus, habetqua is modus formalem repugnantiam cum illo modo vnionis, quem habet natura assumpta in alieno supposito, quia esse per se, & in alio repugnant ad inuicē. Sed hæc nulla est, nam in casu alienum suppositum est instar proprij, subsidetque in eo natura, tanquam per se in proprio, æqua igitur vbique est repugnantia, vel alia diffidentiæ facienda est ratio. Ratio est, inquit Vasquez, inadæquata terminatio in alieno supposito, in proprio autem adæquatè terminatur. Sed hæc omnino falsa est, quia nisi adæquaquatè terminaret Verbum, non esset totalis pendentiæ causa, neque expleret capacitatem naturæ assumptæ, neque propterea personata esset adæquatè, quæ omninò ipse solus dixerit, qui dixit. Ratio est, inquit Bonacina, quia natura magis terminatur à propria, quā ab aliena personalitata quo ad modum subsistendi; & differentiæ ratio est, ait ipse, quia personalitas propria efficit naturam creatam separatim subsistere in sa, & seorsim ab omni substantia externa; diuina verò non facit illam seorsim subsistere in se, sed in alio, fieri autem non potest, vt vna natura subsistat seorsim in se, & simul in alio; licet fieri possit, vt subsistat in duobus alienis suppositis. Hæc ratio petit principium assumens id certum, quod ei esset probandum, hoc est enim, quod quærimus cur fieri nequeat, vt subsistat in suo, & in alieno simul, si potest in duplici alieno subsidere supposito; eoque id magis, quod alienum suppositum Verbi omninò creati suppositi vices gerit, & omnia illius obit munera.

Argumētū aliud. *Respondet Suarez.* *Nulliter.* *Vasquez respondet* *Non satisfacit.* *Respondet Bonacina.* *Sed frustra.*

50 Deniqua hæc fuit apertissima B. Anselmi sententia *lib.* 2. *cur Deus homo, cap.* 9 per hæc Verba. *Plures personæ nequeunt vnum, & eundem hominem assumere in vnitatem persona.* Quid clatius? sed audi, quot Anselmus habet in hac auctoritate glosatores, quot interpretes, non tot fortasse verba in allato testimonio. S. Thomas *q.* 3. *art.* 6. *paulò antè solutionem primi principalis*, Anselmi effatum interpretatur, vt neget posse plures personas vnam assumera personam, quod indicāt illa Verba, *Vnum eundemque hominem &c.* at vnam eandemqua humanitatem assumere posse non negat Anselmus. Valentia *dist.* 1. *q.* 3. Anselmum ait loqui de ordinaria, non de absoluta potestate. Suarez *in comm. art.* 6. loqui putat Anselmum de Incarnatione iam facta, & ideò non simpliciter negasse posse plures personas eandem assumere naturam, sed cū addito, hoc est, in vnitatem personæ. Becanus *cap.* 4. *q.* 3. & cum eo Bonacina interpretatur Anselmum, vt velit non posse plures personas assumere vnam humanitatem, ità vt fiat vna persona, quod non eueniret in casu nostro, quia non vna, sed plures personæ fierent.

ex Ansel. probatur assertum. *S. Thomas.* *Valentia* *Suarez.* *Becanus, & Bonacina.*

51 Deus bone: quanta ex vno capite varietas, mutilata scilicet B. Anselmi auctoritas adducta ex cerebro ad diuersa adducitur, & glosatur.

Petatur igitur primo B. Anselmi mēs, mox referantur verba, vt iacent, vt quisque voluntatiam Aduersantium agnoscat glosam. Anselmi mens est, vt probatur ex libri titulo: in qua persona Deus hominem sumpserit, & huius rei causam postulans, an in omnibus, an verò in vna, habet negando in pluribus; plures enim personæ nequeunt vnum eundemqua hominem assumere in vnitatē personę, quare in vna tantum persona id fieri necesse est.] Hæc ille; quibus imprimis

Singula responsiones cribrantur.

primis habes pro homine, & humanitate idem omninò intellexisse, quia, quem hominem negat potuisse à pluribus, affirmat ab vna assumi potuisse; hinc ruit interpretatio S. Thomæ. Secundo simpliciter negans id fieri potuisse in pluribus; sed necesse fuisse in vna, non tam ordinariam, quam absolutam Dei potestatem inuexit, immò absolutā potius, quæ locum solum habuit in hoc opere, vbi tota ratio facti est diuina potestas. Hinc nulla euadit Valentiæ commentatio, Tertio particulam illam, *in Vnitate persona*, adduci potius ex interpretatione S. Thomæ, quam ex littera B. Anselmi, vt patet in illo *Diui Thomæ articulo*, præterquamquod si ex Anselmo particula emanat, instituto nō magis faciet; nam si per impossibile tres personæ assumerēt, vnaquæque in vnitatem personæ propriç assumeret, pater, scilicet, in vnitatem personæ patria, filius filij; hoc autē omninò euellit Anselmus: hinc vanitas responsionis Susrezij, Becani, & Bonacinæ deducitur; quia propterea Anselmus necessitatem hujus rei in vna nanciscitur persona, quia arbitratur impossibile plures hoc præstare posse, vnamquamque videlicet in propria vnitate personç: proindè optime monuit Ducandus ita ab Anselmo negari, posse à pluribus personis vnum, & eundem assumi hominem, vt ab vna tantum assumi posse affirmet, quod est nostrum in hac assertione institutum. Solum possent Aduersarij opponere pro Sancto Anselmo Diuum Thomam, cuius auctoritas, vt Sanctissimi, ac doctissimi viri magna quidem mihi est; an autem cum Anselmi auctoritate conferenda, videint oppugnatores.

Valentia commentum nullum.

Responsum Suarez inane

Commendatur Durandus.

52 At nunc vero Becani, ac Bonacinæ in interpretatione verborum Anselmi placitum cribrare necessum est. Aiunt illi in casu nostro plures, non vnam dumtaxat fieri personam. Auctoribus hisce legendus erat Scoti textus *dist. 1. q. 2. littera* F, *in solut. primi pro opinione*, vbi monet, & si indiuiduatio posset sine personalitate esse (supple tū) propria, non posse tamen vnam eandemque indiuiduationem esse cum pluribus personalitatibus, nec obindè multiplicari posse supposita, non multiplicata natura; quia quando distinctio posterioris concludit in priori aliquid sibi repugnans, nequit multiplicari posterius, non multiplicato priori. Quod si illi confugiant ad diuinam beatam naturam, quæ nentiquam multiplicatur ad suppositorum multiplicitatem: disparem habent rationem ex eodem Scoto, contra Varronem, & Henricum arguentem, quia, scilicet, essentia est infinita assūpta verò humanitas finita. Alias ad assertum rationes apud Scotum, eiusque asseclas *loco citato*, consule, nunc aliorum obiecta spectemus.

Becanus, & Bonacina ex Scoti textu conuincuntur.

53 Vt nostram euertat sententiam Suarez hoc arguit dilemmate. Nisi id fieri posset, vel impotentia esset ex parte assumentis, vel ex parte naturæ assumptæ, at non ex parte naturæ, quæ obedientiali potentia Deo substernitur, neque ex parte Dei, tum quia, vt monuit Sāctus Thomas, & docuerat ante ipsum Augustinus Epist. 3. *ad Volusianum* tota facti ratio in hoc mysterio est potestas facientis, tum etiam, quia de facto tres Diuinæ personalitates vnicam, eandemque terminant beatam Dei naturam.

Argumentum Suarezij.

Argumenti huius solutio facillimè ex dictis tibi subrepet in mentem, impossibilitatem ex vtroque capite concedendo, & primò ex parte Dei assumentis, qui licet omnia possit, quæ tamen contradictionem inuoluunt, non potest, qualis esset multiplicata vnius naturæ terminatio: nec Augustini auctoritas obsistit nobis, qui de possibili loquimur, de Incarnatione iam facta loquentis, de qua nullam potiorē sciscitari possumus argumentationem, nisi Dei volentis potestatem; sunt enim supra naturā omnia, at non contra naturam, qualis esset vnius, eiusdemque naturæ in pluribus suppositis terminus, quia fieret infinita, quod nequit, vnde disparem habes de diuina, ac humana natura rationem. Neque humana natura dici potest in obedientiali potestate ad hoc, vt possit assumi à tribus personis simul, ne dicatur esse in potentia ad impossibilia, quorum nulla est potestas, sed ad tria supposita seiunctim; æquè benè assumi potens à Filio, ac à Patre, & Spiritu sancto. Hoc argumentum, nec verbo mutato mutuauit à Suarezio Bonacina, qui tria post hæc congerit argumenta.

Diluitur ex dictis.

Argumenta Bonacinæ primum.

Primum, subsistentiæ relatiuæ omninò sunt inuicem æquales, iuxta illud

Atha-

Athanasij in Symbolo, *Et in hac Trinitate nihil prius, ac posterius, &c.* ergo sicut vna persona potest assumere, ita possunt & reliquę.

Argumentum secundum. Secundum: Natura diuina tribus diuinis personis terminatur; ergo id etiã potest humana natura.

Tertium Tertium: natura humana terminari potest à Verbi persona, ergo etiam ab alijs; nam quamuis ex terminatione aliarum personarum sequatur ipsam terminari à maiori virtute extensiuè, hoc tamen impossibile non est.

Solutio 1 Hæc, nisi diluta sint, dilue. Primum, concessa æqualitate personarum, & cõcesso etiam, posse cæteras personas assumere, sicut vna potest; at vna potuit seiunctim, ergo seiunctim possunt aliæ. Argumentum est pro nobis, agimus Bonacinæ gratias.

Solutio 2 Secundum diluimus paritate negata, cùm perperam satis humanæ, naturæ imbecillitas infinitati diuinæ essentiæ comparetur.

Solutio 3 Tertium solue distincto consequenti, concessu seiunctim, ac diuisim, negato vna simul, & coniunctim: nec probatio ad rem facit, dum impossibilitatem non ex maiori virtute extensiuè, aut intensiuè, sed ex repugnantia facti venamur, in quo idem esset terminatum, & interminatum; idem pendens, & non pendens à pluribus totalibus causis, quæ omnia inuicem pugnare monstrauimus.

Argumentum Nazarij. 54 Demum, & est argumentum Nazarij *controuersia 1. in 6. art. q. 3. S. Thomæ p. 3.* Naturæ creatę dependentia à personalitate diuina non prouenit ex indigentia naturæ, sed ex sufficientia diuinæ personalitatis, & ex obedientiali potestate humanæ naturæ ad Deum; sed vnaquæque diuina personalitas habet infinitam sufficientiã, præcisa diuersitate specifica ab altera, & in creata natura est obedientialis potestas ad quamlibet diuinã personalitatem, ergo eadem natura numero potest à tribus diuinis personalitatibus terminari.

Soluitur generice. 55 Hoc argumento auctor transit à potestate, quam habẽt tres personæ seiunctim ad terminandum, & potestate, quã habet humana natura ad recipiendam terminationem seiunctim, ac diuisim à tribus personis diuinis ad probandum potestatem in ijs ad coniunctim terminandum, & in hac ad recipiendam terminationem simul à tribus coniunctim; qui transitus vitio non caret; quamuis enim humana natura, vtpotequæ obedientiali potestate subseruitur ad singulas diuinas personas, à singulis diuinis assumi potuerit personis; non tamen à tribus simul, quia sic, vti dixi, à nulla perfectè sumeretur; similiter, quamuis vnaquæque persona diuina sufficiens sit ad assumendum; simul tamen omnes assumere eandem naturam implicat, sicut implicat idem terminari, ac non terminari simul ab vna persona perfectè. Ad formam igitur argumenti; primo posset negari maior; quia humana natura in Christo expoliata propria indiguit personari saltem aliena personalitate; *Enodatur in forma* cum non detur aliqua humana natura indiuidua sine propria, vel aliena suppositatione. Secundo minor committit fallaciam à seiunctim ad coniunctim, à diuisim ad simul; concedo enim vtique à singulis humanam naturam potuisse pendere suppositis; nego ab omnibus simul; stante implicantia adducta, vnde maior concederetur etiam, si in ea addita esset hęc particula, *nisi sit implicantia*, qua posita minor deberet sic cõstitui. Sed omnes diuinæ personalitates habent sufficientiam, & natura obediẽtiam, & nulla est implicantia, ergo &c. quomodo constructa minor falsissima est, vt patet ex doctrina huius capitis; sed dum illa particulam adductam desiderat, dumque vtitur termino distributiuo *vnaquaque*, & non collectiuo *omnes* ad rem non facit.

AN QVEAT VNA PERSONA *plures simul assumere naturas.*

CAPVT IV.

56 OPpositorũm veteri Philosophorum effato eadem disciplina, quatẽ constita petitione, an plures personæ vnam, eandemque naturam, ad se sumere possent, petendum è conuerso hoc loco immediato erat, nũquid vna psona plures simul possit assumere naturas, dum pluritas vnitati opponitur

Faber, et Suarez.

57 Poſtulationem præſentem potiùs de modo loquendi, quàm de re ipſa nuncupauit Faber *diſp. 5. cap. 1.* & Suarez *diſp. 13. ſect. 3.* quia conſtita affirmatiua parte ſcrupulus mentem turbat, an poſita hypoteſi vnus eſſet dicendus homo, an plures. Verùm duplici ex capite hallucinantur præcitati Auctores. Primò, quia quæſiti noſtri titulus latior eſt, quàm diſcutiatur ab ijs. Titulus petit generatim, an plures naturas vna, eademque perſona aſſumere queat: Faber autem, & Suarez contractè de ſolis humanitatibus abſque vlla diſtinctione loquuntur. Secundò, quia controuerſia de vnitate, vel pluralitate hominis in caſu eſt ſolùm quaſi præſentis capitis appendix: ſiquidem cõſtito poſſe plures humanitates aſſumi dubitatur, an futurus eſſet vnus homo, an plures; eſt igitur noua dubitatio potiùs propoſitæ aſſecla, quàm eadem de modo loquendi, vt ipſi effantur.

Obſeruandum.

58 Arbitror igitur diſtinguendum primò, mox propoſito capiti faciendum eſſe ſatis. Diſtinctio eſt, vnitatem, & pluritatem, vtpote entis genericè paſſiones, inſequi entium naturam; cùm igitur *naturæ* vocabulum multipliciter, & latè fundatur, hoc tamen loco contractim pro natura compoſita ex anima, & corpore ſumitur; cumque hæc rurſum multiplex ſit, iuxta indiuiduorum ſub ſpecie, & ſpecierum ipſarum multiplicitatem, poteſt petitio inter cætera duplex habere ſignificatum, primũ eſt, an vna perſona aſſumere queat plures naturas athomas, nedum numero, ſed ſpecie diſtinctas, ſcilicet humanam, & equinam, & aliam quamuis. Secundum, an queat aſſumere plures naturas ſolo numero diſtinctas, puta plures humanitates. Secundum ſignificatum nullam habet difficultatem, affirmante vtraque ſchola poſſe: primus ſenſus difficultatem habet quammaximam; etenim quicunque putant medium vnionis in hypoſtaſi eſſe habitualem gratiam, impoſſibile arbitrantur, quod Verbum queat aliam naturam ab humana, vel ſaltem ab Angelica, quæ eſt etiam gratiæ capax, etiam ſeiunctim aſſumere. Ita ſentijt Henricus *quolib. 12. q. 5.* & Picus à Mirandula *in ſua Apologia concl. 4.* quos refert Gabriel *q. 2. diſt. 1. ſub initio*, in eandemque ſententiam propenſum fuiſſe Gabrielem eundem affirmat Suarez *diſp. 16. ſect. 2.* ſed immeritò, nam Gabriel ibi inſtitutum ſuum his verbis aperuit. *Volo ambas quæſtiones proſequi ſolum recitatiuè, ſine omni aſſertione lectoris iudicio relinquens, quæ probabilior ſit iudicanda.* Hæc ille, quibus dilucidè profitetur ſe nihil ex cerebro in hac re ſentire, immò *ibidem dub. 4.* tam facile in Scoti ſententiam propendet, vt aliorum obiecta diuellat. Qui igitur negant aliam naturam à rationali potuiſſe aſſumi, conſequenter immò à fortiori aſſerere tenentur implicantiam verti, quod Verbum diuinum plures ſibi naturas ſpecie diuerſas vniret.

Sensus postulationis duplex.

Enricus Picus à Mirandula.

Gabriel perperã citatus à Suarez.

59 Affirmandum tamen primo, poſſe vnã perſonam aliam naturam non rationalẽ aſſumere. Hanc probant Recentes cum Suarezio, & Bonacina: quia de facto corpus Chriſto vnitum terreum fuit, & de facto exanimum, & exangue corpus Deitati in triduo paſſionis vnitum fuit: & rurſum ſanguis, & humores vniti fuerunt hypoſtaticè Chriſto, qui tamen nulla anima rationante viuebant. Leuis coniectura, vniuerſam vim faciẽs in ijs, quæ ad naturam rationalem, immò ad ipſam Chriſti humanitatem aſſumptam referuntur; ſic enim ſanguis, & humores ad vitam humanitatis ordinabantur, & ipſum Chriſti Corpus, quod terraum dicitur, eiuſdem erat rationis cum noſtris, & in triduo licet exanimũ; animandum tamen poſt triduum erat; proinde in ſolo aſſumpto corpore, & partibus eius Bonacinæ, & Suarezij probatio vagatur, nos autem poſſibilitatem vnionis aliarum naturarum ſpecie diſtinctarum petimus.

Aſſertio prima

Prob tur à Recentibus.

60 Miſſis igitur conſimilibus Recentium coniecturis; miſſa etiam dubitatione, an Verbum Angelicam naturã aſſumere potuit, de qua vtpotè excellẽtiori ſuper humanam non tam vrgere videtur dubium, dum Paulus *Hebræorum primo.* ob hanc cauſam humanam tanti facit fortunam ſuper Angelos, quia nulli vnquam Angelorum dictum eſt *filius meus es tu, ego hodie genui te*, quod *cap. 2.* identidem inculcat, dicens, quod *Deus nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*, quibus apertè ſupponit potuiſſe à Verbo aſſumi Angelicam naturam, quanquam ad dignificandum hominem homo

Hebræorũ primo

mo

mo fuit assumptus; Quę enim consequentia eueheretur humana felicitas super Angelos, nisi & ipsi assumi potuissent? his ergo citra difficultatem omissis; de cęteris naturis ratione carentibus, in quibus propria personalitatis ratio desiderari videtur, & proinde possibilitas ad passiuè assumendum, ex quo ex dictis peculiari disputatione de quidditate personæ, illa est rationalis, vel intellectualis naturæ incommunicabilis existētia; vt proinde ipsum personæ vocabulum, & ratio à ratione, vel intellectu carentibus ablegetur, probatur assertio.

Probatur assertum Ex doctrina Scoti.

61 Quodcunque fieri contradictionem, aut repugnantiam nullam inuoluit, fieri vtique à Deo simpliciter, & absolutè potest: sed naturam aliquam ratione, vel intellectu carentem assumi à Verbo ad vnionem in hypostasi nullum inuoluit incommodum, nullam contradictionem, repugnantiam nullam: ergo simpliciter absoluta saltem Dei potentia fieri potest. Maiorem probant termini, quoniam quodcunque factibile est Diuinæ potestatis obiectum; nisi igitur quid fieri repugnet, vel contradicat, vel impossibile sit, vtique fieri à Deo potest. Minorem probo, siquæ pugnantia, & contradictio, aut incommodum in hac re inuolueretur; planè hæc omnia vel ex parte assumentis, vel ex parte assumptæ naturæ deducerentur; sed neutra ex parte deducuntur: ergo nullum incommodum, nulla contradictio, nulla pugnantia: Minorem secundi huius dilemmatis, cuius maior propositio ex diuisione sufficienti dilucida est, quoad vtramque partem suadeo, & primò ex parte Verbi. In omnium sententia ex hac terminatione nihil noui realis absoluti, aut respectiui in Verbum incipit omninò inuariatum, & immutatum, vt toties monuimus, sed vel noua relatio rationis, vel nulla relatio, verùm relationes rationis huiuscemodi nunc etiam absque vllæ mutationis suspicione à quibusdam ponuntur in Deo, absque vlla contradictione, & repugnantia, quare si relatio rationis ad humanitatem nullum parit incommodum, repugnantiam nullam; parisormiter res se habebit, siquam naturam ratione, vel intellectu carentem hypostaticè Verbū assumeret. Adde independentiam Verbi totalem cōstituram fuisse rationem formalem terminandi in Verbo, sed hæc æquè totalis est respectu naturarum ratione, & intellectu carentium, ac ratione, & intellectu præditarum, vt patet.

62 Probo idem ex parte naturæ assumptibilis. Si repugnaret naturæ ratione, vel intellectu destitutæ posse à Verbo assumi, eam certè ob causam repugnaret, quia independentior est ad alienum suppositum, quàm sit natura humana, sed hoc est falsum, ergo & id, ex quo deducitur; Maior, siue assumptum probatur ex doctrina de personalitate, quæ cùm negationem communicabilitatis actualis, & aptitudinalis inuoluat, vniuersam humanæ naturæ dependentiam ad proprium suppositum deuoluit; ex quo autem natura ipsa obedientiali potestate Deo subditur, tertiam illam negationem potentialis communicabilitatis eliminat: qua de re vide doctrinam nostram disputatione propria: falsitas probatur, quia potiùs è conuerso philosophandum videtur, pendere nimirum à proprio supposito, & persona magis rationalem naturam, minusue dependere ab aliena, quàm irrationalem, tum quia in rationali dumtaxat veram personalitatis essentiam nancifcimur, tum etiam quia natura rationalis perfectior est, ac obinde independentior, quàm irrationalis.

Oppositio tollitur ex doctri na Scoti.

63 Quod si quis pro opposita sententia, quam arguimus, insurgat. Atqui obinde assumi nequit natura ratione, vel intellectu nudata, quia personari non potest inepta pesonalitatem etiam habere propriam, sed suppositationem solam. Responsionē tibi commodat Scotus aiens, quod, quamuis personalitatis, ac suppositationis rationes diuersæ sint ad inuicem, diuersos habentes internos modos ex proprijs diuersarum naturarum principijs manantes; nihil tale obstat in casu, quia natura inepta personari supponeretur; esset enim satis, quod dependentia propriæ naturæ accommodata à Verbo dependeret, quemadmodū & ipsa humanitas nunc temporia tradita sibi dependentia à Verbo subsistente dependet.

Alia instantia.

64 Aies repugnare ex parte Dei, quatenus Verbum Asino, vel alij cuipiam animali

mali è vilioribus terræ vniri indecēs est, ac incongruum, & quod incedens est,& incongruum gerere nequit Deus.

65 Hoc mihi dubiolum vrgebant aliquādo nonnulli Henrici Sectatores, quod dilui negando diuinam impotentiam ad indecens & incongruum, & plané fallit in re nostram imaginatio mentem, quasi vero ex hypotesi indecens foret,& incōgruum, quod nunc dedecere, & incongruere videtur; cæterum rerum ordine mutato, secundum quem diuinam spectamus potestatem, is qui secus ageret congruitatem,& decentiam, quā vellet, daret. Audi Gregorium Nyssenum oratione magna Cathec. cap. 27. proclamantem, *posse sine indecentia quamcumq; naturam à Deo assumi, quia omnes aquè à Deo infinitè distant.* Audi Tertullianum cap. 4. lib. de carne Christi, disceptando contra Marcionem, cui dedecus visum fuerat, & incongruum oriri de fœmina Verbum, dicentem, *Hoc esse indedecens si humano, non autem si diuino ponderetur sensu, quia qui natus est de fœmina potuit de alia viliori natura nasci.* Hanc Tertulliani, & Nysseni doctrinam asserto huic insere, vt pariformiter consideres, id tibi nunc indecens videri, quod Diu nō pensatum sensu non dedecere confiteberis.

Euel itur

Nyssenus. Tertullianus.

Aliud obiectum.

66 Rursū m insurges; hæc (equi incommoda, quod verè de Deo hypotesi concessa etiam possimus, Deus est lapis, si lapidem sumeret, immò veriori sensu eo, quo nunc asserimus, Deus est homo, quia lapis homogeneus est, & secundū vnamquamq; particulam lcissus est lapis, homo non ita. Rursum Deus est asinus, vel bos, si bouem sumeret, vel asinum. Rursum (quod videtur deterius) Deus est Diabolus, Deus est Antichristus, Deus est peccator, Deus est inimicus Deo,& similia; si Deus Diaboli, si Antichristi, si peccatoris, si Deo inimici naturam assumeret, quas, & id genus alias enunciationes Christianæ aures horrent audire. Respondeo, doctrinam hanc ignaris, ac rudibus discutiendam non esse, qui trepidant sæpius inani timore. Gnaros tamen, ac Diuinæ sapientiæ participes docendos, quibus saltem pro captu cognita est, Diuinæ potestatis amplitudo; gnaris ergo difficile non erit concedere has propositiones, Deus est asinus, Deus est bos, Deus est lapis, si horum naturam sumeret; an autem esset intimior præsentia lapidi homogeneo, quàm alij, vide Scotum dist. 2. quæst. 1. art. 2. lit. H. §. *cum arguitur.* & infra §. *sed cum vlterius, &c.* egregiè docentem, Deum tunc non dici lapidem in vniuersali, sed hunc lapidem aliquem totum, & licet in casu qualibet pars lapidis lapis esset, non esset tamen hic lapis indiuidualiter totus, quē diceretur Verbum assumpsisse.

Respondetur.

Scoti doctrina notabilis.

67 Enūciationes alias horret Thomistæ, & hanc præcipuè, Deus est Diabolus, Medina *part. 3. quæst. 4. art. 1. ad 3.* eludit, quia Diaboli nomen non est naturæ, sed peccati. At in primis supponendum est, hoc neque factum vnquam, neque fieri de potestate Dei ordinaria posse, absolutam verò potestatem spectantes, quomodo Christus impeccabilis sit suo loco dicemus, vbi ex instituto propositiones latas ventilabimus: at nunc satis asserere, quod si pet absolutā Dei potentiam id fieret, cum vnio hypostatica absolutam, & simpliciter incertam habitudinem ad vnionem gratuitam non habeat, deberent propositiones illæ de humana Christi natura concedi, qua de re vide Scotum *d. 2. q. 1. littera A,* & *d. 12. q. vnica,* & nostram inferius ponendam doctrinam. Interim tu Medinā elude quoniā & si Diabolus natura sit Angelus, immo nec Angelus sit natura, vt verius dicā, quia nomen Angeli officij est non naturæ; iuxta illud Prophetæ in Psalmo, *Qui facis Angelos tuos spiritus*, hoc est, qui spiritus facis Angelos, vt in *secundo sentent.* diximus, adhuc Diabolus indiuiduatione propria est hic Angelus malus, qui est Diabolus, & obinde argumētatio valida, responsio leuis, vel saltem quis esset posset, Christus est hoc indiuiduū, siue hic spiritus, qui est Diabolus.

Responsio Medinæ.

Infringitur.

68 Affirmandum secundò, posse Verbum plures simul numero distinctas naturas assumere, puta plures humanitates, vel Angelitates,& similes. Hanc breuibus percurrunt Scholastici, & validè probatur argumento Scoti *d. 1. q. 3. littera A,* quod etiam vsurpant Recētes cum Suarezio *disp. 13. sect. 3.* quia scilicet huiusmodi plurium numero naturarum assumptio impossibilis nō est ex parte Verbi, neque ex parte naturarum ipsarum, non

Plures naturæ numero distinctæ à verbo assumi possunt.

non equidem ex parte Verbi, quia cum terminando nihil noui Verbum acquirat, sed solam relationem rationis in eo adstruamus, Hypotesi concessa consimiles tantummodo relationes rationis plurificarentur in Deo, hoc autem non inconuenit; si quidem, & in creatione creaturarum omnium relationes terminare dicitur Deus, nouisque accedentibus creaturis, nouas in eo relationes rationis efformamus inconcusso, & immutato Deo: neque impossibile id esset ex parte naturarum, quæ ita dependerent à Verbo, vt nunc in proprio suppositatę à proprio supposito dependent: Dependent autem nunc ita à proprio supposito, vt dependentia vnius non repugnet dependentiæ alterius: quare plures numero naturæ æquè possunt relationem dependentiæ ad vnum Verbi suppositū fundare. Consimiliter argue de pluribus specie naturis. Ad hunc locum reuocant Recentes petitionem de formis, de materia, de accidentibus; numquid, scilicet, assumi poterint à Verbo, at quoniam de solis substantijs completis hoc loco loquimur: hæc omnia ad disputationem potiùs de natura assumpta, & assumptibili reijcimus.

Adhuc probatur assertio.

69 Contra primam asserti partem obiectiones ferè omnes, quæ negotium videbantur posse facessere in ipsa probationis decursione transegimus. Contra secundam verò, & tertiam præcipuè vrget communis difficultas in casu, futurus nè esset vnus homo, an plures, si plures assumerentur humanitates, vel si plures naturę specie distinctę, vt puta humanitas, & equinitas esset ne vnus equus, & vnus homo, an verò plures; & quidē de pluralitate naturarum secundum speciem dubium minimè vrgent Scolastici, quibus fortasse impossibilis videbatur casus; nihilo tamen minus, cum æquè naturæ omnes obedientiali potentia Deo submittantur, verendum non est asserere posse Deum assumere quas voluerit ob rationem hucusque decursam; Idcirco de sola humanitate loquentes illi variè respondent; quidam asserentes fore tunc vnum hominem, quidam verò asserentes fore plures, quidam denique quasi vtriusq; oppositi ex æquo placiti intermedij affirmantes nec vnum tunc, nec plures futuros homines simpliciter, secundum quid autem vtrumque; Primā sententiam propugnant S. Thomas *in 3. p. q. 3. art. 7. in solutione secundi principalis,* vbi Thomistæ omnes, & Suarez *disp. 13. sect. 3.* Ioannes à Lugo *cōsimili disp & sect. 3.* Becanus *cap. 4. de Incarnat. q. 3.* Bonacina *q. 3. puncto 3. disp. 2. & alij* ab ipso citati; citatur etiam ab ipso Suarez in hanc sententiam Gabriel *d. p. q. 2. dub. 4.* quem tamen Bonacina in oppositam sententiam vocat, sic miserum Gabrielem partiti sunt Bonacina, & Suarez, quamuis ipsemet Gabriel causam dederit, qui in *vniuersa illa q. 2.* problematicè loquens pro vtraque sententia ludit. Secundam sententiam propugnauerat S. Thomas *in 3. p. q. 2. art. 5. ad 2. & 3.* Duran. *in 3. d. p. q. 3.* & á Suarezio citatur Scotus tum *in hoc 3. dist. 2. q. 3.* tum *in 1. sentent. dist. 12. q. vnica* Legendus tamen erat à Suarezio Scotus, qui distinctione illa non vnicam, sed duas prosequitur quæstiones, alteram; an Pater, & Filius spirent tanquam omninò vnum, alteram verò; an Pater, & filius vniformiter spirent, dicendum igitur Suarezio erat hoc sensisse Scotum *dist. 12. p. q. p. circa finem;* sequitur eandem sententiam Vasquez *tom. 2. p. partis disp. 156. cap. 4.* Tertiam sentētiam sequutus est Richardus *in 3. dist. p. art. 1. q. 5.* Scotistæ etiam placita sua partiti sunt, nam Faber *in 3. disp. 3.* problematicè loquens se ad ea, quæ dixerat *1. sentent. dist. 12.* remittit in 1. autem *loco citato* primam sententiam de Scoti mente profitetur, Bassolius autem *in 3. dist. p. q. 4.* secundæ sententiæ adhæret.

Dubium non leue. An vnus futurus esset homo, an plures.

Suarez. Lugo. Becanus. Bonacina

Gabriel variè citatus.

S. Thomas. Durandus.

Scotum male citat Suarez.

Richardus. Faber.

Bassolius

70 Vt quæ sit Scoti mens aperiamus, obserua, quod Scotus *in 3. d. 1. q. 3. ad primum principale* aliorum responsa cribrat, & primò Richardi sententiam reprehendit asserentis in casu nec vnum fore hominem, nec plures, quia vnum, & multa diuisiua entis immediatè opponuntur, quare hic homo assumptus, vel vnus esset, vel plures. Secundò arguit contra Sanctum Thomam volentem, tunc vnum hominem ex vnitate suppositi, sicuti vnus est sciens ex vnitate suppositi, quamuis multas habeat scientias, aitque Scotus ex hac sententia sequi tres esse diuinas naturas, quia sunt tria supposita, quod est falsum. Tertiò respondet ex proprijs principijs, sicut dictum

Exponitur sententia Scoti per auctorem.

dictum est in 1. *dist.* 12. quod Pater, & Filius sunt vnus spirator, non sunt vnus spirans, sed duo spirantes. Quartò obiicit contra se, quod sicuti esse hominem, est esse personam, ita esse plures homines, est esse plures personas. Hanc obiectionem non tollit Scotus, sed absolutè ait. Responsionem quære. Vide locum citatum 1. *sent. dist.* 12. *q.* 1. *extremis verbis*, vbi docet, Patrem, & Filium non esse duos spiratores, quia spirant vt vnum disparatè, & ad obiectum contra ipsum, quòd Pater tunc esset duo principia, quia duplicem habet fœcunditatem, occurrit negando sequelam, quia ad hoc, vt dicantur plura producentia requiritur pluralitas suppositorum, quia non dicitur aliquis plures scientes, licet habeat plures scientias, sed oportet esse plura supposita. Reddit deinde asserti huius rationem, quia adiectiuum dependens ad suppositum, quod terminat, non potest plurificari, nisi plurificato substantiuo terminante dependentiam adiectiui, & se remittit ad locum citatum 3. *sentent.* vbi se remittit ad primum, quasi ludens, ac ioco eradens sententiam suam, ex qua doctrina ansam arripuit Faber dicendi in 1. *disp.* 41. *c.* 2. *nu.* 21. Scoti sensum esse, fore in eo casu vnum hominem, non plures, quia ad multiplicationem substantiui non solùm exquiritur multiplicatio formæ, sed suppositi, quæ deficeret in re proposita vno, eodemque Verbi remanente supposito implurificato, licet plurificata natura.

Adiectiuum non plurificatur nisi plurificato substantiuo.

Scoti lusus.

71 Ego, vt quid sentiam omninò dicam, supradicta Scoti loca flocci facerem, nisi alius quispiam vrgeret Scoti locus apertior. Equidem in 3. *loc. cit.* §. *responsionem quære.* littera non est Scoti, sed additio, similiter in 1. *loc. cit.* §. *quia adiectiuum. lit.* Cc. non ex sua Scotus sententia loquitur; nam & ibi additio quoque est, fortasse à Scoti Marginistis inducta, quod patet ex linea in margine, est autem inconcussa Scotistarum sententia, vbicunque feruntur in margine lineæ, non excidisse doctrinam à calamo Scoti.

Auctoris opinio propria.

Scoti loca varia

Adest tamen patentissimus Scoti locus *quolib.* 11. *art.* 3. *lit.* H. asserentis concretum non ad solam formæ numerationem numerari, sed opus esse, vt adsit etiã numeratio suppositi habẽtis formam, ex quibus elicitur in doctrina Scoti, nec vnum sine altero pluralitatem inducere, sed ambo necessario requiri ad numerandum concretum, est autem in re nostra nomen hominis concretum, vt patet, cumque concretum ex doctrina Scoti pro formali dicat formam pro connotato suppositum, vt patet in 1. *d.* 4. *q.* 1. *in fine.* & *dist.* 27. *in solut.* 2. *quæst. lit. I. & alibi*, quamuis hæsitare videatur in eodem primo *d.* 26. *quæst. vnica extremis ferè verbis.* Proindeque ex vi vocabuli hoc nomen *Homo*, pro formali naturam dicat, pro connotato verò suppositum naturam habens, videtur primò necessaria plurificatio naturæ: secundò multiplicitas suppositi, & proinde vtraque, licet altera altera magis, ex quo dicendum mihi videtur Scotum magis in Richardi sententiam, quàm in aliorum placita propendisse; etenim multiplicitatem formæ ait non sufficere, neque è contra multiplicitatem suppositorum tantùm, vnde ex pluritate suppositorum in Deo, quia forma, & essentia non multiplicatur, non dicuntur plures Dij, propterea nec per se vnus, nec plures homines dicendi essent in casu, quia in vnitate suppositi esset pluritas naturarum.

Concretũ pro formali dicit formam.

Scotus propẽdet in sententiam Richardi.

72 Quod si dicas, at Deus dicitur per se vnus in multiplicitate suppositorum, quia est vna natura, vt quid ergo plurificatis naturis in vnitate suppositi, non dicetur vnus homo? paritatem concessero, dum tu mihi eodem modo naturas creatas à Verbo assumi asserere audebis, vt est Diuina natura in Diuinis suppositis, quod cum impossibile sit, vana etiam paritas. Rursus dicendum videtur, quod cum concretum primò pro formali dicat formam, maior appparet necessitas vnitatis, vel pluritatis ex parte naturæ, quàm ex parte suppositi, proinde si tres personæ vnam, & eandem possent assumere naturam, vnus esset homo, non plures. Ergo ex Scoti sententia audebo dicere, & vnum hominem dici posse, & plures, cumque ex ipso redarguente Richardum asseratur vnum, & multa diuidere ens, occurreret ipse, immò, & quicunque eum in hanc sententiam traheret, vtique prima diuisione diuidi ens in vnum, & plura diuisione per se; at aliquo modo posse idem esse

Obiectio enodatio.

Vnitas, & pluritas naturæ magis expetitur

vnum

vnum, & plura, vnum per se primo, plura secundario, vel è contra, in re autem naturæ pluritas quasi videtur esse primo, & per se, quia plures formæ, secundario verò, seù pro connotato vnitas adesset suppositi. Addè ex Scoti sententia, immò ex scolasticorum placito communi, non assumptum fuisse hominem, vt sic à Christo, sed indiuiduatum, proinde si plures assumeret, eodemque assumeret modo, vtique hecceizatos assumeret plures homines, aut plures humanitates indiuiduas; has si quidem locutiones, earumque veritates proprio loco expetendas confundimus hoc loco, non alio modo hunc hominem sumentes, nisi quo sumit Ecclesia; heccitates autem sunt principia numeri in indiuiduis, quæ sic faciunt hunc hominem, vt non alium; sic alium, vt non hunc; quare videtur apertè satis appellari posse plures homines primario multitudine naturarum heccizatarum in vno supposito, secundario autem posse vnum hominem dici ex denominatione, & connotatione vnius suppositi naturas diuersas sustentantis.

Humanitas hecciꝫata fuit assumpta.

73 Porrò hanc fuisse Scoti mentem facilè dixeris, si litteram eius *in* 3. inspicies qua S. Thomæ constituentis vnum dicendum hominem sententiam reprehendit, vt quid autem S. Thomę sententiam carperet, si eandem propugnaret Scotus? at (inquit Faber) Scotus ibi nō opinionem sed fundamentum refellit S. Thomæ constituentis multiplicitatem concreti sumi tantum penes pluritatem suppositi. Sed particulam illam, *tantum*, neque ex Diuo Thoma retulit Scotus, neque repulit illam, sed simpliciter asserit ex vnitate suppositi non esse desumendam appellationem vnius hominis, alias è contra ex pluritate suppositorum inducenda esset pluritas appellationis concreti, & sic ex Trinitate Personarum in diuinis dicendi essent tres dij, quod vetat fides. Præterea Scotus eo loci profitetur se neque cum Richardo, neque cum S. Thoma, sed tertio modo respondurum: Coincideret tamen omninò cum Diuo Thoma, si vnum tunc fore hominem sentiret, sola remanente diuersitate penes fundamentum. Faber ergo, vt se ex Recentiorum obiectis erueret, facile Scotum in S. Thomæ sententiam traxit, ò contra verò voluntariè Suarez Scotum in oppositum sententiam vocat in 1. d. 1 a. vbi potius oppositum sensisse dixisses, nisi verba illa essent ab alijs addita, & in 3. *loco citato* vbi nihil diffinitè sensit, vt iu- tuenti patet, immò *in* 1. *loco citato*, *& in quolibeto* 11. cum S. Thoma concedit habentem plures scientias non esse plures scientes; vt mirum sit, cur eum non por- us in suam vocarit sententiam Suarez; nisi mauis id factum; vt latiori contra eum se ferret campo.

Explicatur mens Scoti.

Conuincitur Faber

Scotus voluntariè citatus à Suareꝫ.

74 Vniuersam, quam de Scoti mente hucusque doctrinam protulimus omnium maximè reprehenderet Lugo *loco citato*, cui concretum primo formam dicere, suppositum autem connotari displicet omninò: sed non omnia vbique miscenda, idcirco aliò hæc discutienda supponimus interea, eoque id magis, quo is auctor ex prauo fundamento progreditur *sect. illa* supponens ex hac sententia inuehi, concretum in directo formam, in obliquo solum denotare subiectum, cū tamē in superiori opinione diximus connotari subiectum, seù suppositum, non verò obliquo casu significari, hinc rogati quid sit homo, qui est terminus concretus, respondemus, quod homo est humanitas subsistens, en in recto vtrumque, formam scilicet, & suppositum. Cæterum his hæc vel est tota grāmaticalis, vel logica ad summum.

Oppositio Ioannis à Lugo.

Infringitur.

75 Aio igitur in casu, & vnum posse dici hominem, quatenus scilicet vnum est in singulis humanitatibus suppositū Verbi sustinens, vt sit sensus *Verbum est vnus homo*, Idest, *Verbum est vnum suppositum sustineus plures humanitates*, & dici posse plures esse homines, quatenus plures assumptæ humanitates, & naturę, vt sit sensus; *Christus, seu Verbum est plures homines*; hoc est, *Verbum est sustinens humanitates plures numero*; atque ità si plures numero naturas inuicem specie distinctas assumeret, equum scilicet, & hominem, at primario dici plures homines, secundario vnum.

Resolutio dubitationis ex capite auctoris.

76 Vis autem ostendam tibi primario dici rectius plures, quam vnum? Attende vocis energiam, si dixeris: *Verbum est homo vnus*: in casu propositio fortè nō concederetur, quia plures humanitates ibi, & ly, *vnus*, distribuit humanitatem, non suppositum; si autem dixeris

Verbum est vnus homo tertius concederetur propositio, quia ly *vnus*, distribuere videtur pro supposito, quod verè est vnum; At è contra tam benè concesseris hanc, *Verbum est plures homines*, quam hanc, *Verbum est homines plures*, quia pluritas vtrobique ad naturam refertur, nullibi autem ad suppositum.

Suarezij argumentatio tollitur.

77 At qui ex vniuersa doctrina hac, & distinctione proposita, facillimè singularium opinionum aduersantes rationes è medio tolles. Nam, cum ait Suarez; nullum suppositum dicitur simpliciter plures sub aliqua appellatione; quamuis plures subeat formas. Concedo non dici suppositum plurificatum, sed concretum plurificatum, quod primo formam significat, aio namque plures homines, pluritatem humanitatis intelligendo: cum ait, Christus duplicem habet naturam, nec tamen dicitur plures, sed vnus, iuxta illud Athanasij, *Non duo tamen sed Vnus est Christus*, occurro rationem esse disparem, vt dicemus petendo, an Christus sit aliqua duo; continet enim duo, sed non est duo, quia numerus affirmatus videtur referri ad suppositum non ad naturam, quod non accidit in re nostra. Cum ait; plures homines illi sunt, quorum vnus non est alius, sed si Verbum assumeret plures humanitates, & sub vna vocaretur Iesus, sub alia Ioannes; verum esset dicere: Iesus est Ioannes, sicut verum est dicere, Verbum est Iesus, ergo hic homo non esset alius ab illo, quia vnus esset alius, ergo non essent plures. Argumentum peccat transiens ab vnitate suppositi ad vnitatem concreti, & est fallacia, quia concretum in prædicato pro primo significato dicit formam, connotans suppositum, quare multiplicata forma multiplicari potest non multiplicato subiecto, seu supposito, quamuis plenius multiplicaretur, si ex vtroque capite pluritas attenderetur, scilicet, formæ, & suppositi.

Alterum Suarezij argumentum exenuatur.

78 Cum rursum arguit fore tunc, vt homo quiesceret simul, & moueretur, esset Romæ, & Parisijs. Hoc argumentum, quod etiam à Gabriele mutuauit Suarez, potius ipsos, quam nos vrget, qui simpliciter tenent vnum fore in casu hominem; quo casu idem homo diuersa opposita, & contradictoria pateretur. Sed quatenus nostræ obsistunt sententiæ constituenti vnum hominem secundario, scilicet ratione suppositi etiam arguitio nulla, quia communicatione idiomatum diuersa suppositum compatietur prædicata à propria natura, sicut, & nunc Verbum, quod suapte natura est Deus immortalis, ac impassibilis, dicitur passum, ac mortuum.

Fundamentum Lugo diruitur.

79 Ioannes à Lugo hoc fundamento innixus opinionem pluritatem hominum in casu concedentem reprehendit, retorque id fundamentum, & argumentum à posteriori efficacissimum. Si vna persona cum tribus naturis constitueret tres homines, ergò cum duabus animalitatibus duo animalia, ergò cum duabus naturis viuentibus duo viuentes. Consequens est falsum, nam in Christo est vna persona cum duabus naturis viuentibus, & non sunt duo viuentes, alioquin si sūt duo, signato vno possemus dicere: hoc viuens, nempè Deus non est illud viuens, scilicet, homo; nam vbi sunt duo, benè potest vnum de alio negari, ergo dicendum est Christum non esse duos viuentes, sed vnum, vt dicitur in Symbolo Athanasij. *Qui licet Deus sit, & homo non duo tamen, sed vnus est Christus*, ergo nec essent tres homines; licet essent tres humanitates.

Athanasius.

80 Hoc argumentum in primis eos vrget, qui simpliciter negant fore vnum hominem in casu; nostram verò sententiam satis hucusque expressimus fore plures, & fore vnum; expetita necessario ad plenam numerationem concreti, numeratione formæ, & suppositi simul, atque ita intellige Scoti locum *quolibeto* 11. & alium d. 6. 3. q. 1. *littera* C. & si quæ sunt alia, quæ statuunt concretum non numerari sine numeratione suppositi, intellige plenè, & totaliter, quia cum eius doctrina statuat concreto formam, & suppositum denotari, neutrum dicendum est sine altero sat esse ad plenam numerationem, & cū forma dicatur primo à concreto, primario pluralitas haurienda est ex illius pluritate, vt diximus. Nunc ad argumentum. Cōditionalia illa in antecedenti non est à nobis concessa, propterea sequela nulla, non enim aio vnicam personam in hypotesi constituere plures homines, sed esse plures homines, refert autem hoc, vel illud asserere, nam constitutio plurium hominum

Scotus.

nom

num ex nostra sententia penderet ex pluribus humanitatibus hecceitatis, vnitas autem hominis ex vnitate suppositi, si autem constituere sumat in illo antecedenti pro continere, totum argumentū conceditur falsitate consequentis negata, nec probatio quidquam probat transiens à continentia ad prædicationem, qua de re vide Scotū, & alios *in hoc 3. d. 6. q. 2.* concedentes nunc in Christo contineri duas naturas, duos intellectus, duas voluntates, negantes tamen Christum dici posse aliqua duo, quia prædicationes istæ numerationem in supposito, non in iis, quæ continentur arguunt, fortassè etiam Athanasij sensus non est is, quem illi Lugo apponit, vt scilicet, neget dualitatem in Christo, sed vt neget dualitatem Christi; *non duo tamen, sed Vnus est Christus*, accipiendo videlicet ly, *duo*, sicuti, *vnus*: at ly, *vnus*, sumitur masculinè pro persōna, refertúrque ad Christum, ergo, & ly, *duo*, masculinè sumptus ad Christum refertur, indicando personam, vt sit sensus, licet Christus sit Deus, & sit homo, non est tamen duplex persona, aut duplex Christus, qui dicit personam subsistentem in duplici natura, sed vna persona, & vnus Christus. Hactenus de capite.

Scotus. Athanasij verborum intellectus.

AN PERSONA CREATA *aliam possit assumere naturam à propria.*

CAPVT V.

81 Non esset planè factum primæ petitioni satis, qua postulatum est, an sit proprium Verbi assumere aliam naturam, nisi constito posse, vel non posse alias diuersas personas assumere, & similiter de persona creata, propterea, vt disputationi vniuersæ de persona assumente coronidem appingamus, hoc loco petimus possibilitatem assumptionis alienæ naturæ à creato supposito.

Posse creatam personam alienam assumere naturam.

82 Hac in re in affectiuam partem citantur Ochamus *in 3. q. 1. dub. vlt.* & Gabriel *d. 1. q. 2. dub. 5.* sed immeritò Gabriel, qui disputatione illa vniuersa problematicè ludit, & ex ipso quæsiti initio protestatur arbitratu lectoris relinquendam probabiliorem de hac re sententiā; citat verò Gabriel in hanc partem Scotum *d. 1. qu. 4.* itidemq; tenet Suarez *sect. 4. sub initio*, sed, vt patet Scoti literam inspicienti, Doctor sic loquitur pro vtraque parte probabili, vt ex instituto propriam mentem minimè aperiat. Sequitur autem hanc partem affirmantem Ioannes Maior *qu. 5.* & Ioannes Bassolius *quæst. 6.* & ex Recentioribus Martinus Beccanus, & Martinus Bonacina, hic *disp. 2. q. 7. punct. 5.* Ille *cap. 4. quæst. 5.* & Pesantius *disp. 1. q. 3. sub fin.* qui omnes Scotum auxiliatem vocant, quem si saltē à limine salutassent considerassent vtique ijs anceps de hac disputatione Scoti sensus. An verò in hanc partem, quàm in aliam propenderit magis, mox dicemus.

putauit Ochamus. Scotus, & Gabriel perperam citati. Maior. Bassolus. Becanus. Bonacina Pesantius

83 E conuerso negant Thomistæ ferè omnes cum Caietano, & alijs *q. 2. art. 1.* & post eos Durandus *d. 1. q. 5.* Petrus à Palude *q. 1. art. 2.* Suarez. *loc. cit.* & in Metaphisicis *disp. 34. sect. 4.* Vasquez *disp. 25. cap. 2.* Aluarez *disp. 18.* Lugo *disp. 12. sect. 7. num. 88. §. Secunda difficultas.* & alij. Iam Scoti, & nostram constituere debemus sententiam, obserato igitur Doctoris sensu, aperiemus, & nostrum; Scotus igitur vtique *quæst. illa 4.* videtur anceps, & dubius, vt videatur cuilibet fas esse in propriam illum sententiam trahere, hinc Faber *in 3. disp. 6. cap. 1.* probabilius virum, ait, fuisse Scot in hac difficultate affirmare, quā negare, quo autē id fūdamēto asserat, ne verbum quidem. Oppositum autem mihi videtur de Scoti mente magis, nedum ex rationibus infra ponendis, quæ ex Doctoris eiusdem eliciuntur principijs, verùm etiam, quia in solutione argumentorum, ait, *si sustineatur pars negatiua ad primum argumentum*, *dico*, & infra, *si tamen teneatur alia pars ad argumentum in oppositum potest dici, &c.* obserua, obsecro, diuersum loquendi genus in hac re à Scoto vsurpatum, pro negante, ait, *dico*, pro affirmante, ait, *potest dici*, vtrū autem horum dixeris de Scoti mente magis? An, *dico*, an, *potest dici*? Planè consueuit Scotus, dum hoc vsurpat loquendi genus, *dicitur*, vel *potest dici*, non ex sua, sed ex aliorum mente loqui; quare in hac disputatione, & si vtramque probabilem tetur partem, me iudice, in negan-

Negant posse Caietanus. Durandus. Paludanus. Suarez. Vasquez. Aluarez. Lugo. Affirmat pro Scoto Faber. Exponitur Scoti mens.

negantem propendet magis.

84 Quo conſtito, ſupponendum ex eiuſdem Scoti doctrina *præcitato loco lit. A.* diſceptationis propoſitæ titulum, ſub nomine aſſumptionis poſitum, ne in æquiuoco fiat laboratio; etenim, ſi ſub hoc titulo petijſſemus, an creatum ſuppoſitum ſuſtinere poſſit aliam à propria naturam; terminos ille ſuſtinere, vel ſuſtentare diſtinguendus eſſet, qui bifariā in propoſito ſpectari poteſt, vno modo effectiuè, alio autem terminatiuè, effectiuè ſuſtinere, vel *ſuſtentare* indicat ſuſtineri, vel ſuſtentari facere; cùm enim actioni vniuerſæ propria reſpondeat paſſio, ſiteque terminus *ſuſtinere*, vel *ſuſtentare* actiuus, eſt actiuè loquendo (non enim Grammaticaliter tantùm loquimur, quomodo ſemper hic terminus dicit terminationem actiuam) in paſſo reſpondebit ſuſtentari, vel ſuſtineri, qui ergo ſuſtinebit actiuè, effectiuè dicetur efficere, vt quid ſuſtineatur, vel ſuſtentetur: terminatiuè ſuſtinere, nihil propemodum innuit, niſi dependentiam alterius terminare. Reuocanda ſunt etiā hoc loco in memoriam quæcunque de ratione perſonalitatis diximus peculiari quæſito, quod ſcilicet illa ſecundum opinionem cui ſubſcripſimus quid poſitiuum dicit in creatis cum duplici negatione communicabilitatis, vt quo, & vt quod, actuali, & aptitudinali, patiens in creatis communicabilitatem potentialem; cum creaturę potentiali obedientia ſubſternantur Deo, dum autem petimus, an creata perſona aliam poſſit aſſumere naturam, diſtinctione non indigemus, quia nec Pater, nec Spiritus ſanctus aſſumpſiſſe dicuntur, cum ad ſe non ſumpſerint, niſi etiam velis aſſumptionis actiuæ vocabulum ad efficiētiam aſſumptionis diuertere, quo ſenſu licet improprio diſtinctio eadem hucuſque propoſita adhibenda eſt, vt vides, effectiuè namque in Incarnatione facta aſſumptionem ſingulæ fecerunt perſonæ, vt alibi diximus, in hoc autem ſenſu loquentes.

Suſtinere & ſuſtentare actiuè, & paſſiuè quid ſit.

85 Aſſerimus primo effectiuè aliam naturam à ſuppoſito creato aſſumi nō poſſe, ſeù ſuſtineri, & ſuſtentari non poſſe, ne terminos confundamus; Aſſertionem vt potè difficultate vacantem concedunt facilè omnes, & Scotico probatur argumento. Ad quæ natura creata dūtaxat obedientiæ potentiam habet, effici à re creata non poſſunt; at quod ſuſtineatur natura aliqua ab alieno ſuppoſito, in ſit naturæ illi dumtaxat poteſtas obedientiæ, ergo à creato ſuppoſito effici neutiquam poteſt; Maior ex præcognita poteſtatis obedientiæ natura liqueſcit, hæc ſi quidem in humanis in ijs, quæ poteſtatem ſuperant creatam, reperta refertur ad Deum, vt alibi dictū eſt. Minorem probo; quia niſi eſſet hoc poteſtas tantum in natura creata ad alienum ſuppoſitum, ſed eſſet aliqua alia poteſtas, vtique illa eſſet naturalis, aut violenta, at neutra harum, ergo nulla, non quidem naturalis, alias natura illa quieſceret ſub proprio ſuppoſito violenter, quod falſum eſt, & ſequela eſt euidens, cùm naturale hoc modo, & violentum opponantur; de potentia violenta probatio ridicula eſſet, vt eſſet ridiculū aſſerere poſſe naturaliter effici, vt violenter natura in alio ſiſteret ſuppoſito, hæc igitur aſſertio prima dubio caret.

Aſſertio prima effectiuè ſuppoſitū creatum nequit ſuſtinere aliam naturam.

Probatur vnio, ſed non leui argumento.

86 Aſſerimus ſecundo, fieri naturaliter non poſſe, vt creata natura terminetur ab alieno creato ſuppoſito; Hæc etiam concluſio dubitationem non habet, quæ eſt quaſi ſuperioris appendix; Nam ſi nequit hanc aſſumptionem alterius naturæ in aliquo creato ſuppoſito creata virtus efficere, fieri vtique naturaliter nequibit, vt terminetur ab alieno creato ſuppoſito aliqua natura, quoniam vnum ex alio ſequitur: vt quæ poteſtas efficientiam reſpiciat, reſpiciat terminationis poſſibilitatem: poſſetque facile ex dictis confirmari, quia ſiqua poſſet natura creata naturaliter terminari ab alieno ſuppoſito, haberet ne ad dependendum naturalem propenſionem, an minimè haberet? ſin minus haberet, ergo violenter terminaretur, & violenter in eo quieſceret ſuppoſito, quod eſt falſum; quia nequit virtute naturali quidpiam violenter ſub aliquo quieſcere, cū nullum violentum ſit durabile ex phyſicis; ſi haberet, quieſceret igitur ſub proprio ſuppoſito violenter, reditque proinde ſuperioris aſſerti argumentum probans. Vt autem hæc aſſertio quid vltra ſuperiorem expetere videtur, ex dicendis aſſertione ſequenti confirmabitur.

Aſſertio ſecunda.

Aſſertio hæc eſt quaſi ſuperioris Appendix.

87 Aſſerimus tertiò, nulla virtute, etiam ſuper-

Aſſertio tertia.

supernaturali posse creatum suppositum alienam assumere naturam. In superioribus abundè probatum est Scotum, quantauis perplexitate in hoc quæstio incedentem, in hanc nihilominus partē propensiorem fuisse. Concurrebat cum Scoto Varro, diffidebat in fundamento. Is enim qui ex continentia virtuali, & eminenti, & ex infinitate diuinæ personæ concluserat humanam naturam potuisse à Verbo assumi, consequenter ex deficientia huiusmodi continentiæ, & infinitatis, in creatis suppositis, negauit in ijs ad hanc dependentiam terminandum potestatem: & rursum arguebat Varro, ex diuino illapsu potestatem in terminādo pendentiam naturæ assumptæ à Verbo, quo deficiente in creatis negabat; in vtrumque effatum Scotus inuehitur, primum negata infinitatis necessitate ad terminandum, cum nec diuina ipsa personalitas sit formaliter infinita; secundum quia generalis illapsus primitatem causæ efficientis includit in illabente, quæ primitas in sustinendo non expetitur.

Scoti sententia declaratur.

88 Argutionem primam Scoti quantis infectatur verbis, ac rationibus, Caietanus *art. illo primo citato* probans personalitates diuinas formaliter esse infinitas, habes apud ipsum, & obiectorum eius solutiones habes apud Fabrum *disp. cita.* Non tamen ad hunc locum disceptatio de relationum diuersarum infinitate attin it, ne omnia coaceruērut in vnum. Probationes igitur solùm aliorum expendamus, vt solidiori demum fundamento veritatem asserti construamus.

Caietani argumenta diluit Faber.

89 Durandus, cuius etiam argumento vsus videtur Caietanus *loco citato* hunc in modum assertum probat. Posse terminare perfectionem dicit, aliqua si go perfectione indigebit creata subsistentia ad posse terminare alienam naturam; antecedens probatur, quia, etsi actu terminare non sit noua perfectio suppositi assumentis naturam, posse tamen terminare perfectionem dicit; consequentia probatur, quia creata subsistentia, cùm limitata sit, & finita, adæquata est suæ naturæ, ad quam terminandam ordinata est.

Argumentum Durandi, & Vasquez

90 Præterea si potestas terminandi naturalis esset supposito in ordine ad alienam naturam, etiam actus terminandi esset illi connaturalis, & ordo naturalis postularet agens, quo illa potestas reduceretur ad actum, esset ergo tota vnio naturalis, non miraculosa. Consimili vtitur argumentatione Vasquez *disp. 25. citata.*

91 At quis non videt priorem ratiocinationem Durandi verbotenus à Varronis fundamento de infinitate differre? Requirebat Varro infinitatem in persona terminante, negat possibilitatem huius terminationis Durandus, & Vasquez in creato supposito, quia limitatum est, & finitum, ergo, & ipsi infinitatem exposcentes pariformiter cum Varrone, cum Varrone refelluntur. Secundò aduerte pugnantia in primo, & secundo argumento, in primo affirmant necessitatem perfectionis ad posse, negant ad actum, in secundo ex connaturalitate potestatis connaturalitatem hauriunt actus, sed iam doctrinæ studio argumenta ipsa nihil valere ostendamus.

Reijcitur Durandi, & Vasquez ratio.

92 Demus ergo ad posse requiri aliquā perfectionem, dicerent oppositæ sententiæ auctores omnem limitatam perfectionem posse à Deo creaturis dari, & licet perfectio vtique finita esset, non enim ad infinitas naturas, sed ad possibiles assumendas potestas hæc se se extenderet. Secundi argumenti quis non negaret antecedens? cū nec actum, nec potestatem naturalem in hac reagnoscunt affirmatiuæ partis assertores, nisi quatenus naturalitas opponitur violento, sed obedientiam in natura, & supposito, & potestatem Dei supernaturalem id iubentis.

93 Demum quidquid esset de asserto toto probatio illa de agente requisito ad reducendam potestatem ad actum, quæ fundatur in vulgi effato, *frustratoria est potestas quæ non reuocatur ad actum*, omnino est nulla, vt *in primo sentent.* vidimus, quia sat est, vt in vniuersa entium coordinatione detur agēs reductiuum potestatis ad actum. Adde, vt optimè monuit Lugo *loco citato* quidquid sit de potentia naturali, hanc in re nostra obedientialem esse dumtaxat.

Adhuc vrgetur Durandus, & Vasquez

94 Idcircò alias assertum propositum probant alij. Creata subsistentia est modus, at modus non potest vniri per distinctam vnionem, sed se ipso essentialiter,

ter, ergo nulla subsistentia creata potest alienam terminare naturam, etenim cùm aliena natura non potest vniri se ipso essentialiter, quia ab ipsa potest separari, neque per vnionem distinctam, quia modus, ergo nullo modo; sed etiã hæc ratio infirma est, quia non se ipso essentialiter, sed per Diuinam potentiam, cui omnia creata subiacent, diceretur posse vniri ille modus.

Aliorum probatio inanis.

96 Idcirco probatur aliter idem assertum à Suarezio, & Lugo *loco citato*, & est ferè eadem cum superiori probatio, licet ad tollẽdam difficultatem aucta; omnis subsistentia creata est modus, at modus nequit communicare substantiam suam, seu effectum suum formalem, nisi rei, cuius proprius est modus, ergo &c. Minor inductione in omnibus modis rerum probatur, & ratione firmatur, quia actio, qua producitur Petrus non potest diuinitus esse productio Pauli, & ratio, inquiunt, est manifesta, quia tota essentia modi est actuale exercitium connaturalitatis sui ipsius, actio enim, qua fit Petrus, est ipsum fieri Petri, propterea implicat contradictionem, quod fieri Petri sit fieri Pauli, sic ergo subsistentia Gabrielis est ipsum subsistere Gabrielis, seu ipsum esse per se Gabrielis, ergo per illam nequit, exempli gratia subsistere Michael.

Probatio Suarezij, & Lugo.

97 Hæc ratio contra sustinentes subsistentiam, seu personalitatem negatione compleri, nullius est valoris; negarent enim illi subsistentiam, seu personalitatem (in hoc enim sensu loquimur) esse modum, in nostra etiam sententia constituente personalitatem, seu subsistentiam positiuo, comitibus negationibus, compleri, Suarezij, ac Lugo discursus inanis est; est namque maior omninò falsa, quia existentia vtique modus est, subsistentia autem non modus, sed realitas quæ iam, quam noscũ Scoto *quolibeto 9.* vltimatam actualitatem nuncupauimus, non ordinabilem ad alium actum; peccat rursum argumentatio in minori, & eius probatione; in minori quidem, supponens terminationem dependentiæ dicere effectum formalem, & in probatione confundens terminationem cum actione; quæ omnia falsa esse ex ipsa huius, & superiorum capitum decursione liquescit, qua terminare dependentiam diximus esse terminationem relationis in Verbo, & distingui efficientiam huius terminationis à terminatione ipsa.

Confutatur ex aliorum, & auctoris sententia.

Scotus quol. 9.

98 Argumento igitur efficaci hanc partem reor probari non posse, persuaderi tamen in hunc modum posse. Id omninò fieri à Deo nequit, quod secundum se factibile non est, at quod persona creata aliam queat terminare naturam, factibile non est, ergo fieri à Deo nequit; Maior est euidens, quia non ex Deo impossibilitas agendæ rei hauritur, cuius infinita est potestas, estque omnium, & adomnia potestas, vt in 1. *sentent.* dictum est, sed ex ipsa faciendæ rei repugnantia. Minorem suadeo: implicat naturam creatam ad aliud, quam ad proprium communicari suppositum, rursumque implicat suppositum creatum alterius creatæ naturæ, quam propriæ pendentiã terminare, ergo simpliciter factibile non est, consecutio euidens est ex sufficienti partitione, cum nequeat aliunde in proposito rei faciendæ possibilitas, vel impossibilitas manere. Impossibilitatem à parte suppositi probo. Nullum suppositum alterius potest pendentiam terminare, nisi quod secundum se est omninò independens, at nihil creatum est omninò independens, ergo nihil creatũ potest alterius dependentiam terminare. Maior probatur, quia independentia statuitur præcipua ratio terminandi ex dictis *disp.* 1. huius operis, nec satis est asserere cum Scoto in 4. in oppugnatione huius argumenti, subiectum terminare accidentis dependentiam, cum tamen subiectum non sit independens omninò, fit enim transitus à terminatione dependentiæ in hypostasi, ad terminationem in informante, & informato, accidens enim ita à subiecto pendet, vt inhæreat subiecto, in proposito autem non ità; vnde similitudo sustentati, ad sustentans diuersa est ab informatione accidentis in subiecto, vt de exemplis hoc mysterium elucidantibus dicebamus.

Probatio propria.

Vrgetur magis.

99 Ad tollendas autem argumenti fallacias, sic formetur maior. Nullum suppositum, nisi independens potest alterius dependentiam, quod sibi non inhæreat, vel ipsum non informet, terminare; in hunc modum formata maior nescio

quam

quam posset difficultatem pati; ex parte autem naturarum idem probo. Plures naturæ creatæ inuicem in eodem supposito necti nequeunt, nisi vna potestatis, altera actus rationem habeat; at in re nostra data hypotesi non sic se habetent, vt etiam oppositæ partis assertores concederent; quare nequit hæc vnio ex parte naturarum fieri. Maiorem suadeo, quia, nisi vnirentur eo modo, peto, quomodo? an vnitate causalitatis? & hoc non, vt patet, an vnitate aggregationis? & sic non esset vnum per se, an vnitate hypostasis? at hoc etiam ex impotentia suppositi euellimus, quare nullo modo.

100 Hæc probabiliter, & coniecturabiliter, augeturque coniectura, & probabilitas, quia hoc videtur esse proprium Diuinæ personæ dumtaxat, quæ cùm sit perfectissima persona, potest alterius dependentiam terminare, quamuis enim non requiratur perfectio simpliciter ad terminandum, nec infinitas formaliter, planè requiritur non imperfectio, & non limitatio, sed in creatis omnia sunt limitata, ac imperfectioni admixta, quare nulla in ijs ad hanc vnionem potestas, nec vilificanda sunt diuina, vt magnifiant humana, seu creata supposita. Si quæ tibi aliquis Scoti loca in oppositum ferat, occurre locutū Scotū secun ū affirmantem sententiam, quam vt probabilem *loco citato* prosequitur, quamquam neganti, vt probabiliori adhæreat.

Argumēta in oppositum.

101 Cum arguitur, potest diuina personalitas alienam terminare naturā, quare multò magis creata, cum sit proportio maior inter naturam, & personam creatam, quam inter personam increatam, & naturam creatā. Occurre negato cōsequenta, quia non proportio hic, sed independentia in terminante expetitur. *Diluitur primum.*

102 Cum arguitur, omnem limitatam perfectionem potest Deus creaturis largiri, atqui ad sustinendum limitata sat est perfectio, quippequæ vertitur inter entia fine, ac limite constituta, quare illam potest Deus creatis suppositis elargiri; occurre etiam, non hic perfectionē sine prædicam, vel carentem attendi, sed repugnantiam ex parte vtriusque extremi, scilicet, suppositi, & naturæ, quæ oritur secundaria ex dictis, primaria ex interna vtriusque natura, quia scilicet, *Diluitur secundum* hoc est hoc, illa natura, & vltimæ differentiæ rerum non latent.

103 Cum arguitur, Omne superius cōtinet inferius, ergo natura inferior à supposito superiori contineri poterit, & obinde humanum suppositum continere naturam equi poterit, Angelicum verò humanam naturam; occurre negato antecedenti, quia volare, vel nare est perfectio auis, & piscium, quæ sunt naturæ inferiores homine, nec tamen homo omnes illae perfectiones continet. *Enodatur tertium.*

104 Si arguitur ex auctoritatibus quorundam Ecclesiæ Patrum, præcipuè Hieronymi *in cap.* 1. *Aggei* referentis quorundam Patrum placitum arbitrantiū Malachiam, & Ioannem Baptistam fuisse Angelos in assumpto corpore humano, quorum opinionem non improbat Hieronymus, immò non esse mirandum hoc, ait, de Angelis credi, cum pro salute nostra Dei filius corpus nostrum assumpserit. Alij quoque Patres à Ioan. maiora relati censuerunt Antichristum fore dæmonem incarnatum; immò id videtur sēsisse Tertullianus *lib. de Incarn. Christi cap* 4. Occurre per corrigiam locutos Patres tam de bonis, quam de malis Angelis, & in 2. *sent.* ostendimus ad mentem Scoti, operationes vitales non posse edi ab Angelo in assumpto corpore, quod clarius de Antichristo patet, qui ob opera pessima nuncupari incarnatus dæmon potuit, quasi dicatur, quod si fieri posset, vt Dæmon humanam assumeret carnem; non nisi Antichristi carnem sumeret, quemadmodum vulgò de nequissimis viris dici cōsueuit. *Hi sunt Diaboli in carne.* De hac materia vide Scotum *quol.* 9. probantem Deum efficere non posse, vt Angelus informet materiam. *Explicantur Patrum assertæ.*

105 Si arguatur; Non repugnat eandem albedinem esse in duplici subiecto, idem corpus in duplici loco, & alia similia, quare nec aliam naturam in alio supposito. Paritatem nega, quia intimior est propria personalitas naturæ propriæ, quàm accidens subiecto, simile de corpora nullum est, quia ibi multiplicantur relationes, & vbi rationes, non corpora, nec ita se habet ad vbi corpus, vt ad personalitatem natura. *Reijcitur quartum.*

106 Si arguas cum Bonacina, id non repugnare ex parte naturæ, quæ est in potentia *Satisfit Bonacinæ*

tentia

tentia obedientiali, neque ex parte suppositi, quod cùm possit terminare propriam poterit terminare alienam: Occurre repugnare ex vtraque parte, nec sufficit in natura potentia obedientialis, quæ est in ordine ad Deum efficientem, nō in ordine ad suppositum terminans, & suppositum quamuis possit terminare propriam, non potest alienam, cùm non sit omninò independens.

Soluitur Argumētum Bonacinæ.

107 Si ex eodem argnas tria requiri ad hoc, vt creata persona aliam assumat naturam, primùm, vt natura separari possit à propria subsistētia; secundum, vt natura separata à propria subsistentia vniri queat alienæ personæ; tertium, vt persona vim habeat terminandi, quæ omnia possibilia sunt, cùm de facto natura humana in Christo seiuncta sit à propria personalitate, vnita sit alienæ personæ: Demum hæc est natura cuiuslibet personalitatis habere vim terminandi. Occurro exposci præter hæc independentiam in supposito terminante, quæ deest: neque secundum est verum de quacunque persona, sed de diuina tantùm. Tertium quoque falsum est in genere, quia licet munus sit cuiuscūq; personalitatis suppositare, certè non quamcumque naturam, sed propriam dumtaxat, nisi sit personalitas diuina, quæ cū independeat omninò, hoc munus in omni potest natura subire. Aduerte demum quæsiti sensum posse duplicem fieri, primùm de sustentatione alienæ naturæ à persona non sustinente suam, secundum de sustentatione alienę naturæ cum sua, & vtrumque ex dictis refelli, quod monitum volui, ne quis me de transitu ab vno in alium argueret, dum vtrumque ex æquo refello.

Diluitur eiusdem argumentū aliud.

Corollarium ex dictis.

DISPVTATIO IX.

DE NATVRA, ET PARTIBVS assumptis à Verbo.

Exigit ordo propositus, vt tractationi de persona assumente proximum adnectamus de assumpta natura sermonem; deque ijs, quæ cū natura ipsa assumpsit Verbum: Missis autem facilioribus de hac re postulationibus, quas per plures articulos prosequitur S. Thomas *q.4.* subsequentibus capitibus difficultates potiores complectemur, à facto aggredientes, & quę Deus assumpserit inquirētes, vt indè, quid potuerit, vel non potuerit assumi, facilius innotescat.

S. Thom.

AN VERBVM HVMANAM *naturam à partibus distinctam assumpserit.*

CAPVT I.

1 Supponēdum humanam naturam atomam, ac singularem, vtpotè cōpositā ex internis componētibus partibus cōstare, quod nulli vsquā Physico in controuersiam venit; sed an hæc ipsa singularis composita natura sit quid à partibus distinctum, non leuem habet difficultatem. Hanc prosequitur ex instituto Scotus, *in 3.d 2.q. etiam 2. littera C.* vbi, & refert Auerrois opinionē in Phisicis *lib. 1. cont. 17.* existimantis totum esse vtrique aliud a partibus, siuè à qualibet parte seorsim, non tamen ab omnibus partibus simul. Subscripserunt Auerroi Nominales aliqui cum Gregorio Ariminense, *p. sent. d. 24. q. p.* Cardinale Aureolo, *in 3. d. 2.* & Durando *ibidem.*

Scotus.

Opinio. Auerrois & Ariminensis, & Aureoli, & Durandi.

2 Oppositum sustinet, *l.c.* Scotus, estq; cōmunis, atque recepta Phisicorum sententia, totum esse aliud ens à partibus seiunctim, & coniunctim acceptis; ita etiam Bassolius, *in 2. dist. 12 q.2.* Maironus, *in 3.d.p.q.10.* Antonius Andreas, *in 7. metb. q.18.* Antonius Tubeta in formalitatibus *art.4. concl.2.* Tataretus tum in

Scotus. Bassolius Maironus. Antonius Andreas Tubeta. Tataretus.

3. ad

3. ad litteram Scoti, tum *in p. Phisic. q. 2. art. 3. dub. 1. & 2.* Faber *in 3. disp. 9. cap. 3. & in Philosophia naturali Theoremate 21. propria de' hac concertatione*, quæ est è celeberrimis Philosophiæ vniuersæ, & ex cæteris Caiet. *in comm. art. 5. q. 6. 3. partis*, Capreolus. *in 3. d. 2. quæst. vnica*, Heiueus *quol. 2. q. 14.* vt mirum sit quomodo Tataretus *l. c. p. physic.* oppositam sententiam Thomistis apponat. Conimbricenses, *in 1. phys. cap. 2. q. 1. art. p. & sequentibus*, vtramque partem tentur esse probabilem, & pro vtraque ludentes vtriusque rationes diluunt, videntur tamen *art. 2.* partem hanc affirmantem amplecti.

Faber Caietan. Capreol. Herueus Conimbricenses

3 Hæc tamen disceptatio crassiori, quã opus esset, minerua eluderetur hoc loco; quatenus eius qualis qualis cognitio viam nobis ad dignoscendum ordinem assumptionis humanæ naturæ cum suis partibus a Verbo aperit, in cuius etiam rei gratiam eam ventilar Scotus *loc. c.* cuius proprius locus est, *vel p. Vel 4. Physic.* argumētō præstolāte Philosopho, *vel 7. Meth.* ansam eodem porrigente; quare eam hoc loco potius contra, Nostrates in explananda Scoti sentētia decepcoe exagitabimus, quam contra exteros, quorum obiecta longiori sermonis decursu prosequuntur Recentis in Methaphisicis.

Scotistarum dissensus

4 Æstimat igitur Tubeta *l. c.* ad Scoti mentes totum essentiale distingui à suis partibus realiter distinctione non mutua, idest non reali ex parte omnium extremorum; quia, licet partes essentialiter a toto distinguantur, cum possint per se, & simul existere sine entitate totius, totum tamen non distinguitur a partibus, nisi terminatiuè, quatenus terminat realem distinctionem partium, & in partibus. Tataretus è contra, nedum totum essentiale, sed & totum integrale reipsa a partibus suis simul sumptis distingui constituit, *in p. phisic. l. c.* sententiam secutus Ioannis Canonici, *in p. physic. q. 4. art. 4.* Faber nouo dicendi genere vsus noua etiam adinuenit vocabula *vtroq; l. c.* asserens partes essentiales totius spectari posse, vel vt diuisas, vel vt coniunctas, quam distinctionem è Scoti doctrina supracitata desumpserat; subdiuisionem tamen adiecit aiens, partes vt in toto coniunctas spectari posse bifariã, primo vt absolutè, & simpliciter cõiunctas, secūdò vt cõiūctas, & in tertij entitatem transfactas: vertit autem hoc nouo nomine transactionis pro trāsitione, quia nouis forte rebus noua censuit deberi vocabula. Hanc opinionem, siuè hanc explanationis nouæ methodum nactus fuerat Faber Theoremate illo phylosoph co ad aliorum arguitiones euellendas, victus præcipuè vulgari illo, sed nondum forte satis eluso dilemmate, quo constituitur id solum realiter ab alio seiungi, quod potest sine alio esse, propterea cum totum essentiale sine partibus suis esse non possit, nequibit ab illis realiter distingui: Hoc, inquam, argumento victus Faber distinctioni præcicatæ primom aditum ad Gymnasia aperuit, quam Theoremate illo nulla, vel leui persuasione colorauit: Reclamantibus deinde contra ipsum in Scoti Gymnasio vniuersis, ne constitutam videretur retractare sententiam, illam *in 3. senten.* pluribus demonstrare conatur, vt infra patebit.

Nomen Fabri inuentum.

5 Suppono interim primo totū multifariam sumi; sed, vt loci huius occasio postulat, breuibus dicendum, totum aliud essentiale, aliud integrale, aliud accidentale; & rursum essentiale, aliud physicum, aliud methaphysicum. Methaphysicū dico, quod ex actu, & potestate constituitur, vt animal ex genere, & differentia compactum; Physicum verò triplex illud, essentiale, integrale, & per accidens. Totum per accidens, vt alias eius mittamus species, duplex est, alterum, quod pluribus constat nullum ad inuicem ordinem habentibus, ita lapidum aceruus totum quid dicitur ex diuersis lapidibus conflatum, quorum nullus ad alium ordinem dicit; alterum, quod pluribus constat accidentario ordine compositis, ita homo albus, & Musicus totum quid accidentale vocatur, in quo ars musica, & albedo accidentario tantū ordinantur. Integrale totū dico totū quãtitatiuū, quod pluribus particulis integrantibus cōpaginatur, ita animatum corpus corde, capite, & membris alijs integratur: inanimum verò pluribus eiusdem rationis, si homogeneum; pluribus diuersæ rationis, si ethèrogeneum, & dissimilare, vt patet in magnitudine, & alijs. Essentiale autem

Multiplex totius acceptio

Totum per accidēs quid?

Totum integrale quid?

totum dicitur, quod ex internis partibus constatur, quarum neutra est altera, & neutra est ipsum, hic homo ex anima, & corpore compositus nec anima est, nec corpus, nec Anima ipsa est corpus, aut è conuerso. Loquitur de ijs totis Aristoteles sæpius, at præcipuè *p. Phys. con. tex. 17. & 4. Phys. cont. 23.* & alijs in locis infra citandis. Hic modo impertinens est postulatio, an totum accidentale, & an totum aggregatione a suis partibus distinguatur; quia neque Christi humanitas hoc sensu totum aliquid nũcupatur, in qua Anima, & Caro vnum faciunt hominem ex Athanasij symbolo; qui tamen neque per accidens, neque aggregatione solum est homo. Neque præsentis instituti est, totum metaphysicum perscrutari, dum physicas partes in hac vnione contemplamur, vt patebit ex dicendis, de toto autem integrali non nihil fortasse, aliquid verò, & id principaliter de toto essentiali, de quo cum Scoto approbamus Fabri distinctionẽ, qua bifariam statuitur posse totius partes spectari, vno modo coniunctim, alio modo diuisim, & quidem diuisim postulatio dubio vacat. Est quidem argumentum efficax realis distinctionis realis a parte rei vnius ab altero segregatio, quare, si diuisim queunt esse partes, inuicem realiter differre dubio vacat; si quid enim potest realiter sine alio existere, vtique realiter ab illo distinguetur; ex hypotesi verò partes queunt ad inuicem segregatè spectari, quia materiam sine forma, & formam sine materia esse posse diutinius in Physica constituimus, quare & forma à materia, & materies à forma vicissim realiter distinguitur, siquè ambæ segregari possunt ad inuicem, planè & à composito seiunctè spectari possunt, quod non nisi vnitæ constant: ob eandem ergo rationem queunt realiter à composito distingui: si quis autem distinctionem totius Methaphisici a partibus petat, respondendum est suo loco; interim breuibus, ea formaliter inuicem ad summum distingui concede distinctione vertente inter diuersas formalitates, & essentialitates, non ea, quæ vertitur inter res diuersas, etenim realitatis, ac formalitatis terminos Methaphisica, rerum verò vocabula, ac terminos speculatur Physica, idem ferendum est de toto, ac partibus per aggregationẽ iudicium; aceruus quippè lapidum nihil vltra lapides multos congregatos realiter distinctum dicit, sed nec homo albus quidpiam totum est reale distinctum, nisi homo ipse, & albedo, vniuersa lis ergo vertitur de toto essentiali, & integrali.

Totum essentiale quid?

Aristoteles.

Partes totius bifariam spectantur.

6 Supponendæ sunt etiam ex formalitatibus, seù ex methaphysicis geneticæ illæ distinctionum regulæ, quas longo sermone, immò locupletatis voluminibus prosequuntur Nostrates, vt videre est apud Antonium *Syrecti*, Tubetam, Mauritium Hibernicum, Burliferum, & alios formalitatum scriptores; de quibus non nihil nos quoque distinctionẽ personarum inuestigantes *in* 1. *senten.* commodauimus, quæ omnia huic loco ad terminos saltem capessendos inseruiunt. Caue autem hoc loco distinctionem, aut identitatem partium cum supposito, vel à supposito aucuperis, ne extra quæsiti postulata vageris, quod totius nomine compositum ipsum intelligit ex rebus diuersis, è quorum numero non est suppositalitas, quæ vel negatione solum, vt alij, vel positiuo, quod vltimam actualitatem non ordinabilem ad citeriorem actum appellauimus nos, ex nostra sententia completur; porro huius actualitatis additæ negationibus vnitio cum singularitate, & cæteris atomam naturam constantibus, eiusque contemplatio potius ad supernaturalem, quam ad naturalem Philosophiam attinet.

Regulæ distinctionis apud Antonium Syreti. Mauritiũ & alios.

7 Hiscè suppositis assero primo; Totum integrale realiter distingui à suis partibus simul sumptis. Habes ex dictis totum integrale aliud esse homogeneum ac similare, alterum etherogeneum, ac dissimilare. In hoc asserto partim conueniunt nobiscum, partim differunt Auerroistæ, nam Zimara *in propositione* 75. *suorum Theorematum*, necnon Ioannes à Neapoli *quol.* 2. de toto homogeneo negant. Videtur autem assertio à Scoto deduci *in* 3. *d.* 22. *q. vnica littera* Z, cuius hæc referam verba, vt placitum intelligam, *si homo*, inquit Scotus, *nihil esset nisi partes vnitæ; homo non esset vnum nisi aggregatione, sicuti nec quinarius est vnitates quinque, sed est totum illud, quod resultat ex quinque vnitatibus, aliter, si esset illa vni-*

Totum integrale realiter distinguitur à partibus.

Zimara. Io. à Neapoli.

Scoti verba.

tates,

tates, esset sicuti aceruus. Hæc ibi, ex quibus dilucidam Scoti mentem habes de toto integrali Metaphysico, nempè de numero, qui est totus quasi homogeneus, cuius partes singulæ sunt vnitates, sicut qualibet pars aquæ est aqua licet alio modo, & vidatur aperta Aristotelis sententia in supernaturalibus 5. Methaphysicæ cap. de quali, *bis tria*, inquit, *non sunt sex, sed semel sex sunt sex*, & 7. Methaphysicæ *tex.60.* ponit Aristoteles discrimen inter A, & B, & ab, quia potest interira ab, remanentibus a, & b, patet autem assertio ad sensum, quia caput non est totus homo, nec pes, nec cor, sed omnia hæc vnum integrant hominem; nec valat doctrina Auerrois 1. *Phys. cont.* 17. concedentis, vnamquamque partē esse aliam à toto, sed omnes in simul nō esse aliud nisi totum; quia nec etiam omnium partium simul prædicatio vera est de toto, neque enim verum est asserere, homo est caput, collum, brachium, pectus, & sic de alijs, nisi explicato, quod homo integretur ex ijs omnibus, nam qualem ordinem habent partes in toto existentes partialiter considerata, talam genericè considerata.

Aristoteles.

Auerroes.

8 Ex Scoticis relatis verbis rationem conflo ad assertum hoc modo. Nisi dixeris totum integrale à suis partibus realiter distinctum, sed idem velis esse realiter cum illis, concedendum ast tibi nihil esse discriminis intar totum per se, & totum ex aggregatione; consequens ast falsum, quia nusquam concessit Philosophia per se, & per accidens idem omnino asse, quod aueniter, quia totum aggregatione est totum per accidens, integrala verò per sa. Sequela deducitur, quoniam si totum est suæ partes integrantes; planè cum illæ sint plura entia, & esse totum, quod est plura, fit vnum aggregatione, vnum aggregatione fiet vnum per sa, vt deducebamus. Quod si dicas, disparem esse rationem, quia partes totius integralis cō-flant per se vnum, cum sint tanquam actus, & potestates; non ita partes totius per aggregationam. Est Responsio Conimbricentium transiens à toto integrali ad totum essentiale; quatenus autem distinctionem etiam totius essentialis labefactate nititur, euertitur, quia ipsa petit principium; hoc enim & nos constituimus cum illis, partes totius essentialis se habere, vt actum, & potestatem; quo supposito arguimus, nisi distinctæ sint partes illæ à toto, fieri vnitatem aggregationis; pero enim remanent ne illæ partes, nec ne in toto? si manere dixerint, & non distingui; non est igitur totum distinctum, ergo totum est suæ partes, partes sunt plura entia, ergo totū est plura entia, ergo totū aggregatione. En redit argumentum; si non manere dixerint, sed transire, inferius cum Fabro eludentur. Vide vberiorem de hoc asserto doctrinam apud Tataretum *loco citato* vbi de toto homogeneo videtur dubitare, quod oppositum videtur probare exemplum aquæ. Capto vase, & diuisa aqua in duas partes destruitur compositum totum aquæ segregatis partibus, quæ si deinde vniantur formabunt idem totum, quod prius, cum sint eædem partes; videtur autem impossibile idem numero realiter redire posse. Tu autem de hoc impossibile vide Scotum in 4. *d.* 43. *q.* 3. negantem hanc impossibilitatem, licet in casu fortè non esset idem numero totum; quia non eædem partes, implicat enim segregari in vase totum illud aquæ per medietates, quin aliquæ particulæ consumarentur aquæ, proindeque moratis partibus, dum iterum vnirentur; aliud numero totum constituerant.

Probatur assertum de toto integrali.

Responsio Conimbricensium nulla.

Tataretus cusque dubium.

Tollitur ex Scoto.

9 Assero secundo, totum assentiala realiter distingui à suis partibus omni modo cōsideratis. Dedito studio hanc vltimam appendicem intuli asserto, vt Fabri excogitatum eludam. Assertum educitur ex Scoto *locis citatis, ac infra citandis*. Euertam interim Fabri commentum. Partes, inquit Faber, vt diuisæ, & vt coniunctæ distinguuntur, vt trāsactę non distinguuntur. At peto ab ipso, quando transigantur (vtar eius terminis, ne videar aliorum, quam proprijs illius doctrinam lacessire iaculis) plane eo temporis momento, quo partes vniuntur composito, compositum constituunt, alioquin assa posset causa formalis, qualis ast forma pro aliquo tempore sina suo effectu formali, & in eo instanti primo, quo considerantur vt vnitæ; est, necne compositum? Nisi esse dicat, ergo dabitur actus, & potestas, de quibus verum erit pro aliquo instanti asserere

Assertū secundum affirmans totum essentiale distingui à suis partibus.

Conuincitur ex Scoto Faber.

naturaliter, quod non fiat vnum per se; si esse dicat, quia ipsamet vnione resultat compositum; non ergo ex transactione partium compositum resultat, sed ex vnione, quæ transactionem secundum ipsum præcedit.

Rursum arguitur

10 Præterea materia, & forma non causant totum nisi dum vniuntur, causæ enim intrinsecæ tunc causant dum approprinquatæ non impediuntur; at dum vniuntur per ipsum distinctæ sunt realiter; ergo dum causant realiter distinguũtur, ergo frustratoria transactio, si antè transactionem compositum cor flãt. Præterea. Hæc positio vniuersam Philosophiæ veritatem destruit: Constituit in primis Philosophorum communis cœtus principia rerum naturalium in facto esse esse materiam, & formam, quæ nec ipse negaret, nisi Aristotelem negaret primo naturalium *libro contex. 64. & 65. & sequentibus* probantem compositum omne esse ex subiecto, & forma: deditq; assertionis suæ Aristoteles exemplum in qualitate, quia homo Musicus componitur ex homine, & Musico, accipiens pro materia, ac subiecto hominem, pro forma Musicam: quod si dicat, vtique compositum constare ex illis, sed vt trãsactis, destruit rationem compositi, quod ex nomine ipso sonat, quod significet nimirum ex partibus conflatum, at quomodo, inquam, compositum, si desunt partes iam transactæ?

Confirmatur primo

Confirmatur secundo.

11 Et confirmatur; quia manere subiectum, & formam in composito communiter asserunt *primo libro naturaliũ* Philosophi cum Aristotele; quomodo autem manerent, si transigerentur, vel si transirent? an fortè dicet manere, quia maneret compositum, in cuius essentiam materia, & forma dicuntur transire? at hoc nihil est, quia non materia in hoc sensu, aut forma, sed compositum maneret.

Arguitur tertio.

12 Præterea. Causæ internæ idcirco dicuntur internæ, quia intus essentiam rei causatæ manent, influunt siquidem internè in effectum: at ex hypotesi sententiæ Fabri causæ internæ, quales sunt materia, & forma non manerent, sed id tantum, in cuius essentiam transissent causæ: & tamen mirabile dictu putarim, quomodo principia in facto esse, seu rei genitæ, & causæ internæ coeant in rem compositam se se destruentes; quomodo enim causæ, & principia rei genitæ, si re vera in genito non manent? an fortè idem principium, ac principiatũ, causatum, & causa? Præterea: Actio generationis verbo tenus à transubstantiatione differret, quæ tantũ in Sacramento Altaris diuinitus conceditur, naturaliter fieri posse negatur; & sequela patet; nam transubstantiatio est transitio totius alicuius substantiæ in aliam, sicuti in Eucharistia transitio totius substantiæ panis in Christi Corpus transubstantiatio nuncupatur, & hoc etiam in re nostra eueniret; quia totius substantiæ, quæ est materia, & totius substantiæ, quæ est forma transitus fieret in substantiam compositi, quod generationis rationem destruit.

Arguitur quarto.

13 Rursum: In corpore naturali constituitur principium quietis, & motus natura, quod ex Aristotele est materia, & forma *cap. t. 2. Phys.* quonam autem modo fieri posset, vt esset principium motus, & requiei, quod amplius non esset, translatũ vtpotè in tertiæ entitatis substãtiam? Et rursum, quomodo tertia entitas, si desunt aliæ duæ causæ secundum ipsũ transactæ? Certè hæc monstra, non asserta phylosophica nuncuparim.

Arguitur quinto,

14 Iam verò Fabri commentum aduersati Scoto, probo adnotando, ac monẽdo lectorem ex falso hoc principio deductum Fabrum ad constituendam naturã, non formam, aut materiam, sed propensionem quandam in ipso naturali corpore, reclamante Philosophia vniuersa, & ipso Aristotele *in 2. lib. cap. 1.* in cuius expositione hoc secundum non minus, quam primũ Fabri à veritate alienum assertum è Scola Philosophorum eliminauimus. Scotus ergo sex certis in locis oppositum Fabri sententiæ sensit, præcipuè *in 3. d. 2. q. 2.* paulò antè litterã F, vbi habet, *quia natura tota ex partibus, quod est quoddam ens absolutum tertium aliud à partibus vtrisque ambabus, coniunctim, & diuisim &c.* Hæc sunt verba Scoti, quibus Doctorem de partibus, vt in composito loqui probatur euidenter, quia vocat compositum tertium aliud absolutum, at quomodo tertium, nisi in ordine ad dualitatem partium in eo sistentium? nisi enim existerent partes, compositum non esset tertium, sed vnum; & iterum

Faber aduersatur Scoto.

Verba Scoti dilucida.

iterum, dum dicit Scotus *coniunctim*, ac *diuisim*, ne putes ly *diuisim* referri ad cõpositum, quasi esset sensus, differre compositum à partibus nondum sibi coniunctis, neque ad inuicem iunctis; quia hoc nihil esset, nondum enim existente composito, quod planè ante coniunctionem partium nullum est, nulla eius ad partes distinctio; vnitas enim, & pluritas entitatem rei sequuntur; sed ly, *diuisim*, refertur ad partes inter se in eodem composito manentes, vt sit sensus, differre compositum à partibus coniunctim, & diuisim, hoc est, à partibus omnibus simul, & à singulis singillatim, sic enim verba illa sonant, *tertium aliud à partibus vtrisque ambabus coniunctim, & diuisim*, nisi enim id sonaret, vt quid repetitio illa *vtrisque; & ambabus?* an non idem vtroque termino significatur?

15 Alter Scoti locus est *in eadem q. & dist. littera C*, vbi habet hæc verba, *ostendo, quod totum sit ens aliud ab omnibus partibus coniunctim, & diuisim &c.* quibus verbis, quod particulam illam, *coniunctim, ac diuisim* non ad compositum, sed ad partes referat, vt sit sensus: Ostendo, quod totum sit aliud ens ab omnibus partibus simul, & à singulis partibus singillatim &c. ipsamet Scoti probatio ostẽdit, quia alias non esset distinctio totius per se à toto per aggregationem, in quo totum est suæ partes: hæc autem argutio nulla esset, nisi etiam in toto per se manerent partes; hoc siquidem Scoti argumentatio supponit, sed quod partes illæ non maneant in composito indistinctæ, ratio Scoti probat.

Alia Scoti verba.

16 Tertius Scoti locus est *in eodem 3. d. 22. q. Vnica littera C.* quo docet, hominẽ habere quandam entitatem aliam ab istis partibus etiam vnitis, non tamen partialem entitatem, quæ cum istis faciat compositum; tunc enim procederetur in infinitum; & paulò ante Scotus dixerat hominem non esse partes tantum vnitas, sed illud totum, quod resultat ex partibus, dato exemplo de numero quinario, quod supra retulimus: è quibus eliciet quisque dummodo non cæcutiens, quod, cum in quinarium vnitates non transeant, sed maneant quinarium constantes, nec in hominem transibunt materia, & forma, sed hominem constituent. Habebit etiam quisque sensatus sensum Scoti de vanitate huius transactionis, dum dicit, tertiam hanc entitatem non facere compositum a quod cum partibus, quasi verò illa esset partialis entitas potens facere compositum, cum sit ipsa composita; esset autem hæc monitio ridicula, si partes non manerẽt: vt quid namque moneret, non facere entitatem tertiã compositionem cum partibus, sed ipsam esse compositam, nisi illa tertia entitas cum partibus componentibus maneret?

Tertius Scoti locus.

17 Quartus locus Scoti, idemque lucidissimus est. *in eadem q. ac dist. littera O*, vbi sic loquitur, *Dico quod, quamuis hoc verum sit, &c.* & infra, *ratio est, quia partes, qua nata sunt, esse partes alicuius totius, non subsistunt naturaliter, nisi in suo toto, cuius sunt partes, huiusmodi partes sunt corpus & anima &c.* Hæc Doctor, quibus in toto partes ne dum manere, sed subsistere docet; rogo autem Fabrum, quomodo possunt partes subsistere, si iam transierunt in tertiã entitatẽ? Certè, hypotesi concessa, non partes, quæ nullæ essent, sed ipsum solum subsisteret compositum.

Quarta Scoti auctoritas.

18 Hæc loca Scoti inuisa fortasse Fabro fuerunt, idcircò ne verbum ad illa quidem. Ad rationem autem de causis, & principijs in terminis hucusque tactam respondet *in 3. sentent. disp. citata num. 23.* causalitatem materiæ, & formæ differre à causalitate efficientis, & finis, *quia*, (inquit ipse) *materia, & forma efficiunt compositum per conuersionem se ipsarum in totum, quod constituunt, & non manent proinde distinctæ ab illo & c.* Hæc ille, obserua elegans loquendi genus, *per conuersionem se ipsarum*, quasi verò ly *se* indeclinabiliter se haberet ad omnes casus pronominis *ipse*, ipsa, ipsum &c. post modum lude responsum ex doctrina Aristotelis *2. Phys. cap. de causis*, quam hic vir etiam adducit, sed vim non metiens non perpendit; ait autem Philosophus, *materia est, qua aliquid fit cum insit &c.* debet ergo inesse composito, vt sit compositum; at si transiret in compositum non inesset, quare vana responsio.

Responsio Fabri.

Luditur ex Aristotele.

19 Demum idem Scotus in *3. d. 16. in solut. 1. q. littera D*, diluens axioma illud, seu

Alius Scoti locus. Circa axioma illud Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.

seu pronunciatum Damasceni *lib. 3. cap. 26.* quod hactenus in ore versatur omnium, scilicet, quod Verbum nunquam dimisit quod semel assumpsit: Respondet; effatū illud de principalibus partibus corporis intelligendum, quæ conueniunt ad perfectionem hominis, quales sunt partes ethetogeneæ, nimirum cor, caput, & manus, sed totum sub ratione totius fuisse dimissum in morte, quia totum integrum ex partibus non semper fuit vnitum, tamen principales partes semper fuerunt vnitæ. Hæc Scotus, è quibus elice sensisse Scotum, partes principales, cuiusmodi est anima, & corpus, non esse totum hominem, sed distinctas manere in toto homine, quia partes nusquam dimisit Christus, totum dimisit, nisi velis concedere idem omnino dimissum, & non dimissum, quod implicat, & sane, qui dixerit rationalem animam suaptè natura incorruptibilem, quæ est altera hominis pars constitutiua, non manere in homine, sed transire in substantiam hominis corruptibilis, & caduci, corrigendus esset acrius, quam phylosophico medio; horrent siquidem Catholicæ aures audire hanc formam à Deo in humanum corpus infusam non manere realiter à corpore distinctam; quamuis in corpore operationes edat corpori organico aptas, & accommodatas; obinde qui hanc formam in humano composito formam informantem, & primariā compositi partem agnoscunt, acriori telo Fabri molem destruunt.

Replica Fabri. 20 Nec valet replica Fabri, animum & si suo genio incorruptibilem fieri tamen in corpore mutabilem, quia in corpore sentit, & facit vnum per se, extrà non sentit, quare mutatur non secundum substantiam, sed secundum esse substantiale,

Euertitur. quia esse substantiale, & substantia vt causa solum, & effectus discrepant, si ad diuersa referantur; si ad idem, omnino videntur idem, vt mea substantia, meumque esse substantiale idem sunt, seu saltē pro eodem accipiuntur; & multo magis in anima, & compositionis experte, in qua totum esse substantiale est sua substantia: quare si secundum suum esse substantiale mutatur, secundum substantiā mutaturall atō vere exemplum de sensu, & vegetationis actibus bellè auctoris hallucinationem ostendit; ij siquidem effectus sunt animi in corpore, in quo est principium illorum, non sunt autem esse substantiale animi. Si dicat in corpore esse tale principium, extra corpus non ità, ergo mutatur: quidquid sit de mutatione, quid inde? an ob inde in corpore est vnū idē cū corpore realiter ab eo indistinctū hoc principiū? si asserat, ergo, inquā, nō animus, qui nullus est realiter

Vrgetur Faber difficultate de anima rationali. alius à corpore per ipsū, sed corpus ipsū est huiusmodi principiū, quod veritati, & Philosophiæ repugnat: si negat manere; ergo distinctum à toto animum confiteatur necessum est; & planè miror doctissimū virum, quo casu in hasce dilabatur ineptias, vt transire confiteatur animum in substantiam totius, qui proinde immortalis, aut immortalitatem cum caducitate corporis commutaret; quod est falsum, & hæreticum, aut immortalitatē participaret corpori, quod experientia monet esse ridiculum, aut demum in morte hominis denuò creandus esset animus, aut denuò ex composito resultaret, quæ omnia tam falsa sunt, quam vt falsissima.

21 Hęc omnia non magis Fabri sententiā improbant, quā assertū probent, nisi.n. partes in compositi trāseunt entitatem, planè à composito distinguuntur, si quæ rursum partes à Christo sumptæ dimissæ nusquam fuerunt, dimissum verò fuit totum, certè ijs ab hoc toto realiter seiunctis, realis ad inuicem tradenda est ad compositum distinctio, cuius primaria videtur illa formalia antium regula, quod signum eius præcipuum est realis extremorum segregatio.

Difficultas causa noue opinionis Fabri 22 Quod si dixeris. Atqui, si ita se res habet, partes, fortasse à toto, ac totum à partibus re ipsa distingui nequibit; ex quo diuelli ab ijs absque sui perditione non potest. Hæc inseparabilitatis totius à partibus consideratio Fabrum in eas redegit augustias, vt nouo commento vniuersam Scoticæ palestræ, immò & phylosophorum gymnasij doctrinam

Tubetę lapsus. labefactarit; hæc etiam Tubetam in formalitatibus eò duxit, vt concessa reali partiū à toto distinctione, realem è cōtra totius à partibus distinctionem neglexerit; appellando distinctionem hanc nō mutuam; sed Fabro iam factum satis. Tubetam verò dixerim inani trepidasse pauore, cum, vt mox dicemus, inseparabilitas

bilitas quandoque aliunde, quam ab identitate ortum trahat, nunc verò distinctionem eius hanc non mutuam ridendam duco, quia distinctio quædam relatio est, si realis distinctio, realis relatio, quę propèmodũ ad nullũ præcipuè relationum genus reuocari videtur magis, quam ad id, quod Aristoteles vocat super vnum, & plura fundari; atqui relatio huiuscemodi realis nuncupatur ex parte vtriusque extremi, sicuti & quæ super agere, & pati, solummodo relationes tertij generis, quæ fundantur super mensurans, & mensuratum non mutuæ dicuntur, & ab aliquibus relationes disquiparentiæ.

Conuincitur.

23 Iam ad difficultatem reuertimur; ad quam nemo respondere impediet cum Ant. Andrea 7. *metb. q. vltima*, & Tatareto 1. *Phis. loco toties citato* effatum illud, *Ea realiter distinguntur, quorum vnum esse potest sine alio*; multas perpeti exceptiones, at præcipuè eam de dependentia essentiali; siquæ namque essentialiter inuicem pendent; esto re ipsa distincta diuelli realiter nequeunt; vt res se habet in re nostra, inqua, & totum à partibus ita pendet, vt sine ijs esse nequeat; & partes vnitæ ità ad compositum referuntur, vt id necessariò causent; habemus exemplum de relationibus paternitatis, & filiationis, quæ cum mutuò se exigant, quamquam re ipsa inuicem distinguuntur, vna tamen sine alia esse non potest.

Ostenditur qualitas illius effati. Ea distinguntur realiter, quorũ vnum potest esse sine alio.

24 Sed audite Fabrum *numero 20. in 3. sent. citato* quid ferat. *Hæc solutio (inqui), est nulla, quia sequeretur saltem partes simul vnitas in ratione actus, & potestatis, & vt sunt constitutiua intrinsecè totius distingui à toto, & esse posse sine toto; & consequentia est euidens ex Scoto in 2. d. 1. q. 5. ratio, propter quam aliquid non potest esse sine alio est, vel quia sunt idem, vel quia illud aliud est prius, vel quia sunt simul natura, at in proposito partes illæ non sunt posteriores toto, neque simul natura, sed priores toto; ergo si nequeunt esse sine toto, hoc erit quia sunt idem re cum toto.* Verum hæc Fabri instantia exilis est; est enim sequela falsissima, & deductio, seu probatio similis, quarum vtraque ex falso fundamento auctorem fefellit; Partes enim vnitæ faciunt totũ; cum hæc sit interna similium causarum causalitas, vt vnitæ necessario totum causent; repugnat enim rationi causatum internarum vniri ad causandum, & non causare; alioquin essent simul causæ, & non essent causæ: quarè cum infert posse illas vt vnitas ita distingui à toto, vt queunt esse sine toto, & obinde sicuti sine toto esse non possunt, ita nec distingui à toto possunt: Concedo distingui; quia causa ab effectu distinguitur; nego posse esse; quia vnitionem partium quamquam natura compositum præcedentē necessario necessitate interna sequitur tertia entitas, & compositum. Huius rei illa est ratio, quam præstolatur Scotus *in 3. d. 1.* quia altera pars est actus, altera est potestas; seù, quia hæc est hæc, illa est illa.

Responsio Fabri.

Eliminatur.

25 Ad auctoritatē Scoti à Fabro inuectā habes in Tatareto responsum, quod illa propositio. *Omne prius alio, nec dependens ab ipso, potest esse sine ipso.* non est vera si illud prius necessario, & essentialiter includatur in illo posteriori, quomodo se habent partes in toto informato; propositioni ergo Scoticæ, dum ait, R*atio, propter quam aliquid non potest esse sine alio est, quia, vel sunt idem, vel illud aliud est prius, vel sunt simul natura*, addendum etiam, *vel quia vnum essentialiter in alio includitur*; neque necessum est asserere, ex quo Scotus hanc additionem non habuit, non esse nisi voluntariam, quia efficax nuncupare argumentum ab auctoritate negante, voluntarium est omnino.

Tataretus interpretatur Scoti locum.

26 Ex hac igitur doctrina refellitur Tubetas; quia essentialis totius à partibus pendentia in causa est, vt ipsum sine partibus esse nequeat; & essentialis ratio causandi in partibus vnitis; & essentialis earundem in toto inclusio in causa est rursum, qua nequeunt illæ vnitæ esse sine toto; alioquin essent vnitæ simul, & non vnitæ, quæ duo implicant simul in eisdem, & sequela est euidens; quia, vt vnitæ necessario causant; vt necessario causent, necessario includuntur in causato, cũ hæc sit interna causarũ internarum ratio causandi; vt necessario includantur in causato, & nequeant esse sine causato; ergo à contrario, si possent esse sine illo, non includerentur in illo necessario, non causarent necessario, non essent vnitæ; quæ propositiones contradictoriæ nequeant de ijsdem simul partibus enunciari docet Aristoteles in lo-

Tubetas decipitur.

gicis

gicis in postprædicamentis.

27 Porrò ex his omnibus, quæ contra Nostrates hucusq; inueximus, rationes tibi suppetunt non paucæ ad afferti nostri propositi elucidationem, & probationem, & contra Nominales, & alios sub capitis initio relatos mutuant argumenta Scotus *q. 2.* Tataretus *l. c.* & alij; quæ nos consultò mittimus; qui contra Nostrates solum ad aperiendam Scoti sententiam cōcertationē propositam decurrimus. Nunc Fabri argumenta pro sui commenti probabilitate metiamur.

Scotus, et Tataretus

Argumenta Fabri.

28 Faber igitur, qui pro sua opinione in theoremate illo Physico nullam attulit suadentem rationem; *in 3. disp. 9.* breue commentum in Philosophia rationum multiplicitate in Theologia compensauit octo producens in medium argumenta.

Primum.

Primum, esse capere non posse, quomodo hæ partes distinguantur a toto, cum ex Aristotele *2. de Anima cont. 8.* & alibi habeamus ex materia, & forma fieri vnum per se; quia vnum est actus, alterum potentia, & materia, & forma internè statuant totum; etenim impossibile videtur, quod re distinguantur; cū realis distinctio cadat inter duo, materia autem, & forma, vt sunt in composito facientes compositum nō sunt duo entia realia, quia fiunt totum; ex actu enim, & potentia fit vnum per se; non sunt ergo duo.

Soluitur.

Hoc argumentū tam leue est, vt sit responsione planè indignum, id namq; assumitur pro certo, quod esset sibi probandum: nimirum esse vnum, non duo materiam, & formam in composito; insuper hæc duo fieri vnum; & Aristotelis auctoritas Fabri erratum detegit, ait Aristoteles ex materia, & forma fieri vnum; ait Faber, materiam, & formam fieri vnum; diuersitatē horum pronunciatorū lippus quisq; viderit; nam, cum aio ex materia, & forma fieri vnum, 'y, ex denotat rationem principij, & partis, vt *in 1. phys.* ostendimus; cum aio hoc fieri hoc, seù materiam, & formam fieri compositum, iam non aio, aut denoto rationē principij, & partis, sed transitionem vnius in aliud; quod est contra rationem principij, quod nullo modo potest fieri principiatum.

Secundū argumentum.

29 Secundum Fabri Argumentum est. Contradicit asserere, quod aliquid realiter distinguatur ab eo, quod intrinsece, & essentialiter ipsum componit, si enim est intrinsecum illi essentialiter, non est aliud ab eo; quia quod est aliud, & realiter distinctum ab aliquo est extrinsecum illi, non intrinsecum, & essentiale illi; est enim aliud ens reale, & consequenter extrinsecum, quia vnum ens reale non est intrinsecum alteri: vt Sortes non est intrinsecum quid Petro, à quo distinguitur.

Eluditur.

Hoc argumentum eodem, seù consimili cum primo laborat morbo, id. v. assumens, quod esset probandum: in forma autem nego contradicere, vt ipse supponit; nego rursum aliquid alicui intrinsecum non posse ab eo distingui, sicut & cætera, quæ ab auctore assumūtur, quæ falsa sunt; erroremque ipsius allatum Sortis, & Petri manifestat exemplum; arbitrantis, hoc modo se habere partes in composito, vt Petrus cum Sorte; quæ toto cælo distant ad inuicem; nam Petro cum Sorte nulla habitudo componentis, & compositi; partium ad totum habitudo informantis, & cōponentis. A o igitur totum completum vnum nequire esse idem alteri toti completo; at partes in suo esse quiditatiuo entia sunt completa, scilicet, propriam habentia entitatem distinctam realiter, licet incompleta dicātur, vt sunt partes, & non totum completum; ergo ens in se si sit pars alterius est illi intrinsecum, cumque sit ens, est aliud ab illo; intrinsecum quidem, quia intrinsecè tertium statuit; aliud autem, quia ex se, & non à tertio esse habet; est ergo falsum, quod vnum ens reale nequeat esse intrinsecū alteri; quia partes sunt internæ composito, quia compositum struunt; habentque esse proprium non pendens à composito; Vtique ens reale completum omninò vnum, nullam habens ad aliud habitudinem, nequit esse illi internum.

Tertium argumentum.

30 Tertium Argumentum Fabri est illud idem, quod profert in responsione ad nostra obiecta; quia, scilicet, dilui aliter non potest argumentum Aureoli, quo statuebatur, cum non possit vnum esse sine altero, realiter non seiungi; at hoc nos paulò ante Fabri argumenta diluimus; nec iterato sermone indigemus.

Quar-

Quartũ argumentum.

31 Quarto improbat responsum Scotistarum asserentium idcirco nequire totũ esse sine partibus, quia essentialiter ab ijs pendet, & sic argumentatur: imprimis isti auctores non reperient Scotum dicere totum essentialiter dependere à partibus sic vnitis, vt actus, & potentia, & vt faciunt vnum per se modo explicato. Praeterea subdit, hoc non posse etiam dici, quia vbi est pendentia essentialis est manifesta distinctio, hic autem non est manifesta distinctio; ergo nec essentialis pendentia.

Negligitur.

Huic occurro. Siue Scotus hanc dependentiam memoret, siuè non memoret, argumentum nullum est, nam si memorat, habemus intentum, si non memorat, argumentum ab auctoritate negatiue nullum est, est autem Philosophiae vulgata veritas pendere à suis causis essentialiter effecta quaecunque. Mitto Scoti loca, ne plus aequo disputationem protraham. Ad confirmationem, aio distinctionem hoc loco mihi manifestissimam esse; quare minor Fabri, qua voluntate profertur, pari reijcitur.

Quintum argumentum.

32 Quinto arguit, si haec positio vera sit, nul essent rõnes Scoti cõtra Thomistas; nam naturaliter prius Verbum assumpsisset partes sic simul vnitas, quam totum; quia in eo realiter illae insunt per aduersarios; ergo Christus non est primo homo; quia cum sint partes primo, ordo esset in assumptione earum ante totum.

Diluetur hoc argumentum peculiari postulatione, interim occurro Scotum suam etiam aperuisse mentem in solutione secundi principalis, *q.1.d.2.* non sequi primo partes esse assumptas; quia aliquid potest esse in se prius alio non conferendo illa ad tertium, sicut partes meae naturae sunt priores natura mea tota, quoad ordinem, generationis, & executionis, hoc est in fieri, & in facto esse, nõ tamen in comparatione ad personationem, quia meae partes non prius personantur, quam tota natura mea. Idem puta in personatione humanitatis in Verbo, etsi enim partes illae constituentes humanitatem tam in fieri, quam in facto esse, priores statuantur tota humanitate, non tamen in ordine ad Verbum; quia illae praecedunt naturam non in ordine ad personalitatem, nam, vt priores non sunt personabiles; propterea Fabri argumentum, & longa eius confirmatio in Scoti doctrina, quam is fortè non vidit, habet solutionis fundamentum.

Solutio eius.

Sextũ argumenti.

33 Sexto arguit ex diuersitate causae efficientis, & finalis ex vno, & formae, & materiae ex alio ex capite; nam illae cum sint extrinsecae, verè distinguuntur á causato; hae verò vt internae non ità, sed per transitum proprium in totum.

Selectio

Hoc diluo negata hac diuersitate, omnes enim causae ab effectis realiter distinguuntur, neque penes identitatem, aut distinctionem realem intrinseca, vel extrinseca causae ratio spectatur, sed modo exposito, quia nimirum hae internae sunt partes, illae autem non ita, cum hoc tamen tum illae, tum istae re ipsa differunt ab effectis; licet illae distinctione maiori, quia segregantur, hae autem ob dependentiam, & nexum necessarium distinctione vtique reali, sed non segregabiles.

Septima ratio ex Aristotelis.

34 Septimo profert Aristotelis textum *7. meth. cont. vltimo* vbi exemplis A, & B, constituentium syllabam *ab*, & ignis, ac terrae statuentium carnem, duo pronunciata pugnantia profert, primum, quod compositum non est partes suae, secundum, quod compositum est partes suae, & aliquid aliud, haec autem contradictio nullo quit alio modo tolli nisi dicantur partes bifariam posse spectari, vno modo, vt vnitas, & sic distinguì à toto, alio modo, vt translatas, & sic non distingui.

Interpretamur Aristotelem.

Ad huius obiecti dilutionem legendus est Aristoteles eo loci apertissimo testimonio sententiam nostram firmans, dum ait, Ab, non esse tantum A, & B, sed aliquid aliud, & similiter carnem non esse tantum ignem, ac terram, sed aliud; quid clarius? ergo (inquam) compositum non est tantum suae partes; sed quid distinctum; nec distinctio Fabri ad rem facit; quia syllaba, Ab, non in vnitione tantũ, sed in se complectitur litteras, A, & B, similiter, & caro ignem, & aquã, & contradictio ab illo adducta ficticia est, nam nõ pugnat dicere, totum non est suae partes, & totum est suae partes, & aliquid aliud, immò vtraque propositio verissima est; nam homo non est Anima, & Corpus solum; en tibi veritas primae propositionis, sed est tertia entitas cum

Anima, & Corpore ex veritas alterius; pugnarent; vtique si diceretur. Totum non est suæ partes, & totum est suæ partes. Quo sensu nec somniauit eas Aristoteles.

Octaui argumentum. 35 Octauo profert Scoti testimonium *d. 2. q. 2. littera E, §. quantum ad 3. art.* & infra, *ideo illud commentatoris &c.* Vbi Doctor Auerroë reprehendit probans totum non esse partes simul vnitas tantum, idest, nihil habentes supra se nisi vnionem, quæ est simplex relatio; quoniam illa relatio præexigitur in partibus, vt totum fiat, sed partes cum illa relatione sola non sunt totum, quia hoc est absolutum, relatio respectiuum: ex quibus concludere videtur Scotus totũ esse aliud à partibus vnitis tantum, non autem vt coniunctis, & transactis.

Eneruatur. Hoc diluę inspecta Scoti littera, vbi ne cogitationẽ quidẽ hanc transactionẽ innuexit; sed solum Auerroẽ deceptum ait, ponentem vnionem solum intercedere inter totum, & partes, ita vt totum sit partes vnitæ tantum: hoc Scotus è medio tollit, statuens vnionem expeti ad struendum compositum, & tertiã entitatẽ; hanc autem tertiã entitatẽ non esse illam vnionem, quæ est relatio simpliciter. Cæterum, quod Scotus inouat totum esse solum aliud a partibus vnitis, non autem à transactis, tunc dicam, cum hanc transactionem in Scoto somniauero.

Disputationis coronis. 36 Hactenus de vniuersa Fabri in hac re nnua doctrina, in qua monitum lectorem velim, auctorem hunc *num. 19.* asserere se suam confiteri tarditatem; nec vnquam capere potuisse, quid veritatis habeat opinio firmans re ipsa totum à partibus distingui. Adeas tamen benigne Lector Ioannem Bassolium Scoti sectatorem egregium, *in 2 sent. d. 12. q. 2. not. 1.* vbi huic Fabri tarditati in hunc modum obuius prodit. *Dices, ego non possum intelligere. dico, quod ista est debilis instãtia, & dico quod ego multo minus possum intelligere, quæ tu dicis, & puto, quod tumet multo minus intelligas, quæ dicis.* Hæc ille, bellè satis ad tarditatem Fabri. *Bassolij præsagiũ ad Fabriũ* Caue tamen à Bassolio ibi constituente, naturam *2. phys.* diffinitam dici non dum de materia, & forma, sed etiam de composito toto, ex quo Aristoteles *5. meth.* compositum dicit naturam; in hoc enim neque scotizat, vt patet in *2. d. 18. q. vnica, littera C,* vbi Scotus naturam esse ait cum Aristotele tantum materiam, & formam; neque Aristotelizat, *Lapsus Bassolij.* qui sufficienter *2. Phys. cap. 1.* naturam in formam, & materiam partitus eam à composito diuellit; nec *5. meth.* oppositum sensit, dum naturam compositum concentiuè, non formaliter nuncupauit; quia, scilicet, vtraque in composito inuoluitur natura, materia videlicet, ac forma, sed de his alibi. Si quam tibi Nominales Aristotelis comminiscantur auctoritatem; qua videatur statuere, totũ nihil esse præterea nisi partes, explica per continentiam, non per identitatem; quasi sit sensus totũ esse entitatem continentem suas partes, & nihil aliud; quo etiam modo interpretaberis Augustini *August.* effatum *7. de Trinit.* quo homo statuitur nihil esse aliud nisi corpus, & Animam; & sensum facies: totus, homo nihil continet tanquam sui partes internas, nisi corpus, & animam. Cum Nominales Auerroem opinionis eorum tutelarem adducunt; nihil (inquam ego) mihi, & Auerroi homini Scoto infensissimo; cuius auctoritatẽ nihil planè Scotus facit: si tamen mitius cũ eo velis agere vide, quæ in eius gratiam confert in vnum Antonius Tubeta *in formalit. loco citato.*

37 Duæ supersunt auctoritates altera Augustini *contra Falicianum*, altera Dionysij *lib. de Calesti Hyerarchia*, asserentium morte vnita distingui, sed non consumi. *August. & Dionysius nobis fauent* Sed occurre, eas nobis fauere, nam partes vnitæ in triduo separatæ sunt ab inuicẽ non consumptæ, sicut totum; ergo à toto distinguebantur. Verum fortasse dicetur de his proprio quæsito de morte Christi. Ex hac vniuersa capitis doctrina elucidato petitionis titulo liquet, Christum naturam assumpsisse humanam re ipsa à partibus tam integrantibus, quam essentialibus distinctã, si enim totum hominem sumpsit personalitate dempta, vtique totum re ipsa à partibus distinctum sumpsit, cum totum à partibus realiter distingui mõstratum sit; quænam autem partes assumi potuerint; quas assumpserit, & quomodo assumpserit Verbum, sequentibus capitibus dicetur.

DE

DE IPSIS SECVNDVM SE partibus natura assumpta, & de accidentibus.

CAPVT II.

38 QVoniam in superiori capite de partibus totius abundè disseruimus vt in toto, operæpretium duximus aliquid etiam de ijs segregatim in hac assumptione eloqui, & postulare, an eæ sumunctim sint assumptibiles; quia autem partes compositi sunt materia, & forma tantum; & forma in humano corpore duplex, alia corruptibilis, quã corporis formam vocant Nostrates; alia immortalis, & incorruptibilis, qualis est anima; de vtraque, ac de materia etiam perendum est breuiter. Et quidem de materiali corporeitatis forma à difficultate petitionis immunes sunt Thomistæ, apud quos formæ huiusmodi nomen ipsum non bene auditur; hæc tamen disputatio physica penitus ad physicos deuoluenda est.

39 Interim de forma substantiali generice, æstimant nonnulli eam minimè à Verbo ad hypostaticam vnionem assumi posse; siuè illa in materia sit, siuè à materia segregata: quod est dictu; nec coniunctim cum materia, nec segregatam à materia assumi posse. Ita loquitur Gabriel Vasquez, *disp. 30. cap. 5.* & videtur esse opinio Scoti *in hoc 3. dist. 2. q. 2.* constituentis assumi, & personari idem esse; quarè cum forma suapte natura spectata personari nequeat, nec obindè videtur in Scoti sententia forma posse assumi. Alij è contra formas quidem vnitas materiæ solas assumi posse negantes, id de anima rationali, deque formis substantialibus à materia pendentibus, si per diuinam potestatem segregari à materia possent, id negare non audent, ita Nazarius in *tertia parte quæstione quarta super articulum primum quartæ quæstionis Sancti Thomæ*, qui in citandis aliorum sententijs ait, Medinam de sola anima rationali locutum affirmasse, illam esse assumptibilem; perperam tamen, ac voluntariò, nam Medina patentissimè de singulis formis substantialibus affirmauit *in comm. & expositione articuli primi quæstione quarta tertia parte dubio primo;* immò ex affirmatione de anima rationali id de singulis affirmat formis. Veraque tamen sententia quod affirmat de formis concordi sensu de materia inficiatur; cui se subscribit Aluarez, *disputatione 2. conclusione prima*, Scotus noster de hac re ex instituto nullibi, vt obinde fas fuerit sectatoribus pro libito philosophari, hinc Faber *disputatione 6. cap. 2.* vtramque sententiam prosequitur.

Opinio Vasquez

Scotus

Opinio Nazarij

Aluarez

Faber

40 Consimilis vrgeri potest difficultas de formis accidentarijs, nunquid illæ scilicet à Verbo sint assumptibiles; in qua negarunt ex Nostratibus Ioannes Bassolius in *tertio dist. 2. quæst. 1. art. 2.* ex Thomistis Mantius; ex Exterris Diui Thomæ sectatoribus pro libito Bonacina *disp. 2. quæst. 4. puncto 5.* Suarez *disp. 14. sect. 4.* Vasquez *disp. supra cit.* Cõtra affirmant Aluarez *l. c. concl. 5.* Medina *dub. illo 1.* Nazarius *quæst. 6.* qui pro se citat Gabrielem *dist. p. quæst. 2. artic. 2. ad 7.* cum tamen oppositum doceat Gabriel; immò cum nihil in vniuersa illa quæstione ex professo, sed recitatiuè solum ferat Gabriel, vt toties monui; citat & Valentiam, quem tamen Bonacina pro opposita sententia refert.

Difficultas de accidentibus.

Bassolius
Mantius
Bonacina
Suarez
Vasquez
Aluarez
Medina
Nazarius.

Valentia

41 Mihi, vt quid in tanta perplexitate audacter dicam; quamuis hisce petitionibus singulis perplures admisceantur philosophicæ disputationes, secundum se tamen petitio vniuersa verbalis videtur; quæuè facile queat terminorum vi explanata dilucidari; Supponendum igitur primo, aliud esse absolutè quærere, an quid sit assumptibile, & aliud, an quid ad vnionem in hypostasi, a qua personationẽ recipiat queat assumi; nam, quamuis duo isti termini in hac locutione vniuersa plerumque confundantur; primus tamen latior est secundo; plura namque assumi queunt, quæ personari nequeunt; numquid enim personari dixeris ignẽ, vel lapidem, si Deus ignem, vel lapidem sumeret? Minimè id quidem, cum sit contra diffinitionem personæ à Boethio; & Richardo traditam. Hic igitur, dum petimus, an partes substantiales possint assumi, assumptionem ipsam in

Auctoris institutum.

Obseruatio prima.

Boetius Richardus.

ſua amplitudine; vſurpamus; non autem qua ad aſſumptionẽ ad recipiendam perſonationem contrahitur, immò nec quæ interdum ad aſſumptionem ad ſuppoſitationem recipiendam; diximus enim alibi & præcipuè dum rationem perſonalitatis inueſtigaremus ſuppoſitari, ac perſonari non eſſe idem; cum perſonatio locum habeat dumtaxat in creaturis Indiuiduis ratione, vel intellectu præditis, quales ſunt homines, & Angeli; & quoquomodo animæ ſeparatæ; dixi notanter quoquo modo; quoniam verè illa non eſt perſona, cum ſit communicabilis; habet ſe autem ad inſtar perſonæ propriam habens ſubſiſtentiam nulli communicatam, ſuppoſitatio verò non ſolum in ratione, ac intellectu præditis; ſed etiã in ratione, ac intellectu deſtitutis; ſic dicimus equi ſuppoſitum, Aſini ſuppoſitum; latius autem iſtis patet aſſumptio, vt ipſum ſonat vocabulum, ſecundum quod quodcumque ad ſe ſumitur, ſiue ad vnitatem ſuppoſiti, ſiue ad vnitatem perſonæ, ſiue ad inherentiam, ſiue ad vnionem præcisè, ſiue alio modo, generice aſſumi dicitur.

Suppoſitari, et perſonari nõ ſunt idem

42 Obſerua inſuper; ſeu potius ad mentem reducendum, quod ſi quandoque exiſtere, & ſubſiſtere confundantur, hæc etiam duo vocabula exiſtentia, ac ſubſiſtentia habent ſe vt includens, & incluſum, vt ſuperius, & inferius; quoniam omne quod ſubſiſtit exiſtit; at non omne quod exiſtit ſubſiſtit: adderent tertium diuiſionis membrum Thomiſtæ, quod eſt eſſe, ita vt per ipſos aliquid ſit quod non exiſtat, nec ſubſiſtat; quale eſt prima rerum materies; quæ ſecundum ipſos eſt vtique ens, non vero aliquo modo per ſe exiſtens, aut ſubſiſtens; vt vero, quæ ad materiam ſpectant (præciſa fuſiori concertatione, quæ in Phyſicis eflagitatur) facilius capiamus.

Subſiſtere, & exiſtere quomodo diff[erant].

43 Obſeruare debemus tertio loco entis vocabulum à Scoto *quolib. 3. art. 1. littera A*, lariſſimè fuſum ad triplicem referri diſtinctionem, ſeù acceptionem, id enim ſumi poteſt cõmuniſſimè, cõmuniter, & ſtrictiſſimè, ſiue, vt vſitatiori vſurpemus vocabula; entis nomen ſumi poſſe trifariam primo fusè, ac latè, quo modo ſumptum id eſt ens, quod opponitur nihilo. Secundo modo propriè, ac ſtrictè pro ſolo ente reali; & abſoluto. Tertio modo ſtrictius, ac proprius pro ſolã ſubſtantia. Has ſingulas entis acceptiones craſſo quodam ſtilo ventilantes adhuc aduertimus; quod cum nihilum, quod opponitur enti primo modo ſumpto dicatur bifariam; primo quod includit contradictionem, ita vt nec per intellectum eſſe queat, & hoc eſt verum nihil; ſecundo quod nec eſt, nec eſſe poteſt à parte rei extra intellectum: quomodo Logicæ intẽtiones poſſent aliqualiter vocari nihil, quia extrà animam non ſunt: ideo ens quod eſt illi oppoſitum bipartitur in priori illa ſignificatione, nam vel dicit omnem entitatem non includentem contradictionem, vel omnem entitatem poſſibilem, ſin minus à parte rei, ſaltem per intellectum. Ens in ſecunda acceptione de ſolis tribus prædicamentis abſolutis dicitur, nimirum ſubſtantia, qualitate, & quantitate; quæ Boethius *lib. 1. de Trinit. cap. 10.* appellat res tantum, cætera verò prædicamenta circumſtantias rerum. In tertia acceptione ens pro ſola ſubſtantia ſumitur, & dè accidentibus abſolute negatur; ſecundum quam acceptionem vera eſt Philoſophorum aſſertio ex Ariſtotele deprompta, qua dicitur *accidens ens, quia entis.*

Ens tripliciter, dicitur

Latè.

Propriè.

Propriſſimè.

Boethius.

Hanc ex Scoto collectam, & in hunc modum diſtinctam doctrinam inſtituto noſtro applicantes dignoſcere poterimus, quem ſibi entitatis gradum vindicabit materies: Atqui in primis; cum ipſa non includat contradictionem, nec ſit purum nihil, vt primo modo ſumitur nihil; nec ſit dè genere eorum, quæ non ſunt, nec eſſe poſſunt (quia verè eſt extra intellectũ) vt ſecundo modo vſurpabatur nihil: nullus ſanæ mentis Philoſophus auſus eſt materiam à communiſſima entis acceptione ſegregare. Rurſum; cum ipſa realiter ſit, neque ſit dè genere reſpectiuorum: indubitatum eſt etiam illam entis ſecundam acceptionẽ pati. Demum; cum non ſit accidens aliquod, ſed ſubſtantia, vel ſubſtantiæ pars; entis vocem, ac rationem tertio modo ſumptam veriſſimè ſibi adſciſcet: quocumque autem modo ſumatur entis vocabulum exiſtentiam perpetuò comitẽ habet, ſi pro ente poſſibili poſſibilem, ſi pro abſoluto abſolutam, ſi pro ſubſtantia ſub-

Entitas materiæ quanta?

Existentia modus essentiæ.

tia subſtentialem : Huius rei ratio eſt, quia exiſtentia eſt modus dumtaxat eſſentiæ, ſeu rei, modus autem à re ipſa, cuius eſt modus, non diſtinguitur: rectius tamen exiſtentia entitatem ſequitur ſecundo, ac tertio modo acceptam, ſicut rectius duplici illo modo nomen entis vſurpatur. Vrgerent hæc omnia fortaſſè Thomiſtæ, quibus & exiſtentiam ab eſſentia non diſtingui, & perpetuò comitem ſequi eſſentiã diſplicet omninò, ideò, ne de re phyſica extra phyſicos limites digladiemur, conueniamus in ipſa Aduerſantium partitione, vt quoquomodo materiæ entitate intellecta, de qua præcipuè controuertimur, an poſſit aſſumi, difficultatem propoſitam enodemus.

Ens nominaliter & participialiter.

44 Entis appellatio ex Aduerſarijs etiã, vt videre poteris apud Nazariũ *loco citato*, vel à nomine accipi poteſt, vel à verbo; vtramque enim acceptionem patitur, nimirum pro nomine, & pro participio à verbo ſum, es, eſt deductũ; vnde, vno verbo, & nominaliter, & participialiter vſurpari poteſt. Huculq; conueniunt Thomiſtæ; ſed quid vtrumque ſit explicantes aiunt ens nominaliter eſſe tantum ens reale realitate eſſentiæ: participialiter vero ens reale realitate exiſtentiæ, & de ente reali realitate eſſentiæ aiunt verum eſſe, quod de non exiſtente à parte rei datur ſcientia: vt de roſa in hyeme; & hoc modo materiam ens reale vocant: participialiter vero eam ens eſſe negant. Nos diſſentimus, & Aduerſarios in hunc modum arguimus. Ens nominaliter ex vi nominis, in quo tota vis eſt apud Grammaticos, illud eſt, quod eſſentiam habet, in quo proinde formaliter non includitur exiſtentia, ſed neque ab eo ſecluditur: ratio eſt, quia nomen ex *Logicorum* diffinitione eſt vox ſignificatiua ſine tempore: quarè cum temporis ſolius conditio ſit exiſtentia: quoniam quæcunquè exiſtunt, ſi ſublunaria ſint, & creata, quamuis alia duratione durent, & alia menſura menſurentur, vel in tempore exiſtunt, vel tempori coexiſtunt; præſcindit ens nominaliter ab exiſtentia, ſeu abſtrahit ab exiſtentia, ſecundum quam abſtractionem verum eſt illud phyloſophicum pronunciatum *abſtrahentium non eſt mendacium*: non rectè ergo dicitur ens nominaliter illud, quod habet ſolam realitatem eſſentiæ, non autẽ exiſtentiæ; cum ab exiſtentia præſcindat, vt præſcindit à tempore. Porro participialiter ens acceptũ diuerſo modo ſe habet, cũ enim participium partẽ ſumens nominis, partemque Verbi, à Verbo temporis ſignificationẽ accipiat, perpetuò exiſtentiam habet comitem, nec vllo modo ab illa præſcindit. At nunc inſpiciendum eſt, an prima rerum materies ſit ſolummodo ens nominaliter, an etiam participialiter. Planè, ſi nominaliter dumtaxat ens eſſet materia, profectò illa nullum aliud eſſe haberet, niſi quod habet roſa in hyeme, quæ tantum in ſuis cauſis eſſe habet, nullum in ſe ipſa: quod quam falſum ſit nouerit, qui nouit, quam falſum ſit, materiam nondum à Deo creante manaſſe, ſed adhuc in ipſo ſuo conditore, & cauſa manere: non eſt ergo neganda entis participialiter ſumpti nomenclatura à materie, quæ à Deo creata eſt, vel ſaltem vnà cum forma creata, & cõcreata: nec ſimilem habet cum roſa in hyeme entitatem, quæ habet eſſe potentiale ſolum non autem reale à parte rei. At conuenirent Thomiſtæ concedentes ſolum potentiale eſſe in materia, quæ paſſim à Philoſophorum Gymnaſijs pura poteſtas, & ex Auguſtino propè nihil appellatur: facilè tamen reijciuntur diſtinctione Scotiſtarum prè manibus habita de potentia receptiua, & obiectiua: de actu formali, & entitatiuo, de quibus alibi effari ſumus; iam præaccepiſſe ſatis non eſſe nudandam ab entitate, & exiſtentia materiam, vt quid poſtulationi propoſitæ occurſuri reſpondere valeamus, ſuppoſita identidem ex naturali Phiſiologia formarum pluritate in compoſito.

Et quid ens participialiter.

Ens nominaliter quid.

Primum bonum est materies.

Assertio prima.

Formæ omnes sunt assumptibiles.

45 Aſſero primum, tam formas corruptibiles ſubſtantiales, quam incorruptibiles aſſumptibiles eſſe à Verbo. Hæc aſſertio etſi non explicitè ponitur; certè nec negaretur à Scoto, qui & animũ à toto ſegregatum vnitum Verbo confeſſus eſt *in 3. ſent. diſt. 23. quæſt. vnica*; & *in hoc eodem 3, diſt. 2. quæſt. 1. littera C.* quamcumque naturam etiam non intellectualem aſſumptibilem eſſe confitetur. Patet aſſertio latiſſimè; vt etiam Angelicam formam, & animam

com-

complectatur; & de forma quidem Angelica, de qua quod assumi queat, nullus hactenus visus est alicuius nominis Theologus, vnom excipe Magnum Albertum in 2. dist. 2. artic. 2. qui ex eo fundamento, quod in Angelis suppositum, & natura sit idem, Angelicam naturam, ac formam inassumptibilem esse est arbitratus; fundamentum autem eius, vt ex 2. *sent. in materia de Angelis* patet, omnino est falsum. De forma, inquam, Angelica satis dictum est *disput. superiori*. Itidemque putandum de forma separata animæ, quæ, licet non sit verè persona, itaut in assumptione ad hypostasim dici queat expoliata propria personalitate ad alienam personationem, habet se tamen ad instar personæ; & quo ad illam assertio, quæ de facto veritatem habuit, habere difficultatem non potest de possibili; fuit siquidem in triduo de facto Christi animus Deo vnitus, à composito tamen disiunctus, & segregatus.

Albertus Magnus

Anima est instar persona.

Obiectio

Dices fortè Verbum à natura, quam assumit, denominatur; nunc enim verè dicitur Verbum homo, quia humanitatem Verbum assumpsit; at dum animum assumeret, non denominaretur; esset enim falsa hæc propositio *Verbum est anima*: hinc Scotus, in 3. *dist. 2. in fine* non patitur has propositiones *Christus est anima; Christus est corpus in triduo*, cum tamen in illo triduo passionis, ac mortis tam animus, quam corpus Christo fuerit vnitum, quare signum est euidens non eodem modo assumptibilem forè animum, sicut cæteras naturas, quæ si assumerentur prædicari possent de Christo, hinc si assumpsisset Angelum, dici potuisset *Christus est Angelus*; si lapidem, *lapis* ex ipsomet etiam Scoto in 2. *dist. 2. quæst. p. & 2.* Respondeo aliud esse loqui de Incarnatione iam facta, aliud de Incarnatione possibili: vtique in Incarnatione facta cum Scoto negamus propositiones illas in triduo fuisse veras, *Christus est anima. Christus est corpus*, quamuis, & animum deitati haberet vnitum, & carnem ob eas, quas ipsemet ibi Scotus præstolatur rationes, sed solum cum veritate dici potuisse *Christus habet animam, Christus habet carnem, vel corpus*, at in Incarnatione possibili si animum sumpsisset solum, fortè non implicaret animum de Christo effari. Diuersitatis ratio est, quia in Incarnatione facta caro, & animus habebant talem ad se inuicem ordinem, vt post triduum vniri deberent, & constituere compositum, quod futurum erat homo, qui verè de Christo prædicabatur, dicendo *Christus est homo*, at in Incarnatione possibili non ita, quia ex hypotesi solum animum sumere statueretur.

Scotus

Occursus

Qua parte igitur assertio posita de formis corruptione carentibus effatur, dubitationem non habet. De formis verò è materiæ gremio eductis, ac obinde caducis, & de ipsa materie; si quod habere videtur dubium, hoc argumento enodatur. Nisi posset forma caduca, & materies assumi, peto, an impossibilitas ex ipsarum, an vero ex assumentis impotentia deduceretur? At neutrum horum; quare neutro ex capite impossibilitate manante asseuerandum absolutè est assumi posse. Suadeo minorem; quoniam ex parte assumentis in primis impossibilitas nulla, quod cum sit Verbum Patris omninò independens alterius dependentiam terminare potest, siqua igitur effingatur impossibilitas, hæc solum ex parte formarum interitui subiectarum; & ipsius materiæ manaret. At contra; æquè materies est, ac forma caduca quæuis cum cæteris creatis in obedientiali potestate subdita Deo; quid ergo causæ erit, quominus assumi queant, si propterea assumi posse cæteras creatas confitemur naturas, quia obedientiali potestate Deo subiciuntur?

Probatur assertum.

46 Dices, ratione hac ad summũ probari possibilitatem ex parte formarum, at non ex parte materiæ, quæ cum non subsistat, neque subsistere queat, nec obinde ad alienam potest subsistentiam protrahi. Contra. Materies prima rerũ est verè substantia; cum enim ex 1. *naturalium* Aristotelis sit alterum rerum naturalium principium in composito substantiali manentium, & id constantium, implicat non esse substantiam; siquidem substantia non ex accidentibus, sed ex substãtijs per se intrinsecè completur; alias, vel illud substantiale compositum non esset, sed accidentarium esset, vel ex sola coalesceret forma; quod philoso-

Instantia nona tollitur.

Themistianum oppositio.

losophia rideret. Aies cũ Tomistis habere materiam vtique esse, sed non à se, sed per formam, vel à forma coniuncta; proinde forma nudatam habere nullum esse, nec exinde posse assumi. Insurgo. Munus est formę naturæ illi elargiri esse, cui actum præstolatur, quam & constituit, at ad materiam nulla compositio, quę tota ad compositum deuoluitur, nulla igitur materiæ actualitas, seu entitas ex forma.

Reijcitur

47 Quid, quod etiam naturalium rerum principij ratio postulat, vt non fiant ex se inuicem? certè si ex forma entitatem haberet materies, alterũ ab altero principio fieret; quod nemo concederet. Sed hæc missa Philosophis faciamus, & supposito ex ijs materiam non aliunde entitatem emendicare, sed propriam habere entitatem, & existentiam: supponendum esset etiam propriam habere subsistentiam, hoc est enim cuicũmque substantiæ proprium subsistentiam habere: neque hoc loco subsistentiæ vocabulum pro existentia incommunicabili sumimus; quia sic tam forma, quam materies ita subsistunt, vt communicentur composito, quod constant, quæ propterea non subsistunt naturaliter præceptore Scoto *in 3. d. 2 q. vnica littera* O, nisi in suo toto, cuius sunt partes, sed latiori quodam significato subsistentiam sumimus, vt alibi nomen subsistentiæ æquiuocũ ex ipsomet Scoto declarantes diximus: quod si subsistentiæ voce existentiam incommunicabilem intelligere velis, adhuc rectius assumi ad subsistẽdum materiam dixeris, quam caducam formam, quæ est communicabilis magis, quam materies, quoniam forma, & naturæ, & composito communicatur; quare videtur materies melius, quam forma existentiam incommunicabilem, & consequenter subsistentiam habere, vel saltem exposcere.

Materia an habeat subsistentiam.

48 Demũ pro materie sic argue. Si quominus posset materies à forma nudata assumi, id potissimum esset, quia sine forma esse nulla potentia potest, at hoc est falsum, ergo & id quod ex eo deducitur, sequela maioris probatur per Aduersarios, qui ex hoc solo capite impossibilitatem assumptionis in ea venantur, quia scilicet illa est pura potestas, nullum habens actum, nulla potestate effici potens sine forma, quæ omnia ex hoc principio dimanant; quia si per diuinam potestatem absque forma esse nequit, consequens est, quod actum suum non habeat, sed sit ens merè potentiale. Deductorum autem falsitates ex ipsa liquent philosophia, quia si esset ens purè potentiale, esset non ens reale participialiter sumptum; non esset reale naturalium rerum principium; non esset natura, non esset subiectum generationis, & formarum, quæ philosophica sunt errata melius, quam dicta. Quod verò absque forma nexu esse queat per diuinam potestatem, quod est Theologicũ effatum; habes apud Scotum *in 2. sentent. dist. 12. q. 2.* id auctoritate Augustini *lib. 12. conf.* & validissimis rationibus probantem, quæ in hunc locum referre, & ab Aduersariorum vindicare censuris, nõ sine censura possent; sola Augustini verba, ex quo Theologicè effamur producamus in medium.

Argumentum validum ad entitatem materia.

Scotus

49 Beatus igitur Augustinus *libro 13. conf. cap. 2.* ordinem rerum à Deo creatarum numerans primo loco construit post Cælum Dei inuisibilis tabernaculum, materiam, & creatam ergo materiam, & saltem prius origine, quam formam creatam his verbis indicat. *Quid te promeruit materies corporalis, vt esset saltem inuisibilis, & incomposita, quia neque hoc esset, nisi quia fecisti eam &c.* & *lib. 1. de Genesi contra Manicheos* apertius in *extremis ferè 5. cap. verbis* id ita eloquitur. *Prima ergo materia facta est confusa, & informis, vnde omnia fierent, quæ distincta, ac formata sunt, quod credo à Græcis chaos appellari &c.* Hæc Augustinus; in quibus sin minus prioritatem temporis in creatione materiæ ad formam intelligere manis conuictus doctrina, immò decreto Lateranensis Concilij *cap. Firmiter* quo statuit Deum semel in principio temporis omnia simul de nihilo creasse, certè prioritatem naturę intelligere debes; quæ decreto Concilij nullatenus aduersatur, immò & Concilij decretum illud quispiam pro Augustino interpretaretur ex eius doctrina ibi in *vestibulo cap. 6.* vbi ait. *Rectissimè Deus creditur omnia de nihilo fecisse, quia & si omnia formata de ista materia facta sunt, hæc tamen ipsa materia de omninò nihilo facta est;* quibus interpretari Cõcilium posset, omnia vtique simul

August. auctoritas de creatione materia.

Concilii Lateranense.

facta, quia ex factione materiæ quasi omnia facta dicuntur, & omnia ex nihilo, quia ex nihilo materies condita est. Atqui ego tantum non audeo, sed Concilij decretum veneratus adhuc Augustini dicta vim habere confiteor, quibus creatam materiam construit saltem prius origine, quam formam. Sed & hæc etiam ad secundum Sententiarum librum mittamus: hæc autem dicta sint ad sufficientiam in re nostra ad probandam possibilitatem assumptionis formarum, & materiei, de qua altercabamur.

Assertio secunda: Accidentia possunt assumi.

50 Assero secundo, Accidentia quoque assumptibilia esse à Verbo: non loquimur autem hoc loco de formis accidentarijs respectiuis, quæ quoquo modo etiam formæ dicuntur; sed de veris formis absolutis. Hæc etiam assertio ex superiori doctrina satis abundè probatur, tum quia non implicat ex parte Verbi, quod est omninò independens, accidentium dependentiam terminare, tum quia non implicat ex parte ipsarum accidentalium formarum, quæ non minus, quam substantiales, potentiali obedientia subijciuntur Deo: nihil autem præterea ad posse assumi requiritur, nisi non implicare ex parte assumentis, nec ex parte assumptibilis.

Obiectio

Ares. Quod non habet existentiam, multo minus subsistentiam habere potest; sed accidentia non existunt, quia non sunt entia nisi quia entia; ergo nec possunt subsistere. Nusquam dixi accidentia subsistentiam veram habitura in Verbo, sed assumptibilia à Verbo, & sustentificabilia ab illo sicut modo à subiecto sustinentur, dempta imperfectione, et informatione, quia nec Verbum vllo modo informaretur ab ijs, nec vllũ imperfectionis apicem arguerent. Nec vsquam dixi accidentia non habere existentiam; habent enim illa existentiam propriam, quæ cum sit rei modus, nusquam à re ipsa dissociatur, at non habent existentiam substantialem, quia accidentia sunt: porro quod existentiam habeant, nomen tibi ipsum existentiæ suggerit, quod cum innuat extra causas stantiam, vt ita nouo vocabulo dicam, ab accidentibus euellenda non est, quippe quæ non in suis causis, sed extra suas degunt causas. Quid, quod nunc etiã accidentia quantitatis, & qualitatis

Reiectio

sunt sine subiecto in Sacramento Altaris? Quæ igitur maior ratio, quominus queant esse sine subiecto à solo Verbo sustentata? vide Scotum *in 4. sent. d. 12. q. 1. littera E, F, G, & sequentibus*; egregiè differentem inhærentiam non esse de essentia accidentis absolutè.

Scotus.

51 Nec audiendus est Bonacina negans per se existere in Sacramento Eucharistiæ accidentia, quamuis videantur habere modum essendi per se, sed Deum supplere locum subiecti non communicando subsistentiam accidentibus. Non est, inquam, audiendus, quia non existere ibi accidentia sensus docet oppositum, quo videmus, ac sentimus accidentia panis, ac vini extare: non existere etiam sine subiecto fides docet; quoniam albedo illa nullum aliud habere debuit subiectum præter substantiam, substantia autem ibi nulla; quare nullum subiectum, nec rectè auditur Deum supplere locum subiecti, quia non sunt illa accidentia in Deo tamquã in subiecto, sed neque nos vsquam somniauimus Deum illis accidentibus subsistentiam communicare; asserimus tantum substineri illa accidentia à Deo nõ tamquam à subiecto, sed tamquam à terminante illorum dependentiam, ac sustentificationem, quare pariformiter si assumerentur à Verbo accidentia, non alio modo dicerentur assumi, nisi ad recipiendam sustentificationem à Verbo. Concludendum igitur non minus accidentales, quam substantiales formas, immò quam materiam ipsam, assumptibiles esse, ac fuisse à Verbo.

Bonacina opinio

Confutatur.

52 Atqui vna adhuc superest difficultatis particula, nam quæ hactenus de formis diximus, de ijs nõ vt materiæ vnitis, & in composito manentibus effati sumus; sed vt à materia, & composito seiunctis, quæ scilicet non sunt actu partes compositi: restat igitur petendum, an forma vt est actu pars, similiter & materia vt actu pars sit assumptibilis; nec est petitio incongrua, quoniam etsi de facto nulla reperitur corruptibilis forma segregata à materia, nec vllibi materies sine forma, de possibili tamen secus sentiendum, nam & materiam diuina ope posse sine forma esse, & formas sine subiecto esse posse supernaturaliter statuimus; obinde exacta hucusque do-

Alia dubitatio tollitur.

ctrina

ctrina ex hypotesi tradita est, an scilicet, posito quod esset sine forma materies, & sine materie forma, altere, & eltera, & vtraque seorsim esset assumptibilis; præsens vero dubitationis appendicula de ijs, vt de facto sunt compositi partes, elicquitur. Ab hec petitione immunis est Faber, qui formem, ac meteriam in composito non manere sentit, sed in compositum transire; contre quem in superioribus nos inuexímus, & pro solutione huius non esse recedendum putamos à parte affirmente, quam ex Thomistis sequitur Medina *loco citato*, & Alnatez *disp.* 22. *concl.* 4. & Suarez *disp.* 4. *sect.* 3. & Bonecina *punt.* 3. *num.* 5. quidquid in oppositum velit Nazarius *quæst.* 3. *super primum art.* q. 4. *S. Thoma* 3. *p.* ob eas, quas hucusque argumentationes attulimus, quæ non tam proposite assetta, quã caput hoc vniuersum persuadent, hoc tamen modo factum intelligendo, vt quia partes neturaliter non subsistunt nisi in composito, non sit putandum sola supposici subsistentia subsistere; habent enim subsistentiam propriam, qua, si assumerentur à Verbo, nudarentur, & Verbi subsistentie subsisterent. Nunc aliorum obiecta perpendamus.

Faber reijcitur.

Affirmamus cum Medina, Alnarez & alij.

53 Nullam formam seu coniunctam, seu disiunctam à materia assumptibilem hoc argumento suadet Vasquez. Formæ substantiales (excipe animum) non sunt aptæ natæ per se existere, & multo minus subsistere subsistentia propria; ergo multo minus aliena Verbi subsistentia subsistere sunt aptæ natæ. Hoc diluo negato antecedenti; nam qualibet substantia, (de hisce enim formis substantialibus hoc loco loquimur) per se apta nata est existere, & subsistere, subsistentiam latè sumendo, & non pro existentie incommunicabili, de qua si loquatur argumentum, nego consequentiem; ratio negationis est, quia esse eptum natum in antecedenti, cum referatur ad proprium formarum esse, dicit aptitudinem naturalem, in consequenti verò relatum ad Deum debet dicere aptitudinem, seu potentiam obedientialem, & sic, quamuis formæ illa assumpta ex hypotesi non esset futura persona, quia in Verbo vna persone; ad subsistendum tamen subsistentia personalitaris Verbi pertracta diceretur, ad quam haber potentiam obedientialem; quod si eptum natum in antecedente, & consequente formiter sumatur pro inclinatione, naturalique aptitudine argumentum totum conceditur, quod ad rem non facit, quia de sola obedientiali potestate efformur.

Argumentum Vasquez.

Diluitur.

54 Materiam assumi non posse fusè probat Nazarius *loco citato* tam seiunctim, quam coniunctim; similiter, & Alnetez. Vniuersa argumentorum vis in eo constituitur, quod materia nullum habet actum; est pura potestas; per nullam potentiam etiam Dei existere potest sine forma. Hæc tamen omnia ex dictis diluitur, concedendo nullum in materia esse actum formalem, negando non esse actum entis, concedendo potentiam non puram, & si puram, puram subiectiuè, non obiectiuè; concedendo naturali non posse; supernaturali potestate existere sine forma posse; vt in physicis fusè transegimus.

Argument. Nazarij.

Reijcitur.

55 Accidentia assumi non posse probat Suarez. Quia, aut assumerentur ad existendum existentia Verbi, aut ad subsistendum subsistentia Verbi; non primū, quia tunc Deus actuaret quasi per suam existentiam naturam accidentium: nec secundum, quia accidens separatum non subsistit per se; quare nec in alio. Et confirmatur; quia accidens vniri, neque est statuendum per se vnum, & multo minus ad componendam vnam personam; at vnio creatæ naturæ cum Deo non quit esse alio modo, nisi per modum vnius subsistentiæ, & personæ; ergo &c. Confirmatur secundo, quia nulla ratione potest subsistentia per modum inhærentis poni in alio, cum is sit modus repugnās substantiæ; ergo pari ratione non potest ad subsistentiam accidens trahi, cum hic sit modus repugnans naturæ accidentis. Respondet Nazarius vtique assumi non posse accidens ad existentiam Verbi; at ad subsistentiam posse; ad probationem negat accidens separatum non subsistere; quare autem nequeat accidens ad Verbi existentiam trahi, putat id fieri; quia tūc Verbum actuaret quasi per suā existentiam accidens; & sic esset quasi forma accidentis. Sed hæc responsio confundit terminos existentiæ, & subsistentiæ; nam existentiam vocat vltimā actualitatem; & quasi formem, & sū actum

Argumentum Suarezij.

Confirmatio prima, & secunda.

Responsio Nazarij nulla.

Ae

actuum omninò, cum tamen hæc non sit nisi modus essendi nulla reali distinctione à rei essentia segregata, ita vt obinde à re ipsa nullatenus queat separari, subsistentiam verò rei vocat terminum naturæ substantialis; cum tamen hæc verè sit vltima actualitas rei non ordinabilis ad vlteriorem actum. Aio igitur aliter ad argumentum Suarezij accidens non trahi ad existentiam Verbi in casu; quia non expoliaretur existentia propria, quæ est ab vnaquaq; re & ente participialiter sumpto inseparabilis; neque ita trahi ad subsistendum in Verbo, quasi vero ad instar substantię pertractæ ad subsistendum in Verbo subsistere deberet, sed ita vt à Verbo substentificaretur modo cumueniente absque tamen vlla Verbi, vel à Verbo inhesione, & informatione.

56 Elicitur responsio ex doctrina Scoti in hoc 3. dist. 3. q. 1. lit. D. vbi ad oppositionem latam, quod lapis non posset assumi, quia nequit personari, respondet, quod vtique non potest personari, potest tamen assumi, & vniri: non est enim idem omnino personari, & vniri; nam personari est sic vniri, & ideo si assumpsisset verbum lapidem, lapis diceretur assumptus, & vnitus, non autem personatus; ratio diuersitatis est, quia sunt naturæ dependentes alterius rationis. Hoc eodem modo philosophare in proposito; nam accidens assumptum diceretur vtique vnitum, sed non personatum; esset vtique vnio terminata ad personam Verbi; at non recipiendo personationem, sed recipiendo sustentificationem.

Responsum Scoti.

57 Prima confirmatio Suarezij (missa responsione Nazarij concedentis componi Christi personam in casu ex natura accidentis, & subsistentia personali; quod, quam falsum sit dixerit, qui falsum reatur Christi personam esse accidentaliter compositam) labitur ex falso, ac inani fundamento; quasi vero quod cum Verbo in vnione vnitur, debeat componere personam; etenim personam Christi verè simplicem suo loco probauimus.

Soluitur prima Confirmatio Suarez.

58 Altera quoque confirmatio ex consimili fundamento ruit, supponens accidens ex hypotesi protrahi debere ad subsistendum subsistentia Verbi personali, & proinde ad personationem recipiendam; quod falsum esse diximus; pertraheretur enim dumtaxat ad sustentificationem recipiendam. Ex hactenus etiam decursis habes responsum ad auctoritatem Scoti in principio huius appendicis adductam à Vasquezio pro fulcimento propriæ sententiæ, nusquam enim Scotus dixit omnino idem esse assumi, ac personari, immò dist. 2. quæst. 1. loco cit. totum oppositum nos docuit §. contra per hæc verba: *Nec tamen sequitur, quod natura assumpta lapidis personaretur, quia personari non tantum dicit vniri, sed sic vniri &c.* Hæc Scotus, qui si alicubi dicat oppositum, assumptionem, & vnionem dicendus est sumpsisse pro hac vnione, hac assumptione facta humanæ naturæ ad Verbum, non pro quacumque vnione, & assumptione possibili: at nunc denique ad partes assumptas in vnione iam facta descendamus.

Soluitur secunda.

Scoti auctoritas.

AN HVMANA NATVRA assumpta fuerit à Verbo medijs partibus.

CAPVT III.

59 IN huiusce difficultatis caput superiori concertatione ad Philosophos regressi satis super que extra Theologicæ sapientiæ fores vagati sumus, in qua fæliciter satis Fabro factum est, qui dum partes in toto neglexit, ipsam quoque difficultatem propositam negligere tenetur. Disputationem præsentem sexcentis coninnctatum difficultatum inuolucris admixtam per diuersa quæsita, & capita prosequitur Recentes, præcipuè Suarez, & Vasquez in 3. p. S. Thomæ q. 6. art. 4. 5. & alij; nos verò de singulis hoc vno capite nónihil, prolixitatem eliminando, disceptabimus.

Suarez, & Vasquez.

60 Vt difficultatis situm capias suppone ex Scoto in 3. sentent. d. 2. q. etiam 2. littera A, ex quo de medio fit mentio, medium, vt ad rem facit esse duplex, quoddam, quod primo assumitur, estque quasi proximum assumptum inter assumentem personam, & naturam assumptam; quod-

Obseruatio prima ex Scoto.

quoddam verò, quod est ratio quædam assumendi passiuè in natura assumpta; sicuti enim de agentibus, ita de passis loquimur; quamuis hoc loco passio, & actio modis dumtaxat explicatis accipiatur, quare cum in agentibus aliquod detur medium, quod est quasi proximũ inter agens primum, & effectum; aliud quoque, quod est ratio agendi in agente; ita in passiuis, seù in instar passiuorũ se habentibus, & mediũ illud prius dicitur mediũ quod, hoc posterius memoratum mediũ quo, vno verbo, in re nostra tituli sẽsus de medio quod, erit an primo partes, an totũ assũpta sint; de medio quo an in natura assũpta aliquod fuerit mediũ assumendi. De vtroq; sensu laborandum.

Altera obseruatio. 61 Et circa significatum prius, obseruandum collationem fieri posse, vel inter partes, & totum; vel inter partes, & partes simul, sitque sensus vnus, an anima prius assumpta, quam humanitas fuerit; & similiter an caro humanitate prior assumpta; & de ijs rursum, an caro prius vnita animo, quã assumpta, & è cõtra; alter autẽ sẽsus de partibus in ordine ad totũ, an totum assumptũ prius, quam partes, & demũ an vnione vna an plures partes, ac totum, assũpserit Verbum.

Distinctio Suarij, et Bonacinæ inanis. 62 Hac in re distinctionem à Suarezio iniectam; & à Recentioribus approbatam cum Bonacina *d. 2. q. 4. puncto* 2. de ordine intentionis, & executionis inanem reor, & extra propositi dubij terminos vagantem, quo petimus, an fuerit assumpta humanitas medijs partibus, quod satis apertè ex se ipso declaratur, ordinem executionis, non intentionis inuestigare, siquidem in intentione non fuit re ipsa assumpta, sed prædiffinita ad assumendum humanitas; quare ad ordines illos rationem deflectere, vel est inani distinctione diffidentes auctores ad cõcordiam velle reducere; vel est dubitationum robur effugere; de solo igitur executionis ordine loquimur, de quo statuendum primo.

Assertio primum. 63 Nullam partem essentialem (de ijs namque loquimur hoc loco solum) in cuius gratiam partium à toto distinctionem superiori disceptatione aucupabamur, fuisse medium quod assumptionis humanæ naturæ, seu (quod in idem recipit) fuisse primo assumptam. Dum hoc loco primitiem, aut prioritatem intelligis, caue putes de prioritate temporis esse sermonẽ; de qua catholici omnes firmiter negant; cum quibus, vt quid contra hæreticos secus opinantes dicamus, distinguendum est. Nam si de prioritate temporanea sermo fiat; sciscitamur an intelligitur præextitisse anima tantum, an caro tantum, an caro, & anima simul, & tota proinde ex ijs compacta humanitas, nihil enim videtur vltra dicendum porrò animam præextitisse vnioni, & carni, error fuit Origeni tributus à Damasceno *lib. 4. cap. 6.* à Hieronymo *apol. 1. contra Ruffinum*, & ab alijs, Origenis dictorum censoribus, quando hic tantus in Dei Ecclesia vir multas multarum hæresum compositiones passus est. Hoc autem videtur sensisse *lib. 2. periharcon cap. 6.* docens, animas omniũ in mundi initio creatas, inter quas spectatissime anima Christi Verbi luce suffusam, ne præceps cum alijs caderet. *Origeni tributus error.*

64 Rursum carnem prius conceptam, quam vnitam docuisse Caluinum tradit Canisius *lib. 3. de B. Maria*, & tradere tenentur sectarij omnes, qui dignitatem Maternitatis Dei à Virgine diuellunt, denique totam humanitatem præextitisse tempore vnionem antiquissimus est error Cherinti, & Nestorianorũ de quo videri poterit Ireneus *lib. 1. cap. 25.* & Vincentius Lirinensis. Atqui errores isti omnes damnati sunt, hic postremus in Conc. Ephes. *p. can.* 13. in quo hæc habes *in ipsa hominis conceptione Deus carni vnitus est &c. & omnes similiter* errores in 6. Synodo *art.* 11. damnati, vbi habes, *simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Dei caro animata rationalis &c.* Mitto ad hanc veritatem Patrum sanctiones, & asserta, dum cum Scolasticis dumtaxat litem agimus, apud Suarezium *tota disp. 16.* relata legenda. *Error Caluini.* *Error Nestorij, & Cherinti.*

65 Huc etiam spectat de Virginis Maternitate articulus; nam quomodo Dei Mater esse posset, si præextitisset antè vnionem caro, aut animus, aut animo caro iuncta? Quarè concludendum disceptationis propositæ sermonem de sola naturæ prioritate decernendum, quæ planè spectatur inter totum, & partes in toto.

66 Neque igitur animum, neque corpus fuisse prius natura humanitate assump-

Scoticis argumentis probatur assertio. ta ostendunt argumenta Scoti loco citato *littera A, & B*, quorum primum sit. Illud omninò est primo assumptibile hac vnione mirabili cum alieno supposito quod est primo personabile in proprio supposito; at natura singularis, & atoma est prius personabilis, quam partes in proprio supposito, ergo illa primo assumptibilis est in alieno supposito. Maior probatur, quoniam alienum suppositum proprij suppositi vices gerens id omninò agit, quod ageret proprium, si nam dimitteretur ab alieno, & suppositaretur à proprio; & confirmatur, quia antequam sit personabile, tamen est natura singularis adhuc, ipsa enim, est quæ personatur, & post illud instans fit persona, quæ non potest assumi. Minor probatur, nam si ex maiori nullum est assumptibile, nisi quod natum est esse persona, certè materia, & forma ante illud instans, & in eo instanti, quo præcedunt totum non sunt natæ esse persona sed ex ijs compacta natura nata est personari primo, quatè à primo ad extremum; nam solum atoma, & singularis apta nata est personari, & assumi.

67 Huic argumento quàm inualidè occurrat, Caietanus dicens aliud esse personare, aliud assumere, vide apud Fabrum, *disp. 9. cap. 2.* vbi egregiè monet personare, & assumere in Incarnatione iam facta verbaliter differre, ex quo in Verbo ad naturam humanam assumptam nihil noui realis comminisci posse nisi relatione rationis ad naturam pendentem, quæ non duplex; sed vna est naturæ ipsius dependentis terminatio. *Caiet. occursus. Luditur à fabro.* Atqui Thomistæ vrgent responsum de personalitate partiali, dicentes vtique prius naturam totali personatione personari, quam partes, at partiali personalitate partes primo; sed hoc nihil est, non enim partes vllo modo personantur; cum personalitas sit vltima actualitas naturæ indiuiduæ non ordinabilis ad alteriores actus, modo exposito indistinctione personalitatis, peculiaris igitur personatio partium nouum est inuentum in alioquin tres essent personæ in vno quoque indiuiduo rationali vna quidem totalis naturæ indiuiduæ, & singularis, duæ partiales, scilicet formæ, & materiæ, quæ si personari possunt, pariter & simili personabuntur, partes *Luditur ab Auctore.* totum integrantes, vt sic propemodum innumeræ partiales personæ in vna communicamur; quod est ineptum dicere.

68 Vrgent rursum alij Thomistæ responsum, aientes Scoticum dilemma, aliquid de creata personalitate, nihil de increata probare, quia hæc est aliena ad naturam humanam, ac planè extera, illa propria; sed voluntatum discrimen; siquidem id omninò gerit diuina, quod gessisset humana, & eo se gessit ad diuinã personã natura humana, vt se gessisset ad propriam, nisi ab extera præuenta, quemadmodum ipsa Scotici argumenti probatio ostẽdebat. *Aliorum Thomistarum occursus videtur.* Diuertunt alij cum Suarezio ad ordinem intentionis de quo Scotici dilemmatis robur concedit. Sed voluntariam euasio, cum patentissimè de ordine executionis argumentum productum probet. Neque ordo executionis in hoc est ordini intentionis contrarius, siquidem commune effatum de contrarietate illorum verum est dumtaxat, quando aliqua spectantur, vt media aliqua, vt finis, sicut ædificator prius domum intendit, mox materiam, & exequendo primo parat materiam, deinde domum construit; quia scilicet materia illa medium est necessarium ad molem domus, qui casus longè distat à nostro; quia etsi intenta humanitas prius, quàm anima illi decerneretur beatitate plena, & caro ex Regali, ac Leuitico Stirpe; & ex Virginis sanguine, non tamen facta prius partes, quia non prius anima creata, quàm infusa; nec prius caro compacta, quàm vnita; nec prius partes præexistentes toto, quia vt totum statim vnitum, vtque coniunctæ partes statim compactum totum, siquè ordine naturæ totum præcedunt, non tamen in assumptione, quæ est propria naturæ integræ, non partium. Hoc vnico ex capite Scotus argumento assertionem propositam ostendit. *Suarezij diffugium leue censud.*

69 Suppetunt etiam aliæ rationes ex ipso, *ibi paragr. contra primum &c.* arguente contra Varronem, & illa præcipuè, quã Doctor statuit ex opposita sententia sequi Christum non esse primo hominem; quam sequelam dupliciter Scotus probat; vt propterea labatur Faber æstimans *Altera ratio Scoti captu difficillima.*

vnum

vnū idemq; Scoti argumentū esse duplex cū sit dup. ex probatio sequelæ tantū, primo igitur sequela probatur primo ad hominem, si quidem Varro dixerat assumētem non esse hominem, nisi quia assumptum fuit homo; ex hoc arguit Scotus: assumptum est natura humana, ergo si primo assumptum non fuit illa, sed partes, assumens non est primo homo. secundo probat sequi ex illa positione Christum non esse hominem, quia si accidens esset compositum ex potentiali, & actuali parte essentiali, quorum actualia dicuntur A, & potentialis B, subiectum non denominaretur ex accidente, quia denominaretur à sola A, natura si denominaretur, sequeretur, quod B, esset subiectum respectu accidentis compositi ex A, & B, quia B, actualiter denominaretur ab A, ergo à simili humana natura composita ex anima, & corpore non diceretur de Verbo denominatiuè propter solam vnionem animæ ad ipsum Verbum, quia vnio deberet esse ratio talis denominationis; quia tunc corpus posset dici homo per vnionē animæ ad corpus, ex hac secunda Scoti deductione admodum obscura alicitur tantum per vnius partis inhæsionem totum ex duobus constans diuersis non posse denominari tale, & sic si prius assumpta fuisset humanitate caro, vel animus in illo priore non potuisset dici Christus homo, nec humanatus, sed ad summū incorporatus, vel inanimatus, quod certē nunc videretur sequi, si concedamus prius illas partes vnitas, quam totum scilicet sequi prius natura dici Christum incorporatum, quam humanatum, quod est falsum.

70 Hæc ratio, vt vides ad hominem posita est, nec sua probabilitate destituta est. Illam autem neque sub his verbis, neque sub hac materia, & forma ex Scoto refert Faber, sed suam potius, quam Scoti rationem tulit. Sed Rit. Caietanus distinguendo de primo assumpto, aliud enim est primo assumptum terminata totaliter assumptione, & hoc est totum, aliud est primo assumptum non terminata totaliter assumptionem, & hoc fuerunt partes, tunc ad formam, vtique Christus fuit, & est primo homo, quatenus humanitas fuit primo assūpta terminata totaliter assūptione, & propterea verè Christus fuit, & est primo homo in hoc sensu, at non terminata totaliter assumptione primo assumptæ fuerunt partes, à quibus non fit denominatio in partibus.

Responsio Caiet.

71 Hæc responsio; quatenus videtur coincidere cū superiori de totali personatione pariter, ac super te fellitur; quà verò aliquid diuersitatis afferre videtur, arguitur, quia cum Scoticæ rationis infirmata non est; nam peto, dicitur ne homo ab re assumpta, nec ne? dicet à re totali, non à partiali; contra si à totali totaliter, si à partiali partialiter, si ab immediata immediatè, si à mediata mediatè, cum igitur partes sint primo assumptæ, & partialiter, & immediatè sequitur euidenter Christum in illo priori, aut fuisse hominem à parte partialiter, aut non fuisse hominem, quod quærit deductio argumēti similiter nunc, & tunc mediatè, & nō immediatè fuisse hominem scilicet medijs partibus non per se, sed per aliud, nempè per partes dici hominem, quæ omnia non facilè concederetur. *Refellitur*

72 Præterea principaliter arguitur ex doctrina Scoti contra Varronem; si partes prius natura, quam totum assumerentur, peto esset ne vnica, an plures vniones? at neutrum horum, ergo nec partes prius, quam totum assumuntur; Minorem probo, si quidem non foret vnam primo, quia vniones à terminis vnitis variantur; plurium enim vnitorum, plures vniones; præcipuè si plura illa distinguantur realiter, at partes assumptæ, & realiter à toto distinguuntur, & non sunt vnum, sed plura entia; ergo plures vniones, seu plures in ijs, delationes pendentia ad assumentem personā, in singulis scilicet, singulæ; Nec debere esse plures è contra patet quia frustra enim multiplicitas inducta à Philosophio negligitur in Philosophia, at in re nostra duæ illæ vniones prioles frustra ponerentur, quod probo, quia eiusque bene per vnicam vnionem totius ad Verbum completur assumptio, à qua & natura dicitur assumpta, & Verbum hominem dicimus esse factum, vt quid igitur illæ duæ? dicet Caietanus esse vnā sed secundum naturæ ordinem progredientem prius ad partes, quam ad totum; sed hoc refellimus, tum quia multiplicitatem *Alia ratio Scoti* *Caiet. responsio nulla.*

citatem

citatem vnionum ex ipsis terminis assumptis mensurantes, Respondet Suarez vnionem, & vnam dici, & plures, plures quidē partialiter vnā totaliter, vnde ipse *disp. 17. sect. 5. respondens ad* argumentum Durandi *concl. 4.* concedit, assumptionem non esse omninò simplicem, sed compositam, ex quibus concludere tenetur, ne dum vniones dici partiales subiectiuè, quia scilicet sunt vniones partium, sed etiam formaliter; quia si vnio totius est composita, planè vniones partium partes erunt vnionis totius. Quæ responsio vniuersam destruit relationis quidditatem; quæ est forma suapte natura simplex, neque apud aliquem hucusque reperi relationem esse compositam suaptenatura; quæ est simpliciter habitudo fundamenti ad terminum; ex ea admissa petendum à Suarezio esset, an duæ illæ vniones ita conflarent tertiam, vt esset hæc ab ijs realiter disiuncta, & sic essent tres verè vniones, & hæc non resultante ex illis esset ad summum compositio per aggregationem, si hæc autem resultaret ex illis; an verò per se, an per accidens; si per accidens nullam ergo illę per se habitudinem habebūt ad tertiā, si per se, ergo altera illarum erit actus, altera potestas quia ex duobus entibus per se nō fit vnū per se, nisi illa duo se habeant, vt actus, & potestas. Cæterū hæc omnia in simplici relatione dependentiæ comminisci, verè commentum est.

Responsio Suarii.

Inanis est & contra philosophiā.

78 Quare ex hoc asserto statuendum est, nec animam prius corpore assumptam, nec corpus anima prius assumptum, nec corpus, & animam prius quam totum, quia si neutrum toto prius est assumptū, planè nec alterum altero, sed alterum, & alterum cum toto, quod solum personabile est; non enim partibus, vt diximus, sed toti personalitas conuenit; hinc tot Recentiorum postulationes ridiculæ ad volumina locupletanda congestæ labuntur, an scilicet anima prius Verbo, quam carni vnita sit natura si non prius vnitæ partes, quam totum, neque sit totum nisi ex vnione animæ ad carnem, vt quid petitio illa? similiter, vt quid alia è conuerso, an caro prius vnita Verbo, quam animæ si prius natura (seù saltem non prius natura partes) totum, quam partes assumptum dicitur totumque ex partibus ijs coalescit? prosequi vtique possemus harum singulas ex hypotesi, concesso videlicet, quod partes possent prius quam totum, natura assumi, quam habitudinem ad inuicem habeant.

Postulationes variæ Recentiorum ridentur.

79 Qua de re cum possibilitas tantum petatur, vel ex hypotesi possibilitatis breuibus ex doctrina Scoti *loco citato* dicendum est, quod spectatæ partes inuicem in ordine ad Verbum assumens sic se habent, vt prius deberet assumi caro, seù corpus, quam anima si aliqua prioritate vnum altero prius assumi posset, Ratio est quia personari est fieri incommunicabile, atqui incommunicabilitas materiæ magis, quam formæ aptatur, cum de facto forma communicetur materiæ, in toto autem caro, seù corpus materiæ vicem gerit, anima forma, hic ergo postulatur natura illo assumendus esset ad personalitatem hypotesi proposita, & in hoc asserto nobiscum conuenit Suarez, *disp. illa 17. sect. 3. assertione 2.* licet diuerso fundamento ab ipso desumpto ex ordine intentionis, & executionis; de quo nonnihil nós in huiusce capitis initio præstauimus.

quid de possibili.

80 Habes etiam ex *Scoto* contra Varronem causas alias ad hoc idem statuendum de prioritate corporis. Quo circa decipitur Suarez, immò contradicit sibi dum, qui *sect. 5.* totum prius assumptum dici posse constituit, quam partes vnitas; *sect. 1.* decernit animam prius Deo Verbo vniri, quam carni; & rursum *sect. 3* carnem prius Verbo, quam animæ vniri, quasi verò partes illæ prius fuerint partialiter assūptę, mox verò vnitę & vt vnitę nō prius quā totū assūptę, cum tamen planum sit, partes illas assumptas non fuisse nisi, vt vnitas, & vt in toto ob rationes Scoti adductas, alias bis fuissent assumptæ, semel quidem segregatæ; iterum verò vnitæ, quod nemo dixerit; sed nec ipse; qui *sect. 5.* idcircò partiales vocat vniones partium, quia complent vnionem vnius.

Contradicit sibi Suarez.

81 Sed quid ex hypotesi si vniri possent prius Verbo, quam inuicem, verū pars prius assumeretur à Verbo, eique vniretur prius; quam vniretur alteri parti? equidem si perfectionis ordo spectandus esset primum locum ascribendū esse animo, verendum non est; proindeque dici possit animum prius Verbo vniendum,

Noua postulatio contra Suarezių.

dum,

dum, quam carni, verum hoc loco non dignitatis, & excellentiæ antecessionem petimus, sed naturæ, quare contra Suarez dicendum videtur prius carnem venisse Verbo, quam animo. Ratio est eadem et, quam superius adduximus, quia caro materiæ vicem gerit, quare magis personabilis, non autem ab animo, sed à Verbo personatur, seu personari posset, nisi mau s dicere neutrum alteri, sed primo Verbo, à quo dissociari nequeunt partes, cum tamen dissociatum fuerit totum in triduo, in quo, & corpus unitum erat Verbo, & non animo, & animus Verbo, sed non corpori.

82 Asserendum secundo; si loquamur de medio quo, animum posse dici prius assumptum toto, seu, & rectius, esse medium, quo assumitur totum. Hæc assertio a Scoto constituta, *littera B*, dubitationem non habet, præcognito medij huiuscemodi significato, quod nos sub capitis initio expressimus, quandoquidem illud dicitur hoc sensu medium quo, quod est ratio formalis, qua natura est assumptibilis, immò, qua natura est talis; sed forma est huiusmod, quæ à physicis dicitur pulchrū, rei quidditas, & quodquid erat esse rei, quare forma tale medium esse censebitur eo modo, quo anima dicitur medium, quo homo est risibilis, cum sit ratio proxima constituens hominem in tali esse, quod necessario sequitur risibilis, & secundum hunc sensum interpretabimur Sanctorum Patrum effata, pletaque, quo si meminimus Mag ster *in littera*, constituentia Verbum assumpsisse carnem mediante mente, vnde in sexta synodo, *act. c 2.* dicitur Verbum Dei compaginasse sibi humanam carnē media anima rationali, & secundum hunc sensum interpretare cæteras auctoritates.

Altera assertio de medio quo.

Patrum auctoritas huic spectant.

83 Hactenus de medio intrinseco, sed nec defuerunt Scolasticorum aliqui, qui hanc assumptionem ita statuerint, ut medium illi tribuerint esse extrinsecum, scilicet gratiam existimantes necessariam esse in natura assumptibili gratiam habitualem. Hoc tamen pronunciatum euulsum est, dum potuisse sibi Verbum naturam vnire rationis expertem ostendimus, vt palam fiet, nullam necessariam vnionis huius ad gratiam habitudinem; secundum verò Incarnationem iam factam habes huic dubio responsum, quia si nullum præextitit medium quod intrinsecum, multò minus externum, sique anima ad summum medium, quo constituta est, non tamen vt informata gratia necessario, quia eatenus dicitur medium quo, quatenus est ratio formalis, qua vnibile fit totum, at non sub ratione animæ gratæ Deo est talis ratio formalis, sed qua forma corporis humani, quæ est ratio formalis, qua corpus in aliqua suppositetur hypostasi, siue propria, siue aliena, quare neque gratia tale medium quo statuendum erit.

Quid de medio extrinseco.

84 Contra primum Assertum sunt argumenta à Scoto addu ta, quorum solutiones consule apud ipsum, observando egregiā eius doctrinam *in solutione secundi principalis* quo dicebatur partes toto priores in generationis ordine, quare, & in assumptione, quia eodem sunt ordine sumptæ, quo natæ erant assumi, & confirmatur per regulam logicam *ex. de priori*. Prius est, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, cum ergo sequatur; assumptum sit totum, ergo partes, sequitur partes esse in assumptione priores. Occurrit enim Scotus, quod aliquid potest esse prius alio in ordine generationis, quod non est prius in ordine personationis, generatio enim est ad indiuiduum, non ad personationem, quæ est vltima actualitas naturæ indiuiduæ, & sic materia, & forma mea sunt vtrique priores entitate mea tertia, non tamen personatione mea, quia personalitas non habet ordinem ad partes, sed ad totum, estq; totius porientaut in illo primo instāti, quo totū est, sit personabile & ante illud instāns personabilitas nulla, nullo existentetoto, quāuis præexistere intelligantur partes.

Argumētis in oppositum sit satis.

85 Ad Conf. respondet contingere aliquando, vt, quod est prius secundum subsistendi consequentiam, non sit prius secundum naturam, verbi gratia. Calidum est, ergo ignis est, vel aer, consequentia bona, sed non sequitur calidum esse prius igne, cum si, quid posterius causalitate, & natura, effectum, ergo logicum illud non semper verum. Vel dicendū concedi partes esse priores

etiam

etiam in assumptione; at non assumptæ primò; quia non erant personabiles, nisi, vt in toto, priores igitur in essendo, non in suppositando, quarè cum arguitur totum assumptum est, ergo partes, ergo partes prius, nego vltimã consequentiam, quæ vera esset, si æquo modo assumptibilitas aptaretur toti, & partibus, quod falsum est in re nostra, vbi personatio non partes, sed totius naturam sequitur. Sequitur hanc Scoti sententiam Vasquez *disput. 36. cap. 8.* & Ioannes à Lugo *disput. 15 per totam.* Nec ad eius veritatem perturbandam alicuius momenti rationes producunt Caietanus, & Suarez.

Obscura aptissimè responsum.

86 Caietanus enim vnica ratione, quã vis per modum doctrinę vberrimæ tradita *post comm. art. 5. quæst. 6. quæsito 1.* Scoti sententiam arguit, ducta ex ordine resolutionis, & compositionis; est enim alter alteri contrarius; quarè cum in resolutione Christi humanitatis cęptum sit dimitti à toto, quod in triduo dimissum fuit, remanentibus partibus, in compositione dicendum cæptum assumi à partibus. Sed hic Caietani progressus inualidus est, quia ordo resolutionis verè in Christo non fuit, alioquin post dimissionem totius, dimittendæ erant partes, sicut in alijs accidit hominibus, at hoc falsum est, cum Deitas, nec ab animo, nec à corpore vnquã diuulsa fuerit, quarè verus ordo solutiuus ibi nullus; sed solũ dimissiuus totius, neque propterea oportet ordini illi componentem esse contrarium, alioquin cum hic partes non fuerint dimissæ in componendo, non fuissent assumptæ; est ergo, si quam habet veritatem Caietani regula, vera in ordine essendi per generationem, in qua præcedere intelliguntur materies, & forma, sed non in ordine personandi, in quo nullam, nisi in toto habitudinem habent partes in ipso fieri assumptionis.

Obuiam itur Caietano.

87 Franciscus autem Suarez hoc vtitur mediũ. Anima, & caro prius natura sumptę sunt, quam vnitæ inuicem, ergo prius naturà assumptæ, quam sit assumpta, & constituta humanitas. Hoc argumentum habetur *sect. 5.* cuius antecedens probatum, supponit *sect. 1. & 2.* ex illo principio, quod anima, & caro, seu forma, & materies prius natura subsistunt, quam inuicem vniantur; sed quo ordine res subsistunt eodem oportet assumi, quare assumptæ sunt partes, antè quam vnirentur simul; vndè benè monuit Augustinus *Epistola 99. ad euodiũ q. 2.* dicens Verbum creasse sibi animam, & illam immiscuisse corpori materiali. Rationis huius equaliter falsum est cũ consequente antecedẽs, quia nec animus, nec caro, nec vtrumque prius vnitum Verbo, quam ad inuicem; alioquin in illo priori vel Deus fuisset caro, vel animus, quod nullus confiteretur fidelis, & totimus de hac re doctrinam, quia, & si partes in stituendo totum, priores fint ipso toto in generatione, non tamen in assumptione, quippè quæ illis per totum conuenit, quod est personabile primo, & probatio de illa maiori complectente subsistentiam materiæ, dubitationem pateretur in Scholis; quidquid autem de ea fit, quæ profectò subsistentiã nõ incommunicabilem, sed communicabilem diceretur habere, vtpotè quæ composito communicatur, sicut & materiæ, & composito communicatur forma; In minori autem propositione omnino falsa probatio; ratio est quia assumptio non ordinem comitatur rerum in generatione, sed in personabilitate; esto igitur prius subsisterent materia, & forma, non fuere tamen prius assumptæ, cum assumptio indiuiduæ sit compositæ naturæ, non partium, vt tories in hoc capite præstitimus. Augustini producta sententia Suarezio non suffragatur, qui eo locutionis genere innuit Verbi fuisse opus, & creare sibi, & corpori mortali immiscere animum; quod concedimus; quia in ipso, & per ipsum, facta sunt omnia: non est autem sensus Verborum illorum pro aliquo priori creatum animum, quod corpori vnitum, nisi voluntatiè a Suarezio excogitatus.

Argumentum Suarij.

Eneruatur.

88 Cum Scoto, & nobiscum in hac disputatione conuenit & Durandus in *3. d. 2. q. 2.* licet prauo fundamento, quod est ferè idem cum fundamento Fabri, omnium totum primo assumptum, quia partes in eo sitæ ab eo non distinguuntur, contra quos superiori quæsito discep tauimus. Gabriel in hac re ex instituto suo *q. 12. primæ distinctionis* recitatiuè rez

Durãdus

Gabriel problematicus contra Suarez.

solum loquitur nihil asserendo, vt propterea gratis Suarez illi tribuat sententiam statuentem vnionem, seu assumptionem immediatè terminatam ad animam; cuius obinde doctrinā periculosam vocat, & erroneam, contra quem Suarez ipsemet pluribus inuehitur. Vide vtriusque contextum, & non tam in Gabriele ancipitam, quam in Suarezio liberam miraberis loquendi methodum.

89 Satis dicendum esset capiti: sed age, ne quæsita pluriſicemus, discutiamus vno verbo, vel alio dubitatiunculam de accidentibus; an scilicet prius humanitas assumpta fuerit, quam accidentibus informata? neque propria duntaxat hic spectamus accidentia, quæ & propriæ passiones appellantur; siquidem videtur de ijs mihi dicendum, ex quo essentiam totius sequuntur, vnda ab aliquibus essentiales dici consueuerunt, sin minus de essentia, illas præsupponi in natura assumptibili, quæ propriam naturæ eiusdem formam insequuntur: prior igitur humanitatem illam prius risibilem, quia rationalem, quam assumptam, ex quo assumptio sequitur naturam athomam, ac singularem perfectam, & passio singularis naturę magis intima videtur naturę, quam personalitas, siquidem illa non sola negatione completur, vt personalitas secundum quosdam, nec sola actualitate vltima, vt secundum nostram sententiam, sed est quasi principium ab ipsa interna hominis natura ebulliens, in eodemque collocatum prædicamento cū homine, & generatim cum eo, cuius est passio.

Nona dubitatio de accidentibus.

90 Verum de accidente communi res dubia videtur, vt infra dicemus. Interim de voluntate, & intellectu haud dubiè putat Suarez prius humanitatem assumptam, quam illa, seu, vt verbis eius vtar, prius natura censetur assumpta substantia, quam aduenit ei aliquod accidens, vt (verbi gratia) anima prius, quam intellectus, prior humanitas, quā sensus. Hanc suam opinionem probat Suarez, quia ita euenit in propria hypostasi; quod probat, quia modus subsistentiæ magis est naturæ internus, quā accidens: & rursum, quia pertinet ad complementum substantiæ: & iterum, quia subsistentia est quasi conditio ad substentanda accidentia. Nihilo tamen minus hæc Suarezij Opinio nusquam mihi in hac parte arrisit, vtpotè ex prauo fundamento inuecta, æstimans intellectum, ac voluntatem esse accidentia animi, cum tamen animi eiusdem sint potestates internæ: qua de re scio concertationem esse per grandem inter Nostrates, ac Thomistas, quam consulas si lubet apud Fabrum in philosophia naturali *theorem.* 73. immò apud ipsum Scotum, tum *in* 4.*d.*44.*q.*2. tum *in* 2.*d.* 16.*q.vnica*, ex cuius principijs supponentes interim facultates hasce animi esse easdem cum animo realiter, & non accidentia de prima specie qualitatis, vt tenetur Thomistæ, occurrimus rationibus Suarezii negando ita euenire in proprio supposito; nam potestates istæ si referantur ad animum solum ipsius naturam, cum qua eadem sunt realiter, sequuntur; si autem referantur ad compositum, vtquè organicæ, tunc potius totius, quam animi facultates nuncupantur, & in priori sensu prius natura insunt animo, quam personetur natura indiuidua in nobis, in quibus natura composita ex corpore, & animo personatur supposita etiam heccitate naturæ. Ad primam probationem nego modum internum magis esse, quam accidens proprium, concedo de communi. Ad aliam concedo personalitatem spectare ad complementum personæ, non autem ad complementum indiuidui, quod perficitur hecceitate sua; alioquin Christus non fuisset perfectus homo, quia propriam personalitatem non habuit, sed suppositata est eius singularis natura in suppposito Verbi. Demum etiam nego subsistentiam incommunicabilem sustentare accidentia huiusmodi, quæ non personam, sed indiuiduam sequuntur naturam.

Sententia Suarij de intellectu, & voluntate.

Falsa omnino.

Faber Scotus

91 Æstimo igitur prius natura Christi animam intellectu, & voluntate præditam, quam humanitatem assumptam. Ratio est, quia non est assumpta humanitas, nisi vt atoma, & singularis composita ex anima, & corpore, natura igitur prius composita, quam assumpta, at in illo priori inest animus, quæque illi realiter eadem sunt; propterea, & intellectus, & voluntas præire dicuntur

opinio auctoris.

tur

tur assumptionē: De alijs animi facultatibus, quæ videntur esse compositi, æstima radicaliter præire in anima ad assumptionem: vt relatas ad totum, sequi assumptionem; nec implicat idem sub ratione diuersa præire, & sequi. Iam ad accidentia communia reuertamur.

De accidentibus communibus.

91 Planè de ijs, quæ compositum sequuntur, seù toti iam constituto conueniunt, nulla difficultas; nā quæ simpliciter afferi, præire vnionem ad illa, quoniam si ita se gessit extera, sicut in nobis se propria gerit personalitas, cum hæc sit intimior, quam accidētia illi toti, est, n. quoquo modo substantia, seù modus subsistentiæ vltima illa actualitas non ordinabilis ad vlteriorem actum; præitque substantia, eiusque modus acciden tia quæuis generatione, natura, & tēpore, vel natura saltem, vt ad præsens attinet; quare simpliciter asserendum, subsequi accidentia ad personationem naturæ, atque id etiam de quolibet generatim accidente statuit vt certum Faber *disp. 9. sub finem cap. 4.* perperam tamen (me iudice) de quantitate materiæ coeua iudicium tulit, cum enim interminata quantitas secundum nostram io phisicis sententiam neganda non sit a materia, cuius naturam, & quidditatem ex Auerrois doctrina, & iuxta Scoti principia ibi expressimus, eademque formæ etiam cuicumque præponatur; siquidem, secundum opinionem, quam ibi propugnauimus, materia ipsa partes habens diuisibiles, & non ope formæ non à forma, sed à semetipsa partibilitatem habet, partibilitas autem est propria quantitatis, & ibi etiam tradidimus, quid nomine interminatæ quantitatis intelligeremus; non enim trinam dimensionem nullis certis limitibus circumscriptam cum Fabro *theor. 30. Phylosophiæ naturalis*, neque partes materiæ integrales. seù entitatiuas cum Tatareto 1. *phys. q. vlt.* & Canonico 1. *phys. q. 9.* quantitatis interminatæ vocabulo expressimus; sed vel potentialem, quantitatiuamque materiæ extensionē cum Cardinale Aureolo *tract. de naturæ principijs*, & Ioanne Magistro 1. *phys. q. 12.* & Antonio Andrea *Libello de tribus principijs*, vel quantitatem nullo termino affectam ad quemcumque gradum indifferentem, terminationis cuiuscunque capacem intelleximus, sumpto a potestate materiæ exēplo, quemadmodum enim inest materiei ad quamcunque formam naturalis potestas, nec vnam altera magis afficiat; ita quantitas interminata non ab vna magis, quam ab altera forma terminos sibi pacisci nata est. Hanc verò in materia dari vide Bassolium *in 4. dist. 12. q. 3.* quem secuti sunt ex Recentibus Zabarella *lib. 2. de materia cap. 6.* & Contarenus peculiari *quæsito* & præire substantialem formam contra Franciscum Piccolomineum *lib. 3. de materia cap. 10.* ostendimus ibi *tum ex Arist. 4. phys. cont. 11.* vbi censet locum quendam dicere materiam, quatenus est mensuræ dimensio, tum ex Platone ob hanc causam materiam magni, & parui nomine appellante, si Plotino Platonis asseclæ fidelissimo credimus Enneadis 2. *lib. 4.* tum experimento, quoniam sensu videmus dum aer concrescit ex aqua non iorerire aquæ quantitatem, sed ad maiorem molem, pluresque seù ampliores terminos extendi; tum auctoritate Augustini *lib. 13. conf. & 4. super Genesim*; cui subscribit Scotus *in 2. d. 14. q. 1. littera D.* dum nomine chaos, quod ad empireum vsque cælum protendi ed sterunt sacræ Moysis enarrationes ijs verbis; *terra autem erat inanis, & vacua &c.* Fabræfactos retur Cælos, nomine chaos intelligendo materiam certis formis informem, modo à nobis, tum ibi, tum in principio 2. *sent.* expcsito; quare secūdum hanc doctrinam præintelligimus in corpore Christi materiam antè formæ aduentum, ita vt prius natura materia illa suis prædita quantitatibus termino carentibus intelligatur, quam formata rationali animo, & quam proinde assumpta.

Corripitur Faber.

Quid sit quantitas interminata. Faber Tataretus. Canonicus. Aureolus. Magister Antonius Andreas

Bassolius Zabarella. Contarenus. Piccolomineus.

Plato Plotinus

August. Scotus

92 Nec video, qua ratione tam certum de omni accidente negans tuletit Faber iudicium, cum tamen ex ipsius etiam sententia in philosophia naturali *theorem. 73. cap. 5.* eadem accidentia manere possint in genito, & corrupto, vt patet de cicatrice in viuente corpore, quæ remanet in cadauere, quæ nam igitur maior est ratio, cur nequeat idem accidens manere in corrupto, & genito, certè quātitas illa materiæ assumpte

Arguitur Faber.

ex

ex immaculato Virginis vtero in intelligibile est, quin saltem naturâ formam animi præiuerit, & quin manserit, licet per animi formam aliqos adepta terminos.

Capitis summa. 93 Æstimo igitur prius natura materiam fuisse quantitate affectam, quam assumptam; & obindè prius natura accidens aliquod infuisse illi, quam tota fuerit assumpta natura; de accidentibus autem totius compositi naturam consequentibus cum Fabro libenter cōsentiam. Nobiscum sentit Suarez *disp.* 17. *sect.* 6. quamquam indistinctè, & indeterminatè satis de quantitate loquatur. Obseruate te autem hoc loco velim ex ijs, quæ in philosophia tradidimus, concedi vtique à nobis cum Auerroe, & Asseclis eius nomen, ac rem quantitatis termino carentis in materie ante formæ accessum, at negari contra eos ante accessum formæ substantialis materiam esse corpus de genere quanti; ratio est, quia nomine corporis quantitatiui non quantitatem limite destitutam, sed termino circumscriptam intelligimus. Hactenus de præsenti difficultate &c.

EXPONITVR QVAS PARTES *totius assumpserit Verbum &c.*

CAPVT IV.

94 Verам, ac perfectam hominis naturam athomam, & singularem à Verbo assumptam ex eo fidei principio elicitur, quo constat Christum Dominum verum esse hominem, iuxta illud Athanasij in Symbolo, *perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens*; idque planè decens fuit, vt qui fructum sui in humana carne aduentus singulis impartiri destinarat hominibus, singularem hominie assumeret naturam; qua dete Partes passim, ex quibus etiam, & ex superiori capite liquet, essentiales humanitatis partes à Verbo assumptas, nimirum animam rationalem, & corpus, non equidem immediatè, quasi verò mediis ijs assumpserit totum, sed ex quo totum assumpsit, partes etiam assumpsit, quæ realiter constituunt totum, & realiter à toto distinguuntur. Neque in hac re vllum est nobis cum Catholico Doctore negocium; solum Arriani, quos refert Epiph. *hæres.* 69. & Apollinaristæ; referente eodem Epiph. *hæres.* 71. vel animum à Christo assumptum negabant, putantes Verbum ipsum vices gessisse animi in illo corpore, vel animum saltem, seù ad summum, sentientem assumptum. Verum contra eos apertissima proclamant eiusdem Christi oracula Matth. 26. Ioann. 12. & alibi, quibus de sua anima Seruator loquens; *tristis*, inquit, *est anima mea vsque ad mortem, &c. Nunc anima mea turbata est, &c.* Marcion etiam, contra quem peculiares edidit libros antiquissimus Tertullianus phantastico corpore compaginatam humanitatem ratus est; Quique illi corpus verum adscripsere, alii diuinum, alii celeste, alii verò diuersæ rationis cum nostro commenti sunt, de quibus, & contra quos vide Augustinum *hæres.* 23. Irenæum *cap.* 5. *primi libri*, Iustinum mart. *Apol.* 2. *de fide*, & alios, immò Paulum Hebr. 2. *Semen Abrahæ apprehendit*, & Romanorū 1. *factus ex semine Dauid secundum carnem*, & alios Apostolos. Neque enim in hisce Hæreticorum ineptijs hoc tempore absque descriptionis, vel prolixitatis ab re nota disceptandum est.

Hæreticorum vesania de corporis partibus à Christo sumptis.

Matth. 26

Ioan. 12.

Hebr. 2.

Rom. 1.

94 Veritate itaque supposita, quod Verbum humanitatem ex anima, & corpore compactam sumpserit, dubitatur de cæteris partibus corporis humani eiusdem, non ita quidem, vt dubium sit, an partes illæ fuerint in Christi corpore, de hoc enim supponimus etiam vt certum in Christi corpore nihil fuisse desideratum, quod in cæteris humanis comminiscimur corporibus, sed petimus, an partes singulas sibi hypostaticè voluerit, quod alij vocant assumptionē secundum hypostasim: qua in re distinguendum primo, mox diffiniendū, quid è sententia eueniat. Partes igitur in vnoquoque humano corpore duplicis sunt generis, quædam immediatè anima rationali informatæ, quædam, de quibus lis adhuc apud Iudicem est, an animo ipso informentur: prioris

Postulationis titulus.

ordinis ſunt caro, oſſa, & eorum partes, vt brachia, caput, crura, &c. quæ verè partes integrantes totum dicuntur, quæ animo rationali informantur, qui eſt totus in toto corpore, & in qualibet corporis parte totus, licet deſignatis locis per organa à natura compacta operationes edat, vt tactum in manibus, guſtum in gutture, viſum in oculis, ſenſationes generatim in ſenſibus, volitiones in voluntate, intellectiones in intellectu: poſterioris ordinis ſunt ſanguis, alijque humores, dentes, capilli, vngues, & alia id genus, de quibus, an anima rationali ſint informata, indeciſam agitant litem; quamuis enim ſanguinem viuere pleriſque ſupponant, non pauci tamen negant, aſſerentes ſolum ſanguinem eſſe vehiculum vitæ, non vero formaliter viuere, de quo infra.

96 At nunc verò partes haſce omnes tàm prioris, quam poſterioris ordinis in Chriſti corpore extitiſſe, priores quidem in primo aſſumptionis inſtanti, non enim informe, ſed formatum, organizatumque corpus aſſumpſit, poſteriores verò decreto à natura temporе, vt pili, & dentes, & his ſimiles alias, verendum non eſt: ſiquidem perfectus homo neutiquam fuiſſet, niſi corpuſculum ſibi ex ſingulis integrantibus partibus compaginaſſet, quod eſt contra Athanaſium in ſymbolo, & contra communem Eccleſiæ ſenſum, ſtatuentem perfectum Chriſti corpus fuiſſe. Porro ſiquam in illo integrantem deſideraſſes partem, non vtique perfectum, ſed monſtruoſum illud dixiſſes, contra illud Pſalmi 14. *Speciosus forma præ filijs hominum*, & non viuens naturali modo.

Pſal. 14.

97 Sola, eademque prægrandis viget difficultas de partibus poſterioris ordinis, an ſcilicet, eas ſecundum hypoſtaſim Verbum aſſumpſerit, & quamuis de humoribus, capillis, ac dentibus non tanta ſit concertatio, certè de ſanguine tam vetus, quam de cauſa ſtiſſima eſt Scotiſtarum, ac Thomiſtarum altercatio, qui proinde integra de vno Chriſti ſanguine conſcripſere volumina, vt patet apud Franciſcum Albizolam dictum de Ruuere Cardinalem Sancti Petri ad Vincula, qui poſtea fuit Xyſtus Quartus, & apud Franciſcum Collium, & nouiſſimè apud Ioannem à Lugo diſputationem longiſſimam contexentem in octo ſectiones diſtinctam in ſuo, quod nouiter edidit, de Dominica Incarnatione volumine, vbi cap. 1. ſeptem de hac concertationis deciſione ſententias refert. Prima eſt negantium verum aliquem in Chriſto ſanguinem, ſicut negarunt corpus. Secunda aliorum dicentium ſanguinem à Chriſto effuſum euanuiſſe, & corruptum fuiſſe. Tertia Durandi *in 4. diſt. 10. q. 1.* dicentis, ſanguinem non proximè, ſed quaſi remotè vnitum ad Verbi ſubſiſtentiam, quatenus, ſcilicet, vnitum fuerat Verbo totum, in quo ſanguis erat, in quam ſententiam Toſtatus citatur *parad. 2. cap. 40. & 43.* licet illum ab ea eximere conentur Vaſquez, Suarez, & ipſe Lugo: citatur & Franciſcus prædictus Cardinalis Sancti Petri, ſed immeritò, vt dicetur. Quarta eſt aſſerentium ſanguinem in Chriſti corpore vtique aſſumptum ad hypoſtaſim, à corpore vero diſiunctum non ità, Hanc ſequuntur Mairon*us in 4. diſt. 43. q. 1.* Richardus *in 3. d. 2. q. 1. art. 2.* idem Cardinalis, & alij. Quinta eſt diſtinguentium ſanguinem in alimentarem, & vitalem: vitalem, qui & anima informatus eſt, aſſumptum concedentium, alimentarem nullo modo à Verbo hypoſtaticè aſſumptum. Hæc eſt Caietani *3. p. S. Thomæ q. 54. art. 2. q. propria*, Aluarez *diſp. 28.* Nazarij *q. 5. a. p contr. concl. 1.* Sexta affirmantium omnē ſanguinē Verbi perſonalitati vnitū, illum etiā, qui nunc in ſudario, ſpinis, & clauis adhæret. Hæc eſt opinio Valentiæ non quidem enarratoris in Pſalmos, ſed Gregorij Valentiæ Theologi Societ. Ieſu *diſp. 2. q. 5. puncto 1.* Septima eſt aſſerentium ſanguinem quidem etiam extra corpus in triduo paſſionis manentem Verbo vnitum, non tamen totum, ſed quem Chriſtus aſſumpturus erat. In hanc citatur Collius, quem ſupra memorauimus.

Cardinalis de Ruuere

Franciſc. Collius

Io. Lugo

Aliorum ſententia

Durãdus Abulenſis.

Mairon. Richard. Cardinal de Ruuere

Caietan.

Gregor. de Valentia

Collius

98 Hæc ſummatim ex Lugo in quibus habes primam, & ſecundam non ſententiam, ſed verè errores eſſe; vt ſit mirum quomodo inter Catholicorum ſententias à Lugo numerentur. Sunt igitur quinque relatæ de hac re ſententiæ.

tiæ. Adiungatur sexto loco sententia ipsius à Lugo, quæ hisce conclusionibus aperitur.

Sententia Ioannis à Lugo

99 Primo Verbum tam immediatè sanguinem, quam carnem assumpsisse. Hæc est contra Durandum. Secunda est, totum sanguinem à Christo hypostaticè assumptum. Hæc est contra Caietani distinctionem. Tertia est, sanguinem in triduo mortis hypostaticè vnitum Verbo. Hæc est contra Cardinalem Sancti Petri ad Vincula, Richardum, & Maironum. Quarta est, totum sanguinem in triduo effusum Deitati vnitum. Hæc est contra Collium. Quinta est, sanguinem illum (si quis ille est) qui in certis reperitur, non habere vnionem hypostaticam. Hæc est aduersus Valentiam.

100 Nullibi de hac re aperte Scotus, quod viderim; ex his tamen quæ habet cum *in 4. dist. 43. q. 1. art. 2. lit.* Q. *&* *in 3. dist. 16. quæst. 2, lit.* D. mentem ipsius aperiemus. Pendet hoc ipsum quæsitum partim ex alio, quod postulant Philosophi, an sanguis humanus animatus sit, & viuat, quem si constiterit viuere anima rationali formatum, euidenter deduceretur, & immediatè à Christo in hypostasi assumptum, & nunquam dimissum; ac quoniã res hæc maximam habet apud Philosophos concertationẽ idcirco non vno sensu quæsito satisfaciunt.

Opinio Auctoris aperitur quadrupl. effato primum est

101 Nos breuibus hoc loco quantum necessitas postulationis huiusce exigere videtur Statuimus primo, vnicum tantum esse in homine sanguinem, quẽ gratis, & absque vllo fundamento Caietanus in vitalem, & nutrimentalem partitus est. Hæc assertio euidenter probatur, tum ex Philosophis, tum præcipuè ex medicis, quibus monitore Aristot. *6. Ethicorum* vt in propria arte peritis standum magis est, quam pro libito philosophanti. Philosophorum antè Princeps Aristoteles *2. de partibus animalium, cap.* 3. vt certum constituit sanguinem vltimum esse sanguineorum animantium alimentum; & *3. de iisdem partibus cap.* 5. nos modum edocens alimentationis per sanguinem, deriuari per venas illum ad corpus ait, vt aqua ad plantas per cuniculos, ac riuulos deriuatur; Porrò aquam olerum, ac plantarum pabulum esse, nemo non nouit. Idipsum præstitit ex medicis Galenus *lib. 2. de elementis cap. 1. & 2. & lib. 4. de Vsu partium*, & clarius Franciscus Vallesius *lib. 7. controuers. cap. 4.* vbi, & si sanguinem in arterialem, & venalem diuidit; hos tamen non specie, aut forma diuersos, sed tenuitate, & puritate dumtaxat, vt qui per arterias purior, qui per venas impurior, seu crassior, & de vtroque idem statuit, nimirum nutrimentales esse; alium sanguinem ibi Vallesius non agnouit, nec agnosceret nisi difficultate pressus Caietanus, qui in illa distinctione etiam labitur, partiens sanguinem in nutrimentalem, & vitalem, quasi verò nutrimentalis vitalis non sit, vel vitalis non sit nutrimentalis, nisi vitalis sanguinis appellatione viuum, ac animatum sanguinem velit exprimi, quod confutabitur statim.

Aristot.

Galenus Vallesius

Secundũ effatum

102 Statuimus secundo, sanguinem hominis inanimum esse formaliter, nec proinde viuere. Hanc sine difficultate tradidit Scotus *in 4. d. 10. q. 1. littera D. §. tertio sic.* Vbi ait, *si nutrimentum conuertitur in carnem magis animatur anima carnis, quam caro informetur forma eius.* Hæc ibi; atqui ex dictis sanguis nutrimentum est corporis, ergo conuersus in carnem animatur, ante conuersionem igitur inanimus est. Rursum in eodem *4. dist. 8. q. 1. littera C.* significatum interpretatus corporis ait; *Alio modo corpus potest accipi, vt illa omnia includit, quæ pertinent ad totum corpus organicum, siuè sint partes animatæ, siuè sint alia non formaliter animata, vt humores, & spiritus, & hoc modo sanguis est aliquid corporis.* Hæc sunt apertissima Scoti verba: & Rursum *in 3. dist. 3. q. 2. §. sed contra.* inanimos vocat Beatæ Mariæ sanguines, è quibus Christi corpusculum coaluit. Tradidit hanc etiam Aristoteles, nedum locis supra citatis, & præcipuè *lib. 2. de part. animal. cap. 3.* dum ait, sanguinem neque continuum, neque cognatum carni, sed contineri in corde, & venis, quasi in vasculis, quibus obindè animationem formaliter tollere videtur, verum apertius *lib. eodem cap. 10.* sanguinem nullam esse ait animalis partem. Hoc idem omnino sensit Galenus *l. c. & lib.*

Ex Scoto

Aristoteles

Galenus

Seneca.

& lib. de humana natura; id ipsum Seneca *lib. 2. qq. naturalium*: & ratione suadetur ex superiori asserto deducta; sanguis est vltimum viuentis naturæ pabulum, ergo non viuit; antecedens superius decursum est, sequela probatur, nam si viueret, non vtique penes facultatem rationalem, vt patet, neque penes sentientem gradum, vt experimentum docet, quo cernimus excisum è corpore sanguinem nec dolere, nec dolorem ferre; siquidem dolor ex carnis, vel ossium, vel neruorum excisione dimanat, ex sanguine non item; quare si viueret solū viueret penes facultatem vegetantem, qua, qui nutriuntur viuunt; sanguis autem, vt deducebatur, nutrit, non nutritur; quare anima formatus non est. Porrò non nutriri sanguinem ex eo deducam, quod vel ex seipso nutriretur, atque ita idem omnino sui ipsius esset pabulum nutriens, ac nutritum, quod falsum est, vel ex alio nutriretur, de quo petendum superesset, an nutriret tātum, an vero etiam nutriretur, & ita vel ad primum sanguinem verum aliti nutrimentum standum, vel ad infinita progrediendum. Appositè etiam de Christi sanguine, quòd inanimus fuerit, sacratissimæ Eucharistiæ Sacramentum ostendit, in quo ex S. Conc. Trident. decreto *sess. 13. cap. 3.* dum consecratur panis, ex concomitantia dumtaxat adesse sanguinem statuitur: atqui si verè animatus ille formatus esset, non ex concomitantia solum, sed per se directè adesset sanguis ex vi verborum consecrationis panis; siquidem animatæ partes corporis in totius corporis nomenclatura inuoluuntur, & hanc rationem Scotus *l. c. d. 8. 4. sent.* præstolatus est.

Effatum tertium. Humores & spiritus non viuunt.

103 Statuimus 3. neque alios humores, neque spiritus in homine formaliter animatos, aut viuere. Hanc declaratione prius, mox probatione firmabimus. Ad eius captum supponendum ex ipso etiam vetustissimo medicæ artis Viro Hippocrate, cæterisque tum Philosophis, tum medicis, humores in vnoquoq; corpore quatuor esse, sanguinem, puta, pituitam (quam flemma vocant) atram, & flauam bilem, & atram alij melāconicū succū aiunt, vbi verò humores ij inficiāt, vbi etiā ortus eorū, & effecta, consulēdi sunt medici, à quibus & mutuandum, quomodo humores ij quatuor quatuor respondeant elementis, sanguinem nimirum aeri, vtpotè humido, & calido, pituitam aquæ, puta humidæ, & frigidæ, flauam bilem igni, vtpotè calido, ac sicco; atram denique terræ, scilicet frigidæ, & siccæ.

Doctrina Medica de spiritibus corporis.

104 Supponendū iterum, ex ijsdem dari in humano corpore, de quo potissimum laboramus tenuia quædam corpuscula ex puro, ac defecato sanguine, quæ spiritus vocant, vel quia mira tenuitate sunt prædita, vel quia velut aura suauis naturam mulcent; quorum munus est calorem à fonte corporis haustum ad iuuandas eiusdem partes impertire, & membra ad opus eliciendum iuuare. Hi autem spiritus diuiduntur in insitum, & influentem, ille, vt nomen sonat, insitus dicitur, seu complantatus à generante, virtute seminis, in vnoquoque membro. Hic ex ipsa nominis energia influens vocatur, quà calorem à fonte desumptum in partes influit, quem & triplicem esse aiunt, vitalem, animalem, & naturalem: vitalis, qui è corde per arterias decurrit: animalis, qui à cerebro: naturalis, qui ab epate, seu à iecore. Hæc omnis crassa quadam minerua ex Physicis, ac medicis mutuamus, ne videremur in ignota laborasse, animationem eorum inquirentes.

Dicta probantur.

105 Hisce igitur suppositis humores illos tres reliquos à sanguine, nimirum pituitam, flauam, & atram bilem nec animari formaliter, nec viuere comuni philosophorum consensu firmatur, probaturque ex medicis; quia pituita, quia dulcis, nutrire posset; flaua autem, ac atra, quia acris nec nutrire, cum nutrimentum dulce esse debeat, quæ nutriunt autem, seu alimenta esse nequeunt, animari, ac viuere formaliter nequeunt, quare illa non viuit; biles autem, cum nec nutriant, nec nutriantur ab aliti, & alimenti serie ablegantur. Idem idem de spiritibus puta, tam naturalibus si dantur, quam vitalibus, ac animalibus, videlicet, non viuere ea ratione, qua vitam à sanguine ablegauimus, sunt enim spiritus tenuissimæ puri, ac defecati sanguinis particulæ.

Effat. 4.

106 Statuimus quarto, pilos haud quaquam

quam viuere, sed nec vngues. Hæc habet certè dissidentium philosophorum placita diuersa, & maximam proinde controuersiam, quam primam partem de pilis æquè, ac secundam de vnguibus negarent S. Thomas *in 4. q. 44. q. 1. art. 2.* S. Bonauentura *dist. eadem q. 2.* licet, diuersa anima diuersimodè animatos vtrasque inueha[t], propugnante S. Thoma animari eas partes in homine ab animo rationis prædito; S. Bonauentura è conuerso anima propria sola vegetandi facultate prædita. Medici etiam quanquam cum Galeno *in lib. de arte medica*, & cum Francisco Vallesio *lib. 2. controu. cap. 5.* vitam pilis adimant, vnguibus tamen concedunt; neque propterea multam assertio probabilitatem habere videtur. Breuiter tamen, vt pro occasione loci licet, quoad vtramque partem probatur. Priorem non tam tradidit Galenus *lib. 2. art. medica cap. 9.* quam probauit ex eorum ortu *libro 2. de temperamentis*. Nascuntur autem pili ex eius doctrina, quasi excrementa quædam ex vapore fuliginoso, & crasso, qui compactus in spiramentis angustis, & in meatibus cutis detentus, cum neque euacuari possit, nec intro redire, alio subeunte consimili vapore, ac eum extra pellente, & hunc rursum alio, crescit, seù crescere videtur, vndè, qui erat prius radix fit medius, deindè extremus, ita quoque docet Aristoteles *lib. 3. de Historia animalium cap. 11.* Ex hoc ortu capillorum facile elicies, eos haud quaquam animati, & viuere: quod enim anima rationali non viuant, seù secundum facultatem illam non viuant, probatione non eget; quod similiter nec secundum sentientem; experimentum ostendit; quod non denique secundum vegetantem, ostendit eorum ortus, & incrementum, quod non ex nutritione, aut alimento, sed per impulsum materiæ concretæ fit circa radices.

S. Thomas. *S. Bonauentura.* *Pili, & vngues non viuunt.* *Doctrina de ortu pilorum.* *Galenus.* *Aristot.*

107 Nec modo dissimili philosophandũ de vnguibus eorũ spectando natiuitatẽ, oriuntur siquidem vngues ex recremento venarum, neruorum, ligamentorum, & arteriarum, fitque vt ob eius crassitiem resolui nequeat hoc recrementum, quod propterea à facultate alente totum, & ab expultrice in extremam pedum, ac manuum partem effundatur, vbi exsiccatum, ac durius factum, in vngues euadit, quomodo intelligendo vnguium ortum, nemo non videt, eos nec ali, nec sentire, nec intelligere.

Doctrina de vnguibus.

108 At huic vnguiũ ortui oppones Galenum *lib. 2. de anatomicis administrationibus. prope finem*, aientem vitam eos alimentum, ac sensum recipere in radicibus; Respondeo hoc esse imprimis dictu, vngues viuere in radice, quod concedimus, radix enim vnguium est caro, quæ vere viuit, non autem viuere in seipsis, cum neque intelligant, neque sentiant, neque alimento nutriantur; secundo Galenus parum sibi constitit, nisi in prædictum sensum vocetur, siquidem *loco cit. de anat. dispen.* vngues, ait pilorum more succrescere, & augeri, quare si per ipsum pili inanimes sunt, pariter, & vngues. At (inquit Vallesius) vngues regenerantur, ac sentiunt, cuius rei testis est vnguium succretio, & vnguium dolor molestissimus. Hoc tamen exile est, eo namque modo regenerantur, quo generantur, nam quid est aliud regenerari, quam iterum generari? nõ ergo variatur modus, sed iteratur: generãtur aũt, vt diximus ex illa materie, & recremento, quare sic etiam regenerantur. Nec dolorem puto esse in vnguibus, sed in carne illis contigua, quanquam videtur, & nuncupatur vnguium dolor, ob nimiam ad carnem contiguitatem.

Opponitur Galenus. *Sed sibi parum constitit.* *Defenditur à Vallesio.* *Carpitur Vallesius*

109 Hactenus breuiter hæc omnia, vbi etiam per breui eadem methodo non nihil de dentibus dicendum est, siquidem humores, pili, vngues, dentes partes sunt corporis, de quibus controuersum est an viuant, sicuti etiam lac, & semèn, de quibus ad rem nihil. Dentes igitur viuere haud dubiè sensit Aristoteles *secundo de generatione animalium cap. 4.* vbi idem de dentibus, ac de cæteris ossibus iudicium tulit; ossa autem cætera viuentia esse indubitatum est apud philosophos, cum & sentiant, vt ex eorum dolore liquet, & augeantur, medioque alimento crescant, quare & dentes. Hoc idem omnino sensit Galenus *in lib. de ossibus*: an autem vegetante dumtaxat, & alente animo;

De dentibus. *Aristotelis opinio.* *Galeni.*

an

an etiam sentiente facultate viuant: affirmat Galenus *l.c. & lib. 5. de medicam. composit.* & post eum Vallesius *lib. contr. cap. 5. propè finem*, dentes sentire, vt acris eorum dolor ostendit: fortasse tamen non in dentibus, sed in vicinæ partibus dolorem sentiri improbabile non est, vt nonnulli etiam clari nominis medici autumarunt, & obinde dicunt dentes sola altrice facultate, & nutriente, ac vegetante animo viuere, & formari. Nam ne nominum significatio cæcorum more incidentes laberemur, supponere hæc omnia rudi quodam marte necessum fuit, vt ad capitis propositi enodationem faciliori tramite regrederemur, nam si constitisset singulas partes propositas viuere, infandum fuisset asserere eas immediatè à Christo in hypostasi non fuisse assumptas, qui animam assumpsit, quo partes illæ formarentur, at quoniam vita carent, & anima formaliter partes prædictæ, de ijs quæsitum nostrum dubitationem videtur habere maiorem.

Galenus. Vallesius

110 Dico tamen primo, sanguinem verè, & non per concomitantiam dumtaxat à Verbo in hypostasi assumptum. Hæc assertio declaratur, vt sit sensus, verè Christi sanguinem Deitati per se vnitum. Nō aio immediatè in ordine ad totum, quasi verò medio sanguine Christus totum assumpserit, nam hic sensus superiori capite explosus est, sed assero ità per se, & proximè Deitati vnitum, vt caro ipsa vnita fuit. Hanc assertionem adeò certam esse constituunt Recentes cum Suarezio *disp. 15. sectione 6.* & Vasquez in *disput. 36. num. 10.* vt oppositam planè arbitrentur, vel non posse sine errore defendi, vt putat Suarez, vel erroneam, & hæreticalem esse, vt credit Capreolus *in 4. d. 11. q. 1. art. 3.* vel saltem erroneam si putet mediatè sanguinem sumptum, & diffinitum esse à Clemente 6. Pio 2. & Paulo 2. sanguinem in triduo Verbo vnitum fuisse, vt refert Medina *in 3. p. q. 5.* vel demum sine aliqua nota defendi non posse hac tempestate post acta Conc. Trid. *sess. 13. cap. 3.* statuentis in Sacratissima Eucharistia esse corpus sub specie panis, & sanguinem sub specie Vini, Animamque in utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus inter se copulantur. Hæc ibi Concilium, quibus sanguinem Christi partem esse decernit; ita Ioannes à Lugo *sect. 7. propè finem*, qui de sanguine effuso, an vnionem cum Verbo habuerit *sect. 3.* negantem sententiam nulla censura plecti a Suarezio refert, sed immeritò, Suarez enim *disp. illa 15. sect. 6. dicto 2.* palam fatetur negantem sententiam neque piam esse, neque securam, sed notam temeritatis, & erroris mereri: ità etiam docet Vasquez *l.c.* temeritate, & errore plectendum, qui docet sanguinem Christi viuentis, vel etiam profusum in triduo non fuisse primario vnitum Verbo.

Assertio prima. Sanguis verè fuit à Verbo assumptus.

Censura Suarezij. Vasquez. Capreoli Medina

Lugo.

111 Ego tamen, etsi Durandi placitum nulla nota dignum arbitror, dū nondū aliquam illi tam acrem censuram in hac parte Catholicæ Ecclesiæ sensus incussit, vt propterea non mirari non possim Recentiorum licentiam tam acriter aliorum dicta insequentium, & sub censuræ cribro ventilantium, ea præcipuè, quæ ad saniorem queunt reuocari sententiam, quemadmodum reor de Durando, vt aliorum censuram euellendo patefaciam: conclusionem tamen propositam vt verissimam constituo; tum ob Patrum loquutiones; tum ob summorum Pontificum asserta; tum ob rationes, quibus ad ei assentiendum allicior. E Patribus imprimis Nazianzenus Oratione 50. *Verbum* (inquit) *assumpsit corpus ex carne, ossibus, & sanguine constans.* & Leo *epistola 10. cap. 5.* id ipsum tradit verba illa Ioannis interpretatus. *Hic est, qui venit in aqua & sanguine. &c.* & Beda super illud *Act. 2. quam acquisiuit sanguine suo.* & Cyrillus Alexandrinus *homilia Ephesi habita, quæ habetur thom. 4. suorum operum: licet* (inquit) *Verbum Dei, cum Deus sit, carnem assumpserit, ac sanguinem &c.* secundum quem modum etiam alij Patres, & pleraque Concilia locuta sunt, quæ Recentiores referunt. Ex Summis autem Pontificibus Clemens Sextus in Extrauagante *Vnigenitus &c. de pœnit. & remiss. &c.* omnium dilucidissimè ait, guttam Christi sanguinis propter vnionem ad Verbum ad humani generis reparationem fuisse satis.

Defenditur à censura Durandus.

Probatur assertum auctoritate Nazianzeni Leonis. Bedæ Cyrilli.

Et Clementis Sexti.

Scio

112 Scio contendere Recentes, hanc ibi veritatem à Clemente fuisse decretam; verum, quamuis tanti Pontificis auctoritas tanti à me fiat, vt ad probandum assertum ea vel maximè vtar, non tamen arbitror tantā in ea vim esse ponendam, vt oppositam sententiam erroris accusem; etenim verba illa Clementis non constitutiua sunt, aut decretalia, sed assertiua, vt ex contextu patet, porrò ex assertiuis siquis fidei diffinitionem haurire præsumat plus faciet, quam potest. Vtique sanguinem Christo vnitum dicimus, & ob Pontificis Sanctissimi assertum eo lubentius id dicimus, quod etiam fide docti fatemur sanguinem à Christo sumptum, & à Christo pro humani generis lauacro profusum: verum, quod immediatè sumptus fuerit sanguis, & immediatè hypostaticè assumptus, nec fides monet, nec Pontifex docet, qui enarrando solum supponit in Verbo vnionē sanguinis, sed an mediatam, an immediatam, proximam ne, an quasi remotam, quatenus scilicet sanguis in humanitate erat, quæ proximè assumebatur nec decernit, sed ne verbo quidem Pontifex docet, quod dixisse voluit ad cohibendam Recentiorum licentiam.

Clementis sensus.

113 Ego vtique immediatè, seù proximè modo præexposito sanguinem sumptum dixero, non tamen auctoritate prædicta coactus, cuius vim hucusque perpendi, sed & ne à cæteris diffidere videar, conuenientibus præcipuè Sanctorum Patrum assertis, quæ eodem modo loquuntur de corpore, quo de sanguine assumpto, sed, & quia id ratio suadet, non ea, quam probant alij, quia scilicet sanguis viuit, & rationali animo formatur, hanc enim in superioribus reieci; neque ea, quam tanti facit Ioannes à Lugo, quia scilicet sanguis est pars humanitatis assumptæ, qui autem naturam assumit totam, partes vtique assumit, cum totum nihil sit aliud, quam partes; nam hæc ratio dupliciter deficit: primò asserens totum idem esse cum partibus, quod alibi contra Fabrum falsum esse ostendi: secundo constituens sanguinem esse partem corporis, quod nisi modo exposito à Scoto in 4. *sent. dist.* 8. q. 1. *lit. B.* genericè, verum non est: docet autem ibi Scotus, quod, si corpus strictè sumatur, non includit sanguinem; quia corpus strictè sumptum includit partes animatas solum, cuiusmodi non est sanguis: si autem latiùs sumatur corpus, *includit* (inquit Scotus) *non solum partes animatas, sed alia etiam non formaliter animata, vt sanguinem, & humores, &c.* & obindè in hoc posteriori significatu dumtaxat argumentum Ioannis à Lugo efficaciam habet. Neque ea ratio id probat, quod præfatus auctor ex præcitatis Concilij Tridentini verbis haurire se efficaciter profitetur; siquidem verba illa perperam à Lugo aliò, quam ad Concilij institutum reuocantur, quod de Christo viuente, eiusque viuentis sanguine loquitur tantum; non autem de sanguine in passione effuso, ad quem verba illa potissimum detorquet Lugo; sic enim loquitur Concilium. *Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, &c.* en quomodo de Christo viuente loquitur, & de sanguine coniuncto. Rursum partis vocabulum, an ad animatas dumtaxat, an verò ad singulas ad corpus vniuersum organicum spectantes reuocarit Conciliū non constat; sed nec ipse Durandus, contra quem debacchantur Recentes alio modo partes humani corporis accepit, dum partes inanimes proximè, & immediatè sumptas negat.

Auctoris Opinio.

Responsio Lugo dupliciter deficit.

Scotus

Concilij Trident. Verba.

114 Quod verò multis tum rationibus, tum Aristotelicis effatis probare nititur Lugo, sanguinem esse humani corporis partem, habes responsum ex dictis, quomodo pars dici queat, vel nequeat. Vel dicito, humani corporis partes duplices esse, quasdam essentiales, quasdam integrales: essētiales voco materiam, & formam, & hæ in homine partes sunt Anima, & caro: integrales autem sunt partes diuersæ Animatæ totum integrantes, vt sunt Brachia, caput, pedes, Crura, & similes; neutro modo sanguis est pars hominis, non integralis, quia non animatus, non essentialis, quia non materia, nec forma: lattiori tamen appellatione, & integralis, & essentialis dici potest; integralis quidem, dum licet non formaliter viuens viuam carnem integrat ipsemet viuentis alimentū; & essentialis, dum profuso sanguine homo interit, vt alimento

Adhuc vrgetur Lugo.

deficiente, alendum corpus interest necessum est; est igitur sanguis pars nutriens, non nutrita; alimentum, non alitum: Porrò an verè, & propriè pars alens, & nutriens dici possit aliti, ac nutriti particula, nisi aliti eiusdem forma viuat, non simpliciter, & absolutè concessero.

Quid sit sanguis.

115 Ratio ad assertum ex Deiparæ Virginis Maternitate desumitur. Idcirco Virgo Maria Dei Mater dicitur, vt alibi probauimus; quia ergà filium suum eo modo se gessit, quo in filios suos reliquæ se gerunt parentes, suggerendo præcipuè sanguinem, qui fuit aptissima ad constituendum Christi corpusculum materia: quare, nisi sanguis à Verbo proximè fuisset assumptus, quonam modo superesse posset Virgini Maternitatis vocabulum, non apparet.

Aucupamur etiam rationem ex eiusdem sanguinis incorruptibilitate, qui nisi Dei supposito vnitus fuisset, emarcuisset profectò, fuissetque corruptioni obnoxius, at nos contrarium docuit Propheta in Psalmo, *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Docetquè experimentum de guttulis Christi pretiosissimi sanguinis, quas piè veneramur in terris.

Psal. 15.

Venamur etiam rationem ex ipsa hominis structura, nam qui totum assumpsit hominem, & sanguinem sumpsisse dicendus est, qui quoquo modo pars est hominis humanæ vitæ vehiculum, humanæ substantiæ alimentum. Singulæ tamen rationes, vt vides, probabilitatem ingerunt, ostensionem non ingerunt; ratio a priori ab ipsomet Verbo assumente petenda est.

116 Dico secundo, fuisse pariter à Verbo assumptos ad hypostasim humores reliquos, scilicet, atram bilem, & flauam, & pituitam, immo, & Spiritus, capillos, vngues, ac dentes; de dentibus quidem, quos supra saltem vegetante, & altrice facultate præditos diximus, assertio nostra certissima est; nam, qui animum sumpsit, & corpus, æquè partes sumpsisse dicitur animo formatas, quæ vera corporis sunt partes, iuxta corporis acceptionem à Scoto traditam, dentes igitur animo formatos sumpsisse Christus dicendus est.

Assertio secunda

De humoribus spiritibus, capillis, vnguibus, ac dentibus.

Humores à Christo assumptos docet Scotus in 4. dist. 8. dum eorum pariter, ac sanguinis meminit, aiens, eos esse aliquid corporis, quarè, cum corpus vniuersum assumpserit, eos vtique, qui aliquid corporis vniuersi esse dicuntur, Verbum sumpsisse dicendum est.

De spiritibus idem effatur Scotus, quod sint aliquid corporis, quarè de ijs, vt de humoribus argue; Rursum ex præiacta doctrina habes, quod, cum spiritus sint rariores, ac puriores humani sanguinis particulæ, si sanguis assumptus est, absq; hæsitatione spiritus quoque tibi dicendi sunt à Verbo fuisse assumpti.

Ratio igitur potissima ad constituendum assumptos spiritus elicitur ex ratione assumpti sanguinis, cuius sunt partes; ex qua elici similiter potest, assumptos fuisse humores; siquidem ad perfectionem humani corporis tam exiguntur humores, quam sanguis, nutritione dempta; sanguis enim nutrit, humores non nutriunt, sed semper ferè sanguine permiscentur.

117 De vnguibus, ac pilis; an ij verè, & proximè à Verbo assumpti fuerint; lege Scotum *in 3. dist. 16. quæst. 2. lit. D.* vbi docet partes aliquas à Verbo in triduo, & etiam in vita fuisse dimissas, nempè capillos, & vngues; & hos quidem, si quandò sibi vngues incidit; illos autem in passione, si fuerunt euulsi; & in vita, si fortè sibi aliquando capillos totondit.

Habes Scoti placitum de capillis.

Hæc ibi omninò secundum sententiam, licet non secundum hæc verba Scotus: vnde elicias vngues, & capillos appellari à Scoto corporis humani partes; intellige tu non principales, sed modo à nobis in superioribus exposito, quemadmodum sesemet etiam auctor expresserat: elicies etiam verè vngues, & capillos à Christo fuisse assumptos; quoniam non dicerentur dimissi, nisi præsupponerentur assumpti.

118 Si quam aliam ad astruendum assumptos capillos, & vngues rationem quæris, ex corporis humani structura deducere eam potes; sunt enim capilli, & vngues ad complementum, & ornatum humani corporis necessarij; quarè, nisi fuissent assumpti, monstruosum sibi corpus assumpsisset Verbum. Hæ tamen congruentiæ inexistentis in potius

us

us harum partium, siquæ partes sunt, in assumpto corpore, quam earum assumptionem indicat. Satis est tamen de hisce moralibus ita secundum communiorem effari sententiam, ne sine duce aliquid temere videamur sentire.

Assertio tertia de partibus dimissis.

119 Dico tertiò, quasdam ex assumptis partibus fuisse à Verbo dimissas, hoc est, desiuisse Verbum sustentare illas. Hæc traditur à Scoto *d. 16. 3. sent.* nec multa indiget probatione, nam si totum fuit in Christi morte dimissum, humanitas, scilicet, segregatis partibus, quid impedit, si dicamus partes aliquas fuisse dimissas? huc spectant, quæ Scotus præstitit de vnguibus, & pilis, si qui, aut præcisi, aut respectiuè fuerunt amputati, quos vt excrementa (non tamen in dedecus, aut in vilitatem Verbi redundantia, qualia essent corporis excreméta, quæ fœtes dicuntur, de quibus turpe est in corpore à Verbo assumpto effari) potuit abjicere, & à corpore segregare, & pariter à Deitatis sustentificatione dimittere, talia enim vt superflua, nec vllo modo ad humanam restaurationem attinentia, nihil impedit, si dicamus fuisse dimissa. Idem reor de particulis illis carneis calore natiuo vrgente consumptis, quas alimentali sanguine reparasse dicendum est, quemadmodum in cæteris experimur hominibus; etenim, quamuis Christi Corpus perfectissimè fuerit compactum, alimentum tamen in eo dum viueret in substantiam aliti conuersum, nemo iret inficias, nisi, qui nutrientem, & auctricem facultatem in eo negaret, quod renuit fides. Lacrymas autem, sudorem, sputum, & similia non reor fuisse dimissa in hoc sensu, quia reor non fuisse ad hypostasim assumpta, vtpote nec ad humanæ naturæ integritatem, nec ad ornatum vllo modo conferentia.

De sudore lachrymis, & sputo.

Præcipua difficultas de sanguine, an fuerit dimissus

120 Sed quid dicendum de sanguine, fuit ne is in triduo, immo & in sudore Gethsemani à Verbo dimissus? & si dimissus, fuit ne iterum assumptus? Pro hac difficultate concertarunt coram Pontifice summo Pio secundo Piccolomineo Scotistæ, ac Thomistæ, enitente in primis pro Scotistis Francisco Cardinale Sancti Petri ad Vincula sanguinem à Christo in passione profusum fuisse demissum, & vnione hypostatica caruisse: contra vero propugnantibus Thomistis, ne minimam quidem sanguinis guttulam ab vnione segregatam, vt resurgens Christus omnes, ac singulas vniuerit corpori sanguinis guttas, quas viuens habuit, & profudit moriens.

Scotus Maironus Cardinalis Sauonensis

121 Nihil, & nullibi de hac re Scotus: ille tamen Cardinalis Albizola Sauonensis, quem Cardinalem *Sancti* Petri ad Vincula nuncupabant, post Franciscum de Maione adeo luculenter de hac re scripsit, vt facile dixerim agitatam communiter in Scotistarum scho is quæstionem propugnasse. Sunt, qui se vtriusque sententiæ arbitros præstiterunt, ac intermedios, quorum aliqui dixerunt vnitum fuisse Verbo sanguinem non omnem, sed vniendum corpori dumtaxat, relinquendum verò in terris omnimodè ab vnione segregatum, ita communiter illi, qui superfuisse aliquam sanguinis partem non vnitam corpori in resurrectione censebant, vt patet apud Caietanum *loc. cit.* Medinam, Syluestrum in *Rosa aurea*, Suarezium *3. p. tom. 1. disp. 15. sect. 6. & tom. 2. disp. 47. sect. 3.* Fabrum *disput. & cap. postremo 3. sent.*, & Vasquezium *disp. 36.* qui tamen addidit particulas hasce sanguinis, quæ superfuerunt in terris minimè quidem sub propria sanguinis forma permansisse. His iungitur Ioannes à Lugo *sect. 5. conclus. 4. & 5.* putans totum sanguinem in triduo effusum Deitati fuisse vnitum, si quæ autem remansit non vnita corpori Christo resurgente sanguinis particula, illam planè tunc temporis à Verbi vnione dimissam; ita vt sanguis, quem nunc piè veneramur in terris, dicendus sit omnino ab hypostatica Verbi vnione seiunctus.

Opinio Caietani Medinæ Syluestri Suarij Fabri Vasquij Lugo.

122 Hæc controuersia maxima est, neque apud Scholasticos adhuc sigillata; quod enim Thomistarum aliqui eã diffinitam esse aiunt, voluntarium est; nam neq; opinionem Francisci dè Mairone, & Francisci Cardinalis Sauonensis refutauit Summus Pontifex Pius Secundus, coram quo fusè concertatum est; neque is decreto aliquo Thomistarum sententiam approbauit: alioquin, quonam modo Petri sedem po-

Pius 2. non opponitur Scotistis.

Vindicatur à labe Cardinalis Sauonensis

tuisset Cardinalis Sauonensis ascendere (ascendit autem Pontifex postmodum electus, & Xysti Quarti vocabulo nuncupatus) si damnatam opinionem propugnasset? Certè hæc tanto viro labes maximo fuisset ad dignitatis incrementum impedimento; atqui non fuit; ergo nec damnatæ opinionis Patronus fuit.

Adde, diffinitiones huiusmodi tūc à Thomistis fuisse inuentas, quando ipsis fuit opus, vt ægregiè monent Franciscus Collius, & Ioannes à Lugo *locis supracitatis*; quarè concludendum, indecisam adhuc agitari de proposito thermate litem.

Auctoris sententia.

123 Ego in primis arbitror perperam Scotistis tribui sententiam eam, quæ negat Christi sanguinem in triduo Verbo fuisse vnitum; siquidem ne verbum quidem de hac re Scotus, ne verbum Scotistæ; si vnicum Franciscum de Mairone, & Cardinalem S.Petri ad Vincola demas: Verum nec Maironus plenè Scotizat, nec Cardinalis ille vniuersā sibi Scotistarum Scholam adsciscere potuit; immò is etiam opinionem suam vt probabilem dumtaxat prosequutus est, vt patet ex verbis eius. *A sanguine effuso Diuinitatem fuisse separatam probabiliter sustinemus*; Hæc ille; quibus, & probabili se tantum opinioni adhæsisse, & non de toto sanguine profuso loquutum apertissimè indicauit. Recentiores etiam Scotistæ haud quaquam opinionem illam professi sunt vt patet apud Fabrum *disput.extrema 3. sentent.*

124 Secundo, vt quid sentiam planè aperiam probabile mihi satis videtur asserere, & totum sanguinē à Christo sumptum nunquam fuisse ab hypostatica vnione segregatū, ita vt in passione etiam Verbo fuerit vnitus, & nunc etiam superstites in terris pretiosissimi Christi sanguinis guttulas nō credā Diuinitati vnitas, prout sensisse visus est Valentia in principio huius controuersiæ citatus.

Variæ auctoris effata

Atqui, vt ità sentiam ex dicendis moueor. Aio primum sanguinem à Christo hypostaticè assumptum. Hoc in superioribus vt certum supposui, & quantum pro facultate licuit, probaui. Aio secundum totum sanguinem assumptum. Hoc contra Caietanum ostendi, dum diuersitatem sanguinis vitalis, ac nutrimentalis ex Aristotelis doctrina parui pendendam docui. Aio tertium, profusum à Christo sanguinem nunquam à Diuinitate segregatum, atque ita generatim loquor, vt non solum de profuso sanguine in passione, sed & in circumcisione loquar.

Sanguinē effusum nunquā à Deitate separatū ostendit.

125 Hoc probatur, tum quia vniuersus sanguis præcipua pars erat Christi Corporis secundo modo sumpti à Scoto *in 4.dist.8.* ius quoddam habens ad iteratam cum corpore vnionem, quod debebat resurgere, & vniri, & proinde ius quoddam quasi intrinsecum habens ad subsistendum in Verbo; tum, quia frustra suppositationum numerus multiplicaretur; nam is, qui prius suppositabatur in Verbo, deinde profusus suppositatus fuisset in seipso, demum reassumptus suppositatus iterum fuisset in Verbo: & hæc ratio maximè propositum ostendit de vniuerso sanguine profuso, vt quid enim pars aliqua in propria, pars verò reliqua sanguinis in Verbi suppositatione mansisset? tum etiam, quia profusus sanguis incorruptus mansit, quemadmodum & Corpus, planè non aliam ob causam, quam à Verbi hypostasi sustinente; tum denique quia hoc vrgent allata verba Clementis Sexti in extrauaganti, *vnigenitus*, quibus, dum vel modicam guttulam sanguinis ad hominem redimendum fuisse satis ex vnione ad Verbum docet, dilucidè satis de profuso sanguine loquitur Clemens, sic enim habet,

Clemens sextus

Quem in Ara Crucis innocens immolatus, *&c.* & non pauca: *Quasi quoddam profluuium noscitur effudisse, &c.* Hisce Pontifex & guttæ, & profluuij meminit, & Verbo vtrumque vnitum docuit. Aio id etiam de sanguine profuso in Circumcisione, & alibi, si alibi quandoq; profusus est ob easdem rationes, cum planè sanguis ille assumptus fuerit, vnde & cogimur asserere nunquam dimissum, qui præceptore Scoto *in 3.dist. 16.* partes corporis principaliores confitemur nusquam fuisse dimissas, sanguis autem, quanquam corporis pars non dicitur strictiori significatione corpus sumendo, dici tamen pars corporis secundo modo supradicti perbellè potest,

Scotus

&

& quidem non ignobilis, quippe qui, vti diximus, alimentum est, & vitæ corporis vehiculum.

Scoti pro pensio in Authoris sententiā.

126 In hunc dicendi modum propensum fuisse Scotum reor *dist. 16. q. 3. citata* vbi loquens de particulis à Verbo dimissis, concedit quidem vngues, & pilos ab vnione segregatos, non tamen vngues omnes, sed præcisos, idest excrementa vnguium, & capillos, si eos vsquam tasit, & nullam habens de sanguine memoriam. Quod si dicas, ab auctoritate negante arguitionem nullam. Non dissentio, at iterum sentio, quod sicubi tenetur Auctor veritatem aperire, nec aperit, auctoritas negans non modicum probat. Cæterum ibi occasione dilemmatis ex illo Damasceni co pronunciato deducti. *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, edisserere tenebatur Scotus, quæ Verbum dimiserat, vt in quibus veritatem haberet pronunciatum ostenderet: edisserit autem vngues, & pilos dimissos; profectò, si sanguinem dimissum fuisse in voto fuisset, dimissum dixisset.

An super sint guttæ sanguinis pretiosi in terris.

127 Aio demum, sanguinis Christi particulas in terris superstites vnionem ad hypostasim retinere. In hoc asserto duo inuoluuntur, alterum vt suppositum, alterum vt probandum: suppositum est superesse in terris aliquas pretiosissimi sanguinis guttulas. Hoc suppositum, quod nusquam S. Thomæ arrisit, qui simpliciter censuit, ne minimam quidem Christi sanguinis guttam superesse in terris, & obijcientibus plures huiuscemodi guttulas occurrit, haudquaquā illas ex Christi patientis corpore, sed ex cuiusdam Crucifixi latere promanasse, vt miraculosus rectius, quàm pretiosus Christi sanguis dicendus fit. De hoc etiam supposito veriti sunt Vasquez, & Lugo, opinantes maculas illas tubeas in Syndone, sudario, & spinis non esse verum sanguinem, sed aliam substātiam diuersam, in quam conuersus est sanguis.

Hoc, inquam, suppositum tam mihi certum est, quam certum Romæ corpora multorum Apostolorum, & Martyrum condita esse. Item Amalphi corpus Sancti Andreæ, & aliorum alibi, de quibus solum acquisita fide, & hominum, ac scripturarum traditione, exque continuato piorum cultu in tot secula & ætates, compertum est hoc verum esse, quod vidimus: loquor autem studio exempli, nam si fides deceineret situm alicubi corpus aliquod, maiori credulitate, quam acquisita crederem; immò maiori certitudine credo sanguinem Christi in terris penes aliquas pernansisse guttulas, quam alicubi conditum corpus aliquod, nisi speciali Conciliorum, vel Pontificum decreto firmetur; quia asseruaram Venetijs in sacrario Fratrum Min. Conuent. sub claue Christi sanguinis guttulam, hisce oculis vidi, sub e nisi sanguinis, vel saltem sumpti à Verbo 1621. dum ibi Concionatoris obirem munus, quam solemni pompa, & supplicationibus indictis Fratres è sacratio ad Altare præcipuum deferunt tota die Dominica Passionis adorandam sub vitteo vase balsamo vnitam; quæ ceteris alioquin anni temporibus, quasi balsamo hærens constricta, & compacta quasi glacies cernitur; illa tamen die viuentis instar per vas ipsum effundi ram recens, ac tuora, ac si modo è Christi latere manaret.

Author oculatus testis miraculi sanguinis Christi pretiosi Venetijs.

128 Hanc autem esse guttulam pretiosissimi sanguinis Christi, tum ex perenni in tot ætates decursa populi pietate, & cultu, tum ex succedenti traditione Patrum, tum denique ex scripturis sacrarij illius liquido patet: corpora autem Sanctorum asseruata alicubi ex traditione dumtaxat, nisi fides aliud deceruat, non oculo testante confiteor.

129 Iam factum ostendi, cuius possibilitatem etiam probo sciscitans; sit ne possibile, an è contra reliquam esse aliquā Christi sanguinis guttulam in terris Christi corpori non vnitam in resurrectione? si impossibile dixeris, impossibilitatis coniecturam deferre, tenebris, ne ex capite impossibilitatem tibi construas; at si quam huiusmodi effingis ea solum dicenda est, quod Christus non esset perfectè resuscitatus, si ipse non reassumpturus dimisisset, quod semel assumpsit; & non omnea sanguinis guttulas sumpsisset.

Verùm hæc impossibilitas ex vtroque capite nulla est; cum sit satis sumpsisse resurgendo dumtaxat sanguinem illum, qui ad humanæ vitæ integritatem ef-

fet

set satis; nam, etsi nunc effueret mihi aliquę sanguinis guttæ, non obinde humanitas relinquitur imperfecta; primum ergo impossibilitatis caput nullum est; sed & alterum leue est, nam distinguo de sumptione, vel enim refertur ad vnionem in hypostasi, vel ad vnionem in corpore; de prima aio nunquem sanguinem dimissum, quia perpetim Verbo vnitum fateor, de altera quid impedit? Nonne è corpore in triduo diuulsus sanguis? quare impossibilitas ex hoc duplici capite leuis, sed si quam ex alio feras, euellam: est ergo possibile; quare si possibile, quid inficiamur factum? cum præcipuè id sempiternum sit nostræ Redemptionis pignus, passionis rememoratiuum, restaurationis pretium, quod propterea valdè congruum fuit relinqui in terris, ne impij de peccatis excusationem habeant, & pij spirituali solatio ex Christi Seruatoris sanguinis aspectu foueantur, vt fideles in fide firmentur, ad fidem reuocentur infideles.

Aufertur instantia

130 Hoc igitur suppono. Vnitam in hypostasi guttullam illam Verbo, & alias, si quæ superstites sunt in terris, probo ex paritate totius, & partis; nam si totus sanguis semper subsistit in Verbi supposito, ergo, & partes, non videtur enim maior ratio de toto, quam de partibus istis homogeneis. Dices interesse discrimen, quia particulæ similes ordinem ad totum non habent, nec vnibilitatem; At sin minus ad totum corpus, vt quid non ad Verbum? hic enim loquimur de vnione ad Verbum, non ad Corpue. Adde, quod, nisi nimium audax videri possem, probabiliter dicerem habere ordinem ad totum guttas illas in fine mundi Christi vniendas corpori, iam terris destinatas, ob superius rationes adductas, tunc autem expleto Iudicio Corpori Christi vniendas, quod non propterea nunc temporis minus censendum perfectum, quā vnitis guttulis illis, quæ sicuti desideratæ imperfectionem nullam, ita nec appositæ vllam perfectionem maiorem dicunt in corpore, quod resurgens, quæ satis ad naturæ integritatem erant, plenè reassumpsit: nec sequitur deductio Ioannis à Lugo, quod Christus non planè resurrexisset; siquidem non ex vna, vel altera sanguinis particula, quæ corporis integritatem non minuit, resurrectio spectanda est, sed ex partium cum toto integrantium, ac principaliorum vnione, vt in 4. *sent.* dicitur.

Probatur assertio proposita

Satisfit Lugo.

131 In hoc pronunciatum ex simili duci possum; quia & ipsa passionis instrumenta derelicta sunt, vt in excidio mundi contra hostes Christi nominis signa appareant. Hoc enim de Cruce canit Ecclesia, *Hoc signum Crucis erit in Cœlo, cum Dominus ad iudicandum venerit, &c.* Nunc autem à fidelibus piè colenda, ab infidelibus timenda, tunc vero forte Iuditio expleto, inferiori mundo inani, ad Cœlos cum beatis transferenda: probebile autem est sanguinem tunc in diuersa passionis ferra conspersum, & ligna, & spinas cessante causa detentionis à Christo in sui corpus redigendum. Probo rursum vnitam sanguineis illis guttulis Deitatem ex immarcescibilitate, & incorruptibilitate earum, earumque motu, quæ omnia balsamo illi tribuere nefas est, nam quamquam corruptioni obsistet balsamum; certè nec liquidiorum partium, sed ossium dumtaxat, neruorum, & carnis, nec perenni, sed diutinæ, vt experimentum de cadaueribus balsamo conditis docet. Præterea motum balsamum dare nequit si incorruptionem dabit. Aies naturali balsamo non corrumpi, supernaturali virtute moueri. Habeo te concedentem ibi supernaturalem virtutem, cur ergo: qui hanc nouam ibi virtutem pateris, vnionem antiquam ad Verbum negligis? certè voluntariò tantum.

Ecclesia in officio Crucis.

Enodantur plera que obiecta.

132 Rursum dices cum Lugo, incorruptionem posse manare sanguini, non ex vnione, quam habet, sed quam habuit quondam cum Verbo, sicuti Caio, & sanguis Beatæ Mariæ Virginis corruptionem non vidit ex connexione, quam habuerat cum Christo, quem genuit. Cōtra: hoc maius videretur miraculum, quod, scilicet, daretur incorruptio ex vnione præterita, quam quod esset vnio præsens: quare hic auctor, dum miraculum vitat, miraculum ingerit: & Beatam Virginem præcisè ex illa connexione incorruptam violentè dicitur; siquidem illa non subdita corruptioni, quia translata ad gloriam, quæ est proxima incorruptibilitatis corporis ratio; nisi

autem

Virgo cur non emarcuit in sepulchro. autem fuisset translata, vel corruptioni subdita. vel ex eadem gratia præseruata a putredine, qua fuerat à peccato originis immunis effecta; non verò ex tactu, & conceptu filij, hinc ex con unexione quam habuit ad Verbum.

133 Diximus sanguinem in Circumcisione effusum vnitum Verbo fuisse, sed nondum expressimus an à Christo retur gente fuerit corpori vnitus. Hæc dubitatio alterius nexum diluendum proponit de Carne præputii Christi, an videlicet reassumpta Christi corpori, an relicta, & si in terris relicta, dimissa ab hypostasi Verbi, an vero sustentata? in qua primum videtur certum; nedum ex reuelationibus Sanctæ Brigidæ, *lib. 6.* vbi Virgo Deipara membranam illam Romæ asseruari docuit B. Brigittam, cuius verba tum *libello reuelat.* tum etiam apud Lugo illa recensentem consule; Iam vero haud amplius licerec Caietano insultare, quæ sic ista Brigitta, sicut ipse quondam opusculo de Conceptione Virginis ausus est. *Dubitatio de carne præputij.* *Sancta Brigida.*

Hæc enim est Brigitta, cuius opera, & reuelationes circumferuntur, & in eius collecta expressa reuelat onum ei à Deo factarum fit mentio *Deus qui Beatæ Brigittæ per filium tuum arcana cælestia reuelasti, &c.* quæ omnia sin minus fidei certitudinem, profectò plusquam probabilitatem ingerunt; sed etiam ex facto, nam caro illa, seù membrana adhuc Romæ asseruatur, & colitur, de cuius inuentione vide Cardinalem Toletum in Lucam *cap. 2. adnot. 51.* An vero illi sanguinis adhæreant guttulæ nonnir, qui vidit; planè si inhærent, tam illis, quam carni vnionem ad Verbum inesse probabiliter dixerim; nedum, quia de carne nusquam veritum fuit à Scolasticis, quippe quæ pars est animalis viuentis, & ipsa viuens, dum corpori inhæret, animatas autem partes, & non consumptas vnionem ad Verbum retinere verius dixerint omnes, (notanter dixi, & non consumptas, nam quæ carnis, ac sanguinis particulæ caloris actione consumptæ sunt, in quarum locum aggenetatæ ex alimento aliæ partes fuerunt, eæ profectò diuisæ à Verbo, quia non amplius partes animatæ, vel animantes, quæ prius quam essent *Luditur Caietani audacia.*

consumptæ erant) nedum, inquam, ob rationem caro is adductam, sed ob monitum Beatissimæ Virginis Beatæ Brigittæ traditum his verbis, ò *Roma si scires flere, fleres incessanter, quia habes thesaurum mihi carissimum, & non honoras illum, &c.* quæ monita satis ii dicant illas partes à Verbo sustineri, dum thesaurum eas Virgo carissimum vocat, dum nec debito coli honore conqueritur. An verò, vt & sanguis, vnienda sit particula illa corpori post extremum conflagrationis diem, probabilitet asserterem, quia cum cæteræ Sanctorum partes vniendæ sint toti, nec vel leuis corporis particula relinquenda inani, & vacuo mundo, cessante causa detentionis in terris, quam supra memoraui mox, multo magis id de Christi particulis carnis, ac sanguinis dicendum videtur. Quid autem re vera futurum sit, dixerit certò, qui Dei arcanorum certus fieri scrutator poterit.

134 Interim, vt verius statuendum est contra Caietanum, Cabreram, & Collium effusum à Christo sanguinem in horto Gessemani per sudorem, si cenedatur verus esse sanguis, vt verè conceditur, & non dumtaxat sanguinis instar coloratus sudor, vt communiter Patres, & Scholastici, qui nunquam fuit à Deitate seiunctus; reassumptum in Corpore Christi resurgentis: etenim mirabile esset, quod nulla illius vel modica haberetur particula, vel guttula nisi esset corpori vnitus, cum tamen non io modica, sed in maxima quantitate è Christi disruptis profluxerit venis, ita vt non vestis solum, sed & ipsa tellus profuso cruore madeset, & humi decurreret, iuxta Lucæ enarrationem, *factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram &c.* ne verò nomine guttæ vnicam tantum guttulam intelligeres, appositè subdidit, *decurrentis in terram*; vna enim gutta non decurrit, sed glomerata in rotunditatem in se sistit, vt patet in aquis, cæterisque liquoribus: Quarè cum ex tanta sanguinis copia nec gutta supersit, incredibile est in terris mansisse. Adde, quod non solum ad naturæ integrationem, sed & ad glorificationem sanguis Sanctorum pro Christo effusus resurget in nouissimo die, vt quid igitur hac ipsa Christi pretiosissimus *Caietanus Cabrera Collius* *Lucæ 22.*

ſiſſimus ſanguis beatitate carebit? cum tamen hic in horto profuſus fortè alias ſanguinis effuſi particulas nobilitate præcellat, vtpotè ex amoris, ac timoris ictu, non ex manu violenta militum profuſus.

Occurritur ſententijs in oppoſitum.

135 Singulæ ſententiæ in principio capitis relatæ opinionem noſtram triplici aſſerto conſtitutam conturbare conantur, miſſis etiam philoſophorum placitis, qui pro ſanguinis animatione digladiantur, de qua difficultate in Phyſicis. Aſſertionem primam hæc perturbant obiecta.

Argumentum primum.

Primum auctoritate fulcitur Auguſtini *epiſtola* 145. vbi rogatus, an Chriſti corpus nunc carnem, & oſſa habeat, & ſanguinem.

Reſpondet habere oſſa, & carnem nulla habita ſanguinis memoria. Nec audiendus eſt Suarez aſſerens ex Auguſtini verbis deduci, ineſſe Chriſto ſanguinem, qui ſermonem eo loci concluſit per hæc verba, *fides adſit, & nulla quæſtio remanebit*.

Argumentum ſecundum

Secundū. Si ſanguis totus vnitus fuit immediatè Verbo, vtique de Verbo effari potuiſſet per communicationem idiomatum; proindeque ſanguinis prædicata verè de Verbo dici potuiſſent, vt verum eſſet dicere: *Verbum eſt effuſum*, *Verbum adhæret clauis*, *&c.* At hæc omnia falſa ſunt, ergo & falſum id, ex quo ducuntur.

Argumentum tertium.

Tertiū: Si Chriſtus ſibi ſanguinem extraxiſſet, vel de facto extractus ei ſanguis fuit in circumciſione, ille vtique ſanguis amiſiſſet vnionem ad Verbum, ergo ſimiliter totus ſanguis in paſſione effuſus, vel vnionem ad Verbum non habuit, vel in effuſione amiſit.

Solutio primi interpretãs Auguſtinum

136 Hæc diluē; primum, Auguſtinum noluiſſe de ſanguine reſponſum dare ob eam, quam ipſe tulit cauſam; poſtquam ſiquidem ex Euangelio probauit in Chriſto carnem, & oſſa, atteſtante Seruatore. *Spiritus carnem, & oſſa non habet ſicut me videtis habere*, ſubdidit, quod *neque Chriſtus ſanguinem memorauit, nec propterea nos debemus inquirere, quod Chriſtus noluit dicere*; quibus Auguſtinus curioſitatem arguentium repremit, ſuam tamen ſententiam non aperuit, quæ licet non conſtituat in Chriſto ſanguinē; quatenus Chriſtus ſanguinem non memorauit, non tamen à Chriſto ſanguinem euellendum dixit.

Solutio ſecundi

137 Secundum dilue negata ſequela; perperam enim partes aſſumptæ de Verbo effantur, vt neutiquam concedi poſſunt hæc effata: *Chriſtus eſt anima*, *Chriſtus eſt corpus*, & ſimilia, neque idiomatum communicatio eo tendit, vt partes de toto prædicari permittat, ſed ſolum prædicata hominis de Verbo, Verbi de Chriſto homine; idcirco propoſitio illa, *Verbum eſt effuſum*, falſa eſt; conceditur tamen illa, *Verbum adhæret clauis*, *&c.* Non ita tamen, vt ſanguis, quia hic inhærendo, Verbum ſuſtinendo; neque prædicata partium poſſunt dici de toto, niſi pars ſit maximè principalis; vnde, ſi hìc requieſceret Beati Nicolai brachium, aut manus, non diceretur ipſe Beatus Nicolaus hìc ſepulchro conditus: ſimiliter, ſi alicuius viri ſanguis in aliquo vaſe conderetur, non obindè totus ille vir in vaſe reconditus dicendus eſſet. Verum dè communicatione idiomatum dicemus poſtea.

Solutio tertij

138 Tertium argumentum ex dictis dilue, nec Circumciſionis ſanguinem, nec flagellationis, nec ſudoris in horto, nec paſſionis à Deitate diuulſum, & oppugnationes in oppoſitum facile de medio tolles, præhabita in ſuperioribus doctrina.

Obiecta contra 2. aſſertum

139 Oppoſitum aſſerti ſecundi conturbat Ariſtotelis doctrina 4. *de partibus animalium cap.* 2. conſtituens humores inter excrementa; atqui excrementa Deitati coniuncta quis dixerit? Porrò Ariſtotelem ita ſenſiſſe de bile præſertim, locus apertiſſimus ibi habetur, idemque tradiderat de pituita, ſiue flegmate 1. *lib. de generatione animalium cap.* 18.

Primum

Reſpondeo, excrementa bifariam ſumi; per ſe, ſcilicet, & per accidens: humores quidem per accidens excrementa dicuntur, non per ſe; cum per ſe componentes certiam entitatem corporis integrent parum à ſanguine diuerſi, & ferè ſemper ſanguine vel permixti, vel coniuncti: per accidens verò excrementa dici, prout aliquæ illorum particulæ, vt perſpuita emittuntur; & rurſum, quia vim nutriendi ad inſtar ſanguinis non habent.

Secundū

140 Secundò de vnguibus, & capillis arguit Vaſquez. Non pertinent iſti ad

naturæ

naturæ humanæ integritatem; ergò minimè assumpti, consecutio est euidens: quia ea tantum ad se sumpsit Verbum, quæ sunt de humanitatis integritate, antecedens verò probatur, quia tam vngues, quam pili anima destituti sunt, nec viuunt. Respondeo negando antecedens; nam etiam, quæ ad ornatum corporis perfecti spectare videntur à Verbo dicuntur assumpta, dum totum assumpsit hominem, seù humanitatem perfectam in atomo, sed an perfectum dixerimus hominem sine vnguibus, ac pilis, an non potius monstruosum?

Tertium argumentum 141 Tertio est maxima de dentibus difficultas, qui etsi animati côcedantur, & assumpti, certè dicendi sunt dimissi in Infantili ætate, dum primos Christus eiecit dentes, alioquin si non dimisit, sed vnionem cum ijs retinuit, vtique in fine mundi assumendos, cum præcipuè nullum os ex ossibus Christi comminuendum edoceat cum Propheta Ioannes; *Ioan. 19.* si autem assumendi concedentur monstruosum erit Christi os duplices vltra homines habiturum dentes, & quos infans dimisit, & quos grandior denuò habuit.

Solutio eius 142 Responde, dentes vt animatos assumptos, nec vnquam dimissos à Verbo, sed nec in Infantili ætate ab ora diuulsos, sicut in nobis accidit dentium variatio ex imperfectione naturæ, quæ dum infantiles ineptos ad cibi triturationem dentes reperit, ijs euulsis nouos acutiores, ac fortiori neruiculo colligatos parat, quod in Christo perfectissimè organizato necessum minimè fuit, vel signa conuincet sanctorum auctoritas, dentes in Christo infante diuulsos, sicut in nobis, vt se in omnibus fratribus assimilaret: occurre dentes illos primos censeri vt excrementa, sicut de extremitate vnguium, deque pilis præcisis asserit Scotus; neque stho macari quis debet assertum constituens primores dentes censeri vt excrementa, siquidem decidunt illi vi naturæ impellentis, quæ nouos parat ad cibi tritinam aptiores, videnturque propterea à summitate nascentium expelli, vt excrementa decidunt vnguium, de quibus eadem est ratio animatione dempta, quam aliqualem in dentibus, nullam admisimus in vnguibus.

Argumenta contra appendicem. Primum. 143 Asserti postremi appendicem de Christi sanguinis particulis, seù guttulis hæc labefactant argumenta. Primũ, quicquid ad naturæ humanæ veritatem, ac integritatem spectat, id totum dicendum est à Christo resurgente reunitum corpori, at huiusmodi est sanguis etiam secundum singulas particulas, quare iterum vnitus Christi corpori dicendus est. Maior patet, alioquin Christi à mortuis surrectio perfecta minimè fuisset.

Secundũ argumentum 144 Secundum est expressa Sancti Athanasij sententia *peculiari libello de sanguine Christi*. Christi sanguinem in diuersis Ecclesijs terrarum asseruatum non pretiosũ, sed miraculosum esse, qui ex quadam Crucifixi Imagine à Iudeis lancea transfixa manare legitur in Ciuitate Berithi, quare voluntariè sanguis Christi pretiosi guttulę superesse dicuntur in terris.

Diluitur primum 145 Primum dilue concessa maiori, minorem negando; nam & in nobis experimentum præ manibus ostendit aliquas è naso, vel alijs corporis partibus fluentes sanguinis guttulas integritati, ac veritati humanæ naturæ nostræ ne latum vnguem obesse; quare multò minus exiguæ sanguinis guttulæ à Christo ad fidelium solatia derelictæ integritatem Christi corporis perturbare videntur, & eodem modo de resurrectione diximus integrè, ac perfectè surrexisse Christum, quia paucæ guttulæ imperfectionem nullatenus inuoluunt.

Enodatur secundum 146 Demum allata Athanasij sententia. Perperam adducitur, is enim nusquam iuit inficias aliquas Christi sanguinis guttulas pretiosi in terris mansisse, obsistente contra ipsum historia nedum Nicephori *cap.30*, referentis è sanguine, quo latus Christi aqua mixto manauit asseruasse Ioannem Apostolum in vasculo religiosas reliquias, sed aliorum oculatorum testium, qui nedum inter Mariæ Magdalenæ reliquias vasculum ipsius terra, & sanguine aspersum viderunt, vt patet in vita Caroli Secundi vtriusque Siciliæ Regis; sed & guttulam in inclyta Venetiarum Vrbe quotannis venerantur adorant, de qua nefas putarim asserere eam esse è sanguine per Imaginem effuso aduersus scripta, traditiones, ac perennem populorum

lorum cultum, qui diuerso honore sanguinem ab Imagine diffusum, & miraculosum, cuius vasculum in eadem Ciuitate in Æde Augustissima Sancti Marci asseruatum colunt; sed de eo sanguine dumtaxat Athanasius scripsit, quia de eo titulum ediderat libri, vnde auctoritas negans, sine argumentum ab auctore nihil de re proposita differeure: quanti faciendum sit logici norint.

Sanguis miraculosus asseruatos Venetijs.

Adsunt argumenta Recentium Thomistarum Aluarez, & Nazarii, sed quia vel coincidunt cum prædictis, vel ex dictis diluuntur, mittenda duximus.

AN CHRISTVS ASSVMPSERIT carnem peccati?

CAP. V.

147 Contigit, dum hæc scriberem dies Dominicæ V. à Christi apparitione, quo Beatus Augustinus in officio dici serm. 8. de Verbis Domini non alterius naturæ tradidit nostram, & Christi carnem, nec alterius naturæ nostram, ac illius animam, cuius occasione effari ad cōcertationē de Christi impeccabilitate descendimus, proinde visum est hoc loco de ea differere. Titulus quæsiti duplex, ex quo enim Christus suam ex materna carne carnem traxit, petitio vrgere duplicem difficultatem posses, alteram de Materna, alteram de propria, vt prioris sit sensus: an caro Virginis fuerit caro peccati, itidemque sub hoc titulo inuoluenda esse de immaculato Deiparæ conceptu postulatio; altera petitio est de propria, quam sibi in vnione ad hypostasim carnem Verbum assumpsit: prioris petitionis titulum consultò dimittimus, ne rem actam agere videamur, neue altercari absque controuersia, litis enim ansam Sanctissimi Pontifices è medio abstulerunt, dum sub hoc titulo 8. Decembris in vniuersa Ecclesia solemnia in Virginis honorem celebrari constituunt, Collegia, ac Religiosorum instituta sub immaculatæ Conceptionis vocabulo instituti patiuntur: Priuilegia, largitiones, ac spiritualia dona impertiunt. Sciscitandum est igitur in posteriori sensu, an Christi caro assumpta dici queat caro peccati, non ita, vt peccamus, an peccatum in Christi carne fuerit, cum sola caro non sit peccati subiectum, sed anima vt informans carnem, seu hominem, carnis enim voce humanam intelligimus carnem, quoniam autem peccatum suaptè natura duplex, alterum, quod originis, alterum, quod actus; idcirco disputationem propositam de vtroque prosequentes postulationem vniuersam duplici articulo insectabimur.

Titulus quæsiti explanatur.

ARTICVLVS PRIMVS

De Peccato Originis.

148 Christum Dominum carnem sumpsisse in similitudinem peccati disertè præstitit Apostolus Paulus Roman. 8. dum ait. *Mittens Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne*, cuius Verbis vtitur Ecclesia in maiori Antiphona Vesperarum Circumcisionis Dominicæ. *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus misit filium suum in similitudinem carnis peccati*. Ceterum hanc similitudinem non fuisse identitatem, sicuti nec similis fuit propagationis nostræ, & Christi modus, quia is de Virgine, nos autem de non Virgine, is sine semine, & sine libidinis conceptu, nos è conuerso, sexcentis in locis docuit Augustinus, ac præcipuè tom. 6. lib. *Vnico contra Adimantum Manichei discipulum cap.* 21. *quia ex ipsa successione mortalitatem gestauit de Virgine Maria mortaliter natus, habens carnem non peccatricem, sed ad similitudinem gerentem peccati, quia gerentem, quia mori poterat, & mors de peccato est*. Hæc ibi, & in superioribus locutum de peccato originis pater ijs verbis, *Vt quod in illo* (loquitur de Adamo) *fuerit voluntarium, in nobis fieret naturale*, & eodem tom. lib. 14. con-

Rom. 8.

Ecclesia in officio.

August.

contra Faustum cap. 5. explicans expositam Pauli sententiam. *Non erat*, inquit, *illa caro peccati; quia non de traduce mortalitatis in Maria per masculum venerat* & tom. 7. lib. 1. de nuptijs, & cõcupiscẽt. js cap. 12. *qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudinem carnis peccati, vt hic etiam doceret omnem, qui de concubitu nascitur carnem esse peccati, quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati*. Hoc etiam alibi, & præsertim *lib. 3. contra duas epistolas Pelagij cap. 6.* Nec vlteriori Sanctorum Patrum, aut Ecclesiæ Sanctione indiget hæc veritas, vtpotè fide firmata, & elicitur ex illo Lucæ 1. *Ideoque, quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*.

Luca 1. 149 Ad hanc autem veritatem inuehendam à capite satis diuerso rationes proferunt Scolastici, quod nos breuiter in re, citra Scholasticam concertationem, differemus, repetita, seù redacta leui, sed necessaria quadam in 2. *sent.* de originis peccato notitia.

Opinio Catherini de peccato originis. 150 Variæ igitur de peccato originali circum Scolastica gymnasia feruntur sententiæ eliminato Sac. Conc. Trid. *sess.* 5. proprio de originali peccato decreto Sectariorum, ac Nouatorum delirio constituente peccatum originale nihil persé, nisi concupiscentiam ferre, & fomitem, qui humanam imbecillitatem ad malum propensam facit, omnino etiam per Baptismi virtutem irremissibilem.

151 Prima sententia est Catherini; *opusculo proprio de hoc peccato*, constituentis, peccatum hoc nihil esse præterea nisi peccatum actuale Adami, quod non multiplicatur in succedentes hominum propagines, sed vnicum fuit erratum in vno homine, in nobis autem remanet quoad pœnas fomitis, concupiscentiæ, & carentiæ iustitiæ originalis, & gratiæ.

Huic sententiæ primæ proximè accesserunt aliqui à *Magistro* sentent. in 2. d. 3. relati, qui erant in voto, originalem culpam nihil præsferre aliud, quam reatum, siuè obligationem in nobis ex peccato primi parentis manantem, quam sententiam sparsim in operibus suis indicasse, immò, & propugnasse visus est Augustinus præsertim *libro de nuptijs, & concupiscentia sup. citato*;

August.

Proximè etiam accedit huic Martinus Bonacina *disput. 2. q. 1. punct. 5. num. 14.* per originis culpam primi parentis erratum intelligens actuale, quod ad nos transmittitur; licet quomodo transmittatur, non explicet. *Bonacina*

152 Alia, & secunda in ordine opinio est, quam Magistri Scoti *in 2. dist. 32.* tribuunt Henrico, & etiam Magistro sententiarum, quæ putat originale peccatum esse quandam morbidam qualitatem in carne existentem, ex qua dimanat ad animam; æstimant enim peccati actualis Adamici meritò factum, vt in eius anima curuitatem, quandam, siuè obliquitatem causauerit, quæ deindè carnem quoque macula infecit, quæ caro infecta filijs per semen infectum libidine, carnem quoque filiorum emaculabat, morbidam illis ingerens qualitatem, & animam in instanti infusionis ad corpus inficiebat; itaut duplex censeatur emaculatio, corporis, siuè carnis vna, animi altera, & hanc quidem medio tentur Baptismate tolli, illam verò manere, vel saltem ablato reatu non imputari. Hanc etiam sententiam inuexisse Augustinum pluribus in locis auctores singuli referunt, & contra eam fusè inuehit Scotus *loco cit.* *Henrici, & Magistri sent. opinio.* *August.*

153 Tertio alij peccatum hoc partiti sunt in materiale, & formale, hoc carentiam Iustitiæ dicere volunt, illud verò concupiscentiam. Alij diuidunt hoc erratum in id, in quo intrinsecè, ac essentialiter consistit, inque id, in quo per concomitantiam, & quasi extrinsecè; Intrinsecum diuidunt in materiale, & formale, materiale aiunt esse curuationem voluntatis ad bonum sensibile, formale carentiam rectitudinis, iustitiæ originalis debitæ inesse voluntati; extrinsecum etiam, & concomitans in formale, & materiale partiti sunt; formale aiunt esse carentiam rectitudinis in appetitu sensitiuo, materiale habitualem effrenatam inclinationem ad bonum sensibile. Hæc videtur esse opinio Aureoli in 2. *Opinio Aureoli*

154 Patres etiam diuersi diuersimodè de peccato originali effantur, quibusdam illud vocantibus languorem membrorum, alijs legem membrorum, aliquibus concupiscentiam, plerisque fomitem,

mitam, non paucis tyramnum; quæ locutionis effata potius peccati originalis diuersa, quam naturæ ipsius diuersitatem pronunciare dicendæ sunt; siquidem primi parentis peccatum hæc omnia non in se magis, quam in succedentium generationum filios transfudit.

Opinio Anselmi.

155 Anselmi sententia est, cui nedum Scotus *loco citato*, & Diuus Thomas *p. 2. q. 82. art. 3.* Scotistæ, & Thomistæ, sed & Recentes etiam subscribunt, constituit peccatum originale nihil esse aliud, nisi nuditatem iustitiæ debitæ per inobedientiam, ita enim loquitur *lib. 1. de conceptu Virginis cap. 27.* cuius dicta interpretans Scotus *dist. 32. 2. sent. art. 1. lit. B*, docet peccatum originale esse carentiam (hanc enim nomine nuditatis intellexit Anselmus) Iustitiæ originalis debitæ inesse, quia accepte in primo parente, & in eodem amissæ; itaut formalitas peccati originis sita sit in priuatione Iustitiæ originalis, materialitas autem ab eo concedicur concupiscentia, quatenus concupiscentia dicit proniratem voluntatis ad immoderatè concupiscendum delectabile, quia voluntas per Iustitiæ originalis carentiam, qua quasi freno cohibebatur appetere illud delectabile, prona fit ad immoderatè concupiscendum: Vbi vides nomine materialitatis potius effectum peccati huius quam substratum verè intelligi.

Hanc vniuersam Doctrinam ab Anselmo mutauit Scotus.

Duo adnotantur primum,

156 Vt hanc Scoti, & Anselmi doctrinam breuiter capias, constituenda sunt tibi duo; Primum est modus contractionis huius culpæ ex eorumdem Doctorum, Anselmi videlicet, & Scoti sententia; Secundum est quidditas originalis Iustitiæ. Primum & si variè, exponatur e varijs, sic declaratur; hoc .n. loco doctrinam de peccato originis potius supponentes, quam probantes, tradimus vno verbo, vel alio in re certa constituturi Christum non habuisse carnem peccati originis.

Condidit Deus hominem, masculum, & fœminam faciens eos ad genus multiplicandum humanum in mundi exordio Iustitiam vtique originalem tradens in anima, hoc pacto, ac conditione, & decreto, vt si ipsi illam diuina seruando præcepta in se seruassent, in quolibet etiam ab ijs secundum naturalem generationis modum, ex copula videlicet iam illis verbis concessa, *Crescite, & multiplicamini, &c.* descensuro seruaretur, si è conuerso à diuino tramite deflectentes, in seipsis amitterent, & in ijs, qui ab ipsis secundum actiuam rationem seminalem essent descensuri; ex hoc igitur pacto Adamus tenebatur incolumem seruare Iustitiam, tenebantur & posteri; lapsusque Adamus in culpam actualem, & ipsa debitor iustitiæ fuit, reddiditque posteros illius Iustitiæ debitores, & in hoc maximè demeruit Adamus; quia sibi, & alijs, qui obindè ex lege à Deo sancita, non vt particularis in eo demerito se gessit persona, sed vt totius humani generis e semine nasciturí principium, quo deficiente vniuersa posteritas defecit; dicitur autem generatim hæc culpa contrahi media carne, quod non ità putes esse verum, vt velis infecta carne infici animum, illiusque macula infici animum, neque è contra, quia Pater filium genitúrus semen dumtaxat ministrare in superioribus dictus est, & semen ab anima Adami infici non potuit; anima enim eam potest ad summum inficere partem, cuius est forma, semen autem sicut, & sanguis (est enim semen sanguis etiam) nulla anima formante viuunt, quare nec semen Adæ transfusum filijs filios potuit emaculare ipsum non maculatum, cui animus Adæ maculam, vt diximus ingerere non potuit, sed ita dicitur originale peccatum media carne contractum, quia corpus humanum gignitur ex carne producta per seminalem generationem, seù propagationem, & ex illo, exque anima, quam in perfectione organizationis à Deo illi infunditur fit homo singularis, & naturalis filius Adami: ideò vt Adami filius naturali modo progenitus sit originalis Iustitiæ debitor.

Gen. 1.

Habes modum contrahē di peccatum originale

157 Vel, vno verbo, à carne est relatio in vnoquoque filiationis ad Adam naturalis; hanc autem relationem consequitur ex lege diuina debitum illius Iustitiæ, & carentia illius debitæ; carentia quidem, quia Iustitia non est in voluntate; debita autem, quia Adæ filius

est

est voluntatem habens: Ex hoc habes, quomodo hoc peccatum dici queat voluntarium, quomodo inuoluntarium; est enim voluntarium primo, quia est ut voluntate debitum, & carentia; est inuoluntarium in nobis, in quibus non est actuale peccatum, sed originale, non à nobis, sed à prothoplaste commissum. Est secundo voluntarium, quia voluntarium in Adamo, cuius filij sumus naturaliter, est rursum non voluntarium, quia ille solus originalem amisit Iustitiam actu proprij demeriti, nos verò in illo dumtaxat.

Quomodo voluntarium, quomodo non.

Quomodo autem lex aut decretum Dei datum iustum fuerit, ut non contrahentes actualem culpam remaneant Iustitiæ debitores, quam non in se, sed in primo parente receperunt.

Noli petere; Deus enim nulli debet, & leges iuxta summę sapientiæ suæ consilium tradidit, vnde petenti in hunc modum occurrere possemus cũ Euangelio: *Amice non facio tibi iniuriam, Nonne ex denario conuenisti mecum?* Conuenit igitur cum Adamo Deus, ut illi, & nascituris per eum filijs Iustitiam seruaret originalem; sin minus caderet; si caderet, & illi, & filijs donum Iustitiæ auferret.

Matt. 22

Conuentione facta, lapsoque Adamo, non est, cur conqueramur; sed nec est, cur in Deum peccati originis causam deuoluamus, qui haud ex promissione defecit, ut homo ex precepto deficiens & sui, & nostrorum causa est peccatorum; sui quidem actualis; nostri autem in debito, & carentia illius habitus.

158 Dices, & carentiam hanc Deus facit, qui Iustitiam denegat, similiter, & debitum, qui fœdus, ac pactum inijt. Respondeo iustè, quod iustum est exequere, nec plus æquo postula; non Deus, sed homo demeritoriè est causa priuationis Iustitiæ, qui in primo parente Iustitiam perdidit, & succedentes propagines debito ligauit, quod non in creditore Deo, sed in homine debente constitutum est.

Obiectio tollitur.

Tu modo qui laberis actu actu demereris gratiam peccati expultricem, ergo Deus est causa peccati tui? Sequela falsissima, *perditio enim tua ex Joela, auxilium à Deo*, quod si demereris, ne[illegible] conqueri persista.

Ioelis.

159 Si rursum peras, at cur saltem nequiuit Adam soluere noa debita, sicut ligare potuit, obindequè cur Adami penitentia humano generi non profuit, sicut obfuit lapsus? Respondeo in primis Voluntati Dei quia resistit? Sic planè Deo visum est, ut vbi abundauit delictum, superabundaret gratia per mediatorem Dei filium, ut si vetus terrenus Adam defecit, nouus cœlestis reficeret; Adde alia rationes, quas pro aduentu Christi ad nostrum reparandum lapsum in principio totius operis peculiari disputatione exegimus.

Noua obiectio aufertur.

Adde demum, bonum ex plenaria causa, malum ex defectu vnius causæ; quare deficiente Adamo potuit in totũ genus humanũ malũ culpæ originalis, & pœnæ illi annexæ irrumpere, reparatio autem reparato Adamo non ita, quę plenariam exigebat causam, quæ Deo faceret satis ex aliqua infinitate saltem modis in Scoti sententia expositis; sin minus formaliter, quemadmodum offensa ipsa quandam infinitatis speciem, sin minus formalem obtinerat.

160 Si demum peras; quonam modo culpabile sit in nobis originale peccatum, si per humanam, naturalemque generationem traducitur, cum è contra statutum sit in naturalibus neque laude, neque esse culpa nos reus, aut dignos, quemadmodum ipsi quoque nouere Philosophi, quorum Princeps *Eth. 3.* proclamat Cæcum natum non esse culpabilem in cæcitate, sed nec illi improperandum, quod natus sit cæcus.

Alia petitio.

Aristoteles Ethi tertio.

Respondeo; in naturalibus nullo modo ab alicuius voluntate pendentibus vtique neminem culpabilem: at originis culpa, sin minus à nostra, profectò à prothoplastis voluntate pependit, in cuius obligationis nexu colligatæ erant quodammodo succedentium filiorum voluntates; atque in hoc sensu negatũ est, naturalem esse defectum peccati originalis culpam, quæ fuit voluntaria in primo peccante, quoquomodo inuoluntaria in nobis, non tamen naturalis, quia hoc loco naturale non opponitur voluntariò, cum naturaliter traducatur; hoc est; ex naturali modo productionis, maneatque voluntarium in primo traducente.

Neque auctoritatem illam Aristotelis multi penderent Theologi, qui norunt quandoque ex parentum actuali culpa puniri naturali defectu filios, vt egomet vidi in homine brutalem vocem, ac sonum in pœnam parentum iurantium B. Antonii Patauini nomen perstrepere, factique memoriam proprii Episcopi auctoritate, ac sigillo munitam legi; immo de cæco nato apud Ioannem ipsi etiam petierunt Apostoli à Domino, quis peccasset is ne, an parentes eius, vt cæcus nasceretur, ex qua petitione datur intelligi, transfundi quandoque in filios peccatorum parentum pœnas, iusto Dei punientis iudicio.

Miraculum Beati Antonij.

Ioan. 9.

161 Atqui secundum hunc sensum licitè effari possumus originale peccatum in paruulis, & peccatum esse, & pœnam peccati, peccatum vtique paruulorum proprium, quatenus obstricti sunt debito Iustitiæ, quam reddere nequeunt ex proprijs, pœnam autem peccati primi parentis, quatenus ob illud peccatum infligitur paruulis hoc debitum, remanetque carentia, & nuditas Iustitiæ, qui propterea quod primus eorum cecidit parens, huius debiti, & carentiæ pœna plectuntur, quamuis & ipsi peccatum habeant, cum non implicet in alterius peccati pœnam in homine esse aliud peccatum, quod causa, scilicet, est demerens Christi gratiam, quæ tollit peccatum.

162 Ex hactenus decursa doctrina liquet planè, quid veritatis, quidue falsitatis oppositæ in principio relatæ sententiæ præseferant, modo enim exposito originis culpa pœna dici potest Adamici reatus, propterea ex hoc capite Catherini sententia nulla censura notanda, quo autem docere est visus in nobis peccatum nullo modo esse, corrigitur per Conc. Trid. decreta *sess. 6. de peccato originali*. Similiter nouerit ex his Bonacina, quomodo in Adamo peccatum actuale in nobis originale euadere potuit transfusum ex origine naturali per concubitum. Magistri autem, & Henrici opinio quamuis acriter corrigatur à Scoto *in 2. loc. cit.* fortasse ab Anselmi doctrina non dissideret, qui & si originis culpam in nuditate Iustitiæ originalis constituat; vitium tamen concupiscibilitatis, fomitem, & alia non exclusit, nisi à formalitate illius peccati: dici ergo poterit Magister in materiali quadam, & crassiori significato peccatum originale sumpsisse, vel eius effecta, vel circumstantias spectasse; Anselmus autem formalitatem illius dumtaxat; quod dixisse volui, nedum ob Magistri reuerentiam, sed ob Augustini viri doctissimi, & sanctissimi cultû, qui in eam propendisse sententiam visus est, vt patet tum locis adductis, tum in ipsa Magistri littera. Quod si in eâ inuexit, se Scotus *in 2.* disputationis studio factum puta, qui è contra *in 3. d. 3. q. 2.* vtramque viam Augustini videlicet, & Anselmi prosequitur; atqui hæc de originali peccato, & eius contractione attigisse, vel *ex 2. sent.* supposuisse hoc loco satis, vbi eadem methodo *ex 2. eodem* aliquid etiam de Iustitia originali supponendum; oppositorum enim ea est ratio, vt non rectè, & adamussim vnum sine altero dignoscatur, præcipuè si priuatiuè opponantur.

Expenduntur aliorum sententiæ

Declaratur Magister sent. & August.

163 Supponendum ergo vti certissimum Deum, qui totius boni est auctor, nusquam verò mali formaliter sumpti; in principio temporis, dum vtramque ex nihilo condidit naturam, condidisse hominem rectum; sicuti namque actui cuicunque propria rectitudo inest, multò magis rectitudinem à Deo in homine conditem asseuerandum est. Hæc autem rectitudo Iustitia nuncupatur, vt nomen ipsum recti sonat, quod significat, quod nullo modo aut in dextrum, aut sinistrum curuatum est; quare sicut curuitas iniustitiam, ità rectitudo Iustitiam indicat.

164 An autem hæc rectitudo in homine condito donum naturale dumtaxat, an etiam supernaturale dicendum sit dubio non caret. Nonnulli namque Henrici sectatores naturalitatem ab hoc dono diuellere nequiuerunt; ex quo in naturalibus ob eius carentiam vulneratum etiam hominem videmus.

Dubitatio de rectitudine Henrici opinio carpitur à Scoto.

165 Aduersus hoc placitum dimicat Scotus *dist. 29. 2. sent.* cuius dicta non repetam, adnotans solum ex effectis ipsis huius habitus entitatem eius facilè dignosci; statuit ergo communis, & recepta sententia Iustitiæ originalis pro primum fuisse vniuersas animi potestates,

tes ita traoquillara, ac sædare, vt subdatetur inferior superiori portioni, itaut naqua contra superioris iudicium inclinaterur; na rectitudinam perderat, vel si inclinaratur, nac etiam rectitudinem amittaret; quia & sine difficultate à superiori portinne dirigi posset, & ordinari, et sina tristitia ipsamat inferior dirigeratur, vt, vno vaibo, nulla futura asset inferinris naturæ ad superiorem aabellio, quæ sine illo habitu futura fuisset: siquidem cum naturale sit cuicumqua appeticui ferri in appetibile, tamquam in proprium obiectum, & si ratione destitutus est appetitus, naturalitar sit illi ferri in obiectum suum quantum potest, quia omnis virtus naturalis naturaliter agens in ordine ad obiectum suum agit, nisi impediatur, quantum porest, itaut sicut non est in sua potestate non ferri in obiectum, quia non est libera, ita nac in sua sit libertate actus intansio; profecto sensitiuus appetitua in suis naturalibus existens, habsníqua proptium appetibile, in quo dalectaretur, in illud, quantum potuisset retendi-er; proindeque ex intensione actus in obiectum, actum voluntatis, ac rationis impedisset; mutuo enim potastates in actibus intansis se impediunt; vt igitur sine difficulrate, & tristitia hìc appetitus sensitiuus dirigi ac rectificari à rationa posset, & rursum vt ratio ipsa absqua sui difficultate dirigerat, & absque dirigendi appetitum renitentia, necessum fuit hoc habitu dirigenta, ac rectificanta voluntatis potestatam iunata.

Doctrina Philosophica.

166 An ergo ax naturalibus hìc habeatur habitus, an ex dono supernaturali conditoria modo edissero: adhuc suppo nens, & ax Philosophis præaccipiens, quod, sicuti intellactua noster sensui côiunctus natus est intelligere sensibilia, ita, & voluntas coniuncta sensitiuo appetitui nata est illi condalactari; immò si multis coniuncta sit appetitibus sensitiuis, omnibus illis condelactaretur, organo anim iuncta, quamuis immaterialis organicarum potestatum naturam prolequitur, itaut ille appetitus, vel illi appetitus sensitiui, si sint plures, nedum nequeant rattrahi à voluntate à suo delactaili absqua aorum difficultate, & renitentia; sed nec ipsa voluntas, nisi cum magna difficultate possit sa retrahere à delectatione cum sensibus, vt ergo retrahatur voluntas cum delectatione ab illa delectatione, seù condelectatione sensitiuorum, necessum est offerri ei aliquod obiectum delectabilius obiecto appetitua sensitiui; & rursum na solum ab extrinsaco obiecto moueatur, sed ex sui natura inclinetur adiuuata ad illud delectabilius, oportet rā formari aliquo habitu magis eam ad delectabilius hoc inclinante, quam ad delectabila illud sensitiuum; Porrò naturalitar in voluntate habitua hìc nullus est, quare à supernaturali virtute petandus, & hic est Iustitia originalis, quo habitu voluntas induta in Deum fartur obiectum nedum dalectabilissimū ax sui natura, sed eriam magis dalectabile voluntati, quam obiectum sensus informatæ illo habitu aam delectabilē in Deum propensiorem faciente.

Iustitia originalis vnde?

167 Quod autem huiusmodi habitus naturalis simpliciter non fuerit, seù non fuerit naturala donum, probari facilè potast, quia non acquisitum; dona anim acquisita ex actibus acquiruntur, aa præcipuè, quæ sunt de genere qualitatis, ad modum, & instar habitus, qualis è Iustitia originalis, actus anim non præcesserunt refrenantes appetitus sansitiuos io principio mundi in Adamo, qui vix per modicum temporis spatiū in voluptatis paradiso immoratua actum elicuit appetitus non rationi consentaneum, quara donum hoc nullo actu acquisiuit.

Iustitia originalis non est habēs acquisitur.

Nec innatum, quia voluntas organico corpori iuncta affectiones naturales totius compositi sequitur, & quāuia sua natutali rectitudina prædita fuerit, non tamen illa dumtaxat subijcere sibi naturaliter sine difficultata, & conatu ipsius, & inferiorum potestatū inferiorem naturam potuisset.

Nec est habitus innatus

Hoc autam donum semal amissum ex voluntate Dei ita constituentis non amplius reparatur, quia ablata ab Adamo Iustitia originis, nulli vsquam concessa est ax Adami seria progenito, licet perfectiori modo sarsarit hanc iacturam Deus per habitum gratiæ, quæ est principium mariti, quod non arat suaptè natura Iustitia originalis; similiter coniungit vltimo fini supernaturali

Semel amissus non reparatur.

ut.

vt summè honesto per se delectabili; Iustitia vero tantum coniungebat fini illi, vt delectabili conuenientique, licet è conuerso pronitas ad malum cõpatiatur cum gratia, non autem cum iustitia originali; similiter, & passiones, & fomites, & mala quæcunque originale peccatum abstulisset, quod nec vna secum compassum fuisset cum cæteris pœnis, quasuè respectiuè compatitur gratia, vt se habeant gratia. & Iustitia originalis, vt excessum, & excedens.

Quomodo se hēnt gratia, et Iustitia originalis

168 Hinc corrigendus est Gabriel Vasquez *p. 2. disp. 132. cap. 8.* autumans Iustitiam originalem fuisse eandẽ rem cũ gratia habituali, à qua illa tranquillitas non proueniebat, sed ex peculiari prouidentia Dei seruauit hominem in illa sanctitate durante, cuius opinio, vt singularis in re tanti momenti, tamque subtiliter à Patribus, & Scolasticis pertractata non sine nota sustineri potest, quamuis enim tempore Bassolij controuersum fuerit, an gratia habitualis, & originalis Iustitia idem omnino essent, hinc is auctor *in 2. d. 29. q. vnica* contra idem sentientes latè profunditur, attamen opinio illa vix locum in gymnasijs adepta est, eratque communiter tempestate Scoti explosa, qui obinde *d. 32. 2. sent. in solut. vltime quæst. littera I. ipsae*, gratiam vocat æquiualens donum cum Iustitia, sed præeminens ad illam, & post pauca mouens dubium, an originale queat cum gratia cohærere, clarè docet, Iustitiam originalem non esse formaliter gratiam: opinionem igitur tot sæculis sepultam ad viuos euocauit Vasquez, nullo nisi voluntario fundamento; quod enim ex Patribus mutuauit afferentibus per Baptismum tolli in anima dissimilitudinem Dei, quæ est in carentia gratiæ, ita enim loquitur Dionysius *tum libro de Calesti Hierarchia cap. 2.* cum *alibi*, nihil est, tum quia generatim de effectibus baptismi locutus potuit etiam alios effectus accommodare, è quorum numerè in adultis est nedũ originale, sed actuale peccatum delere, tũ etiam, quia nedum in actuali, sed & in originali peccato infectis est dissimilitudo Dei, cui, cum sit ordinatissimus agens, dissimilis est satis originali peccato maculatus

Corrigitur Vasquez

Bassolij opinio.

Dionysius

inordinatè ex curuitate potentiarum non bene sedatarum agens.

169 Cæterum diuersitatem horum habituum ex effectibus metiuntur Scolastici, vt vidimus, nec satis est ad diuinam prouidentiam confugere; namq; si debuit Adam rectificare inferiores potentias dominio rationis, ac superioris naturæ cum hoc, vt dictum est, perpetrate haud quaquã ex naturalibus posset; habitu indiguit inclinante voluntatem ad illud delectabilius, qui habitus per ipsum non fuit gratia, ergo vel Iustitia originalis, vel alius, cuius nomen, ac quidditatem attendimus à Vasquezio, certè cum communi Theologorum placito semel deperditam originalem Iustitiam non amplius reparatam; gratiam è contra deperditam reparari posse confitemur, mortem etiam pœnam originalis peccati, seù deperditionis Iustitiæ originalis fatemur, minante Deo, *in quacunque hora comederis*, attestante Apostolo, *per peccatum mors*; peccati verò actualis non ita, nam & Angeli ceciderunt actuali peccato, factique sunt dæmones, haudquaquam tamen mortui, cum originale peccatum non commiserint; sed iam ad nostri capitis veritatem enucleandam reuertamur. *Genes. 2.*

170 Hæc in vniuersum doctrina, quam tradidimus, commodat tibi facilè responsum negans vllo modo Christum assumpsisse carnem peccati originalis, siue enim nostra tibi, & Anselmi arrideat opinio constituens originalis peccati formalitatem in nuditate Iustitiæ debitæ, siuè aliorum constituentium originalem culpam ex carnis infectione contrahi, perpetua est veritas Christum originalem culpam non contraxisse; siquidem, si sentias contrahi illam ex infectione carnis, cum Christi caro è potissimis Beatæ Virginis sanguinibus compacta fuerit, nulla in eius conceptione infectio, quæ ex libidinosa feminum commixtione promanat; nam & ipsa Virgine in primo suæ conceptionis instanti facta ex gratuita Dei voluntate ab hac culpa immune nulla in eius sanguine superstes infectio, quantumuis eius caro communi modo per rationem seminalem ab Adamo originem traxerit. Si verò cum Anselmo, *Epilogus capitis.*

& no-

& nobiscum sentias, peccatum illud, quod est formaliter nuditas, contrahi in infusione animi, qua homo indiuiduus ex genere Adami per rationem seminalem defluit, quo instanti temporis reperitur iustitiæ debitor, ex eo quia genus ab Adamo spondente, ac omnium quasi voluntates vinculanti trahit; identidem clara elucescit veritas negans Christum peccato originis infectum, qui naturalis Adæ filius non fuit; scilicet non per modum propagationis naturalis progenitus, sed de Spiritu sancto conceptus, propterea in instanti suæ Conceptionis, & si iustitia originali caruit non tamen peccato infectus est, quia in eo iustitia illa non debebat inesse, neque obinde is debitor illius fuit; huculque autem satis apertè ostendimus, non qualemcumq; nuditatem iustitiæ originalis denotare culpam originis, sed nuditatem solum iustitiæ debitæ inesse, quare cum Christus iustitiam originalem in Adamo non receperit, neque in Adamo amisit; nemo enim amittit quod non recepit, nō recepit autē illam Christus in Adā, quia nō erat futurus Adæ naturalis filius concipiendus de Spiritu sancto; Adā autem illam pro se, & filijs naturali modo gignendis ex semine. virili, & fœmina accepit à Deo.

Christus non continebatur in Adamo secundum rationem seminalē.

171 Ex his habes commune pronunciatum Scholasticorum, Christum non contineri in Adamo secundum rationem seminalem, sed secundum corpulentam substantiam, qui originem trahit à Virgine sumens sanguinem Virginis, quem aiunt corpulentam substantiam, quia ex eo fabrefactum est Christi corpusculum, non verò ex semine viri exciso carnem sumpsit: habes etiam nec potuisse habere tale peccatum ob eandem rationem, quia supposita lege peccati pro filijs naturali modo gignendis, simulque supposita veritate Conceptionis Christi de Spiritu sancto, implicat potuisse originali culpa fædari; quare concludendum Christum carnem peccati nec sumpsisse, nec stantibus lege, & modo originis sumere potuisse, quamuis absolutè potuerit Deus aliud decernere, vt diximus petentes an aliam naturam assumere quiuerit Verbum.

Satisfit obiectis

172 Ad locutiones Pauli, Augustini, & aliorum Patrum concedentium Christi carnem fuisse in similitudinem carnis peccati; occurre ijs firmati veritatem constituentem Christi carnem non peccati; sed in similitudinem peccati fuisse; eiusdem vtique naturæ cum nostra; sed non pari modo protractam, quia hæc modo productionis, ac propaginis naturali, illa de Spiritu sancto, ideo illa in similitudine, nostra in forma peccati.

DE PECCATO ACTVALI.

ARTICVLVS II.

AN CARO CHRISTI FVERIT caro peccati.

173 Hæc petitio satis impropria censebitur, nisi explicetur; cum enim actuale peccatum non ex carne, sed ex voluntate deficiente promanet, videbitur incongruè petitum, an caro Christi fuerit caro actualis peccati; At contra, cum de Christo homine loquamur, & homo mortali dumtaxat carne indutus actuali fiat peccato obnoxius, ad perquirendam à Verbo assumptæ carnis perfectionem (nomine carnis hominem intelligendo, quemadmodum & ipsum mysterium Incarnationis vocabulum paritur) libuit sub hac petitione actum, & potestatem peccandi in humanitate illa assumpta disceptando inquirere.

Petitionis titulus

174 Circa factum verò tam certò constitutum est, Christum Dominum, qui ad nostra peccata delenda carnem sumpserat, nullum habuisse peccatum; quam certò statuuntur cætera fidei nostræ principia, iuxta ipsiusmet Seruatoris, qui est summa veritas, testimonium Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato &c.* cuius innocentiam latè prosequuntur tres illæ Apostolorum columnæ Petrus in sua prima canonica cap. 2. *Qui peccatum non fecit*, Paulus

Ioannis 8

1. Petri 2.

lus Hæbreorum 4. *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*; & Ioannes Epistola 1. cap. 3. *Et scitis, quia ille apparuit, vt peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est*. Et Concilium Ephesi primò habitum in fidei confessione verba illa perpendens, *holocaustum, & oblationē noluisti, corpus autem aptasti mihi*; nedum sub impietatis nota decernit Christum Dominum nullo modo peccasse, sed & innocentiæ illius rationem hisce verbis quasi accommodat. *Cum nihil prorsus ille deliquerit, nec vllum fecerit omnino peccatum, qua nam igitur oblatione egeret, nullo suo existente facinore?* Hæc ibi Concilium decernens Christum pro nobis oblatum, qui pro se offerri non indiguit. Mittimus alia Conciliorum loca, nulla necessitate coacti veritatem in scholis luce solis meridiana parentem vrgere pluribus Sanctorum, aut Conciliorum testimonijs.

[*Habr. 4. 1. Ioan. 3. Habr. primo.*]

[*Conc. 1. ephes.*]

175 De potestate peccandi litem præcipuam agimus, an videlicet Christus habuerit peccandi potestatem, ita vt aliqua potestate peccare potuerit, neque nos ordinata potestas vrget, quæ cum leges respiciat à Deo conditas, sitque constituto rerum ordini à Deo, conformis, planè inquit nec peccasse, nec peccare potuisse ordinata potestate Christum, qui propter hominum delenda peccata constituturus fuerat à Patre humani generis restaurator. Absoluta potestas negocium facessit, secundum quam petitio hæc, an Christus, vt homo peccare potuerit, grandem habet controuersiam.

176 Thomistæ S. Thomam imitati in 3. *sent. dist. 12. q. 2. & in 3. p. q. 15. art. 1.* impium omninò tentur asserere, Christum aliquo modo peccare potuisse. E conuerso alij probabile arbitrantur Christum absoluta Dei potestate peccare potuisse. Citatur à Thomistis in hanc sententiam Scotus, qui quæsitum hoc ex instituto prosequitur in 3. *sent. dist. 12. q. p.* ciusque decisionem præstiterat *in eodem 3. sent. d. 2. q. 1. in solutione vltimi argumenti*, &c. vtroque loco pariformiter de Christo, ac Beatis cæteris in ordine ad potestatem peccandi loqui visus est; de beatis vero *in 4 sent. dist. 49 q. 6. littera G*, ex professo loquitur petens, an Michael Beatus sit impeccabilis: singulis autem citatis in locis, & præcipuè *dist. 2* apertissime docet, naturā à Christo assumptā non fuisse formaliter absoluta Dei potentia impeccabilem, ita vt nulla Dei potentia posset dencere, immò suopte ingenio naturaliter fuisse de se possibilem peccare, quamuis impeccabilis dicatur ex caussis infra ferendis.

[*Opinio Thomistarum.*]

177 Scoti sententiam imitantur asseclæ præcipuè Bassolius *in 3 sent. dist. 12 q. vnica* Lichetus, Tataretus, alijque Interpretes ad loca Scoti adducta, & Faber *in 3 disp. 27.* Citatur pro hac sententia Durandus *dist. 12 q. 3.* & Gabriel *q. 1.* quamuis re vera hic recitatiuè dumtaxat locutus fuerit, & Marsilius, & alij apud Vasquez *disp. 61. cap. 2.* quamuis Suarez *tom. 1. 3. partis disp. 33. sect. 2.* eos in oppositam trahere conetur sententiam, quam ipsi tanta euentur certitudine, & constantia cum Thomistis, vt Scoticam opinionem varijs notis, & calumnijs plectant.

[*Scotistarum sententia, & Durandi, & Marsilij.*]

178 Vasquez sententiam asserentem, Christum per aliquam, licet absolutam, potentiam potuisse peccare magna vocat censura dignam. Suarez eam temerariam, nec sine aliqua impietatis nota defendendam. Turrianus *select. disp. centur 3. theol. dub. 45.* improbabilem, & parum consentaneam. Ioannes à Lugo *disp. 26.* à Capreolo verba mutuatus falsam, quia ex ea sequeretur, Deum ipsum peccare potuisse, atque adeo potuisse damnari, esse peiorem Diabolo, & alia huiusmodi, quæ qui concederet, non tam verbis, & rationibus, quam flammis esset coercendus; ità miseram Scoti sententiam prauè intellectam tanta libertate Recentes persequuntur, vt si per ipsos staret flammis coerceretur.

[*Recentes censurant Scoti placitum.*]

179 Ne tamen contumelias contumelijs, & maledictis maledicta iugulemus, sed rationibus, cum præcipuè totius Ecclesiæ sit opus, vel eius capitis Christi Vicarij de opinionum pietate, vel temeritate iudicare, & impias flammis ascribere, non autem vnius saltantis Capreoli, & Neotericorū describentium: Scoticam opinionem, vt veram, vtque nimium audacem aduersariorum censuram, vt ostendamus, præmouendum duximus primo, Dum petimus

an Chri-

an Christus potuerit peccare, petitionis nostræ sensum duplicem esse posse, alterum de veritate propositionis secundum se, an scilicet, hæc propositio vllo modo concedi queat, *Christus potuit peccare*; alterum vero de re, an scilicet, Christus potestatem habuerit ad peccandum: & ille quidem sensus logicus est; hic verò physicus; & propterea hoc loco potestatem duplicem spectare possumus, alteram logicam, alteram autem realem, vel physicam.

Quid logica, quid physica potestas. Et logica quidem potestas nihil præterea indicat, nisi non repugnantiam terminorum adinuicem, vt de hac potestate quæsiti titulus sit; an hi termini, Christus potuit peccare pugnent, atne cti ad inuicem nequeant cum veritate, ita, vt alter respectu alterius subiecti, & prædicati rationem induere non possit, neque possit alter de altero pronunciari.

Physica vero potentia virtutem realem dicit ad opus, vt sit sensus petitionis nostræ; An Christus virtutem habuerit secundum suam potestatem eliciendi actus dissonos Dei regulæ, hos enim actus dicimus peccaminosos, in quibus est dissonantia a diuinis regulis, & legibus, etenim inconcussa est Paulinæ assertionis veritas, peccatum non cognosci nisi per legem; non est autem difficultas de ipsis actibus pro materiali acceptis, ad hos enim ita liberè se habuit Christi hominis voluntas, sicuti aliæ hominum voluntates, alioquin, aut illa libero destituta fuisset arbitrio, aut alterius fuisset naturæ substantialiter à voluntate nostra, quorum vtrumque falsum est, sed de ijs, prout annexam habent deformitatem, seù à lege, & regulis diuinis dissonantiam.

Quæ diuersitas potestis logicæ, & physicæ. 180 Huiusmodi potestates ita certè se habent, vt toto Cęlo ab inuicem distent, siquidem vna in propositionibus collocatur, altera in rebus, quarum differentiam norint, qui realium scientiarum diuersitatem ab intentionalibus agnoscunt; logica tamen potestas rectius physicam in veritate, & falsitate sequitur, quam econuerso, si vera est logicorum propositio, quod ex eo quod res est, vel non est, vera, vel falsa dicitur propositio.

Logicæ regulæ. 181 Præmonemus secundo de alio termino tituli concertationis nostræ, qui est, *Christus*, Christum ipsum, ex quo dicit Verbi suppositum in duplici natura subsistens, diuina videlicet, & humana, posse dupliciter spectari, reduplicatiuè videlicet, & specificatiuè; reduplicatiuè si affirmatio prædicati dicatur de subiecto, quatenus est tale subiectum, & hoc modo, dum petimus, an Christus potuerit peccare reduplicatiua subiecti, de quo petimus, sensus est, an Christus, vt Christus, qui est secunda adorandissimæ Trinitatis persona diuina subsistens, & humanam sustinens naturam, actum aliquem peccaminosum elicere potuerit: specificatiuè autem, cum duplex in Christo natura permaneat impermixta, sensus est duplex, alter de diuina, alter de humana, & de diuina quidem sensus est, an Christus, vt Verbum peccare potuerit: de humana vero an Christus, vt homo, seù secundum humanitatem peccare potuerit; & hic extremus sensus adhuc duplex, alter specificatiua naturæ solum, alter verò naturæ, vt subsistentis in tali supposito, & huius sensus est; an Christus secundum humanitatem, quam sustinet, peccare potuerit; illius autem sensus est: an humanitas à Christo assumpta proprijs constituta partibus integrantibus, & essentialibus; & præcipuè ex animo, & corpore compacta libertatem ad peccandum habuerit. De sensu reduplicatiuo modo exposito non vtique laboramus hoc loco, sed neque de sensu specificatiuo priori modo, tam enim certum est Christum hisce modis peccare non potuisse, quam certum est, Deum non posse deficere inuariabilem, ac inuertibilem habentem voluntatem, de sensu autem specificatiuo secundo modo vtroque difficultatem agimus. *Secunda monitum*

Tertio monitum 182 Præmonentes tertio peccabilitatis vocabulū, quāuis terminatione passiua finitum, potentiam ad patiendum peccata sonet, hoc loco ex accommodata Scolasticorum locutione vsurpari pro potentia ad eliciendos actus peccaminosos, quibus annectitur deformitas, quæ vtique potentia voluntas libera est ad actus suos, consueuit verò hæc ipsa voluntas, siuè potestas diuidi in potentiam proximam, & remotam, vt *Quid sibi velit impeccabilitas.*

Quid potestas proxima, & remota ad peccandum.

potentia proxima ad peccandum sit ipsa voluntas per Adami peccatum deformata, quamuis enim naturalia post lapsum integra mansisse dicantur, iti tamen inficias nequit debiliorem esse voluntatis vim post peccatum, quæ proinde lacera, infirma, imbecilla consueuit appellari; ipsa, inquam, voluntas, vel sub actuali peccato, vel non sub gratia: an enim dari queat voluntas, quæ neque sit sub gratia, neque sub peccato actuali, dubium tollunt paruuli ante annos discretionis, in quibus est vtique voluntas in anima, sed sine peccato actuali ante annos expertos, & sine gratia antè baptismum. Potestas autem ad peccandum remota est ipsa voluntas coniuncta externo alicui principio suauiter, sed fortiter eam continenti, ne in actum peccaminosum proximè queat exire; talis est Beatorum voluntas informata gloria, quæ, qua voluntas est peccare posset, quā verò Beatorum voluntas est, peccare non potest coniuncta Deo per actum amoris, & fruitionis beatificæ.

Quid sit sensus compositus, quid diuisus.

183 Ex his facilè cognitionem hauries poteris sensus compositi, & diuisi; vt ad rem præsentem attinet, quia de vtroque abundè in primo sententiarum dicendum est; est enim ferè idem cum reduplicatiuo, ac specificatiuo. Quarè dùm hic petimus, an Christus peccare potuerit, petimus, an voluntatem flexibilem ad actus peccaminosos habuerit, & hæc est voluntas proxima, & petimus similiter, an saltem voluntatem habuerit, quæ suis spectata viribus peccare potuisset, nisi ab externa gloria fuisset inflexibiliter propinquè detenta, & hæc est voluntas remota; similiter de sensu composito, & diuiso petimus, an Christus, vt Christus peccare potuerit, & an Christus, vt homo, seù an Christi humanitas suoptè ingenio, præcisa vnione gloriæ, vel hypostasis, potuerit deficere, hic est sensus diuisus, ille compositus.

Corollarium primum.

184 Ex his planè educ duo potissimum expeti ad posse peccare. Primum est voluntatis finitas, & vertibilitas, etenim ex finitione voluntatis oritur, vt à superiori regula deficiat. Secundum est, vt potentia illa superiorem habeat regulam, ac legem, non enim, præceptore Paulo, peccatum agnoscimus nisi per legem. Harum conditionū defectu Deus peccare nequit, neq; proindè Christus, vt Verbum, cum nec finitam habeat voluntatem, neque obindè vertibilem, neq superiorem habeat regulam, sed ipsemet Deus sit suprema omnium regula, legum conditor.

Corollarium secundum.

185 Ex his etiam dilucide colliges, Scoticam opinionem nec temeritatis, nec impietatis arguendam, cū vere humana Christi voluntas finita fuerit, & diuinis subdita legibus, quæ voluntatē Dei faciebat semper, quo minor erat; quod si finita erat, & superiorem regulam agnoscens, plane ex interna sua natura dici nequit impeccabilis; nam quod, vel ex vnione in hypostasi, vel ex vnione ad gratiam, vel ex vnione ad gloriam impeccabilis dicatur, hoc vtique ab extrinseco euenire nec ipsi inficiarentur Aduersarij, qui nullo fundamento præfatas vniones ad internū voluntatis cōplementum spectare posse affirmabunt, cum & gratia, & gloria, & vnio in hypostasi sint singulæ voluntati extrinsecę.

Corollarium tertium.

186 Hinc patet, quam voluntarie Recentes, & præcipue Ioannes à Lugo *disp. 26. sect.* 3. nitantur ostendere vnionem in hypostasi habere internam repugnantiā physicam, & moralem cum peccato. Aio enim ego; si physicam, quonammodo moralem, & si moralem quonammodo internam? & si peccatum non est ens physicum, quonammodo repugnantiam physicam habet cum vnione? At (inquiunt) physicè pugnant, quia internè repugnant; moraliter, quia non sunt ex vtraque parte entia physica. Sed leuem euasionem sic eludo.

Contra Lugo.

Arguitur Lugo.

Internè repugnare est physicè repugnare per Aduersarios, ergo internè non repugnare, est moraliter repugnare, non enim repugnantia est penes entitatem, alioquin nulla physica repugnantia inter peccatum, & vnionem, dum peccatum non est ens physicum, sed penes internam rei essentiam, quare si physicè, nō moraliter, si moraliter, non physicè, quia si internè, nō externè, & cōtra, & pro fictio interna repugnātia voluntariè ponitur, dum vnio, quæ relationis limites nō excedit, nullam connexionem habet ad peccatum, sicuti neque ad gratiam, quatam

tam

tam liberè à Deo datur, quàm liberè fuit humanitas Verbo vnita.

187 Voluntariè (inquã) Recentes hanc repugnantiam inuehunt, siquidem, si nullam vnio connexionem habet necessariam cum voluntate internam, cum voluntas substantia sit, relatio autem sit actio, neque obinde internam habebit habitudinem ad libertatem voluntatis, quæ propterea suaptè natura spectata poterit deficere, vt pote finita, & superiorem regulam agnoscens.

Recentiorum instantia.

188 Sed Recentes instant, humanam Christi voluntatem ex vi vnionis hypostaticæ factam fuisse diuinam, seù transijsse in diuinam voluntatem, & ob inde non potuisse peccare. Verum assumptum hoc non rectè, me Iudice, cum Ecclesiæ sensu cohæret, confitentis Verbum inhumanatum nec commixtionem passum fuisse, nec diuisionem, ita enim canit in Antiphona octauæ Natiuitatis; quare humana Christi voluntas haud quaquam dicenda est facta fuisse Dei voluntas, quasi verò humanæ amitteret voluntatis entitatem, sed ita facta dicitur Dei voluntas, quatenus homo dicitur factus Deus, & ex idiomatum communicatione Deus homo: & rursum quatenus ita Diuino subiacebat imperio, vt in ipsam videretur Deitatem transfusa.

Tollitur.

189 Rursum instant Recentes teneri Deum respectu creatæ Christi humanitatis, & voluntatis peculiare quoddam exercere regimen, ac specialem rectitudinem elargiri. Sed ex hac instantia à cõgruentia ad necessitatem dilabuntur: Deus enim internè nulli est debitor, si ergo tenetur, ex pacto tenetur, sed pactum, ac sponsio nullam ex rei natura, & internam obligationem, & necessitatem inuoluit, sed externam duntaxat, quare & obligatio externa est. Demum si ex rei natura deberetur vnioni hypostaticæ impeccabilitas, certè cuicunque fieret vnio illi ex natura vnionis impeccabilitas accederet, & propterea si Deus sibi lapidem vniuisset, vt vnire potuit, futurus fuisset lapis ab interno impeccabilis, quod risum mouet.

Alia instantia.

Reijcitur

190 Assero igitur primo, voluntatem Christi humanam de ordinata Dei potestate peccare non potuisse, proindè hoc sensu fuisse impeccabilem; & secundum logicam veritatem propositionũ, creatam Christi voluntatem in sensu composito fuisse impeccabilem. Assertum hoc disertis verbis tradidit Scotus *in 3. dist. 12. & in 4. d. 49. citata* loquendo de Beatis, de quibus, ac de Christo in ordine ad Beatitatem, haud dispar ferendum est Iudicium, nam quanquam glória Animæ Christi cuiuscunque voluntaria creatæ beatitatem excedat; nihilo tamen minus, quoad effecta eodem modo philosophandum est, immò à fortiori fortius, quoniam si voluntas Michaelis, exempli gratia, cum minori beatitudinis gradu hac ordinata potestate peccare nequit, multo magis voluntas Animæ Christi maiori fulcita gloria à primo suæ conceptionis instanti peccare nequibit.

Assertũ primum duplici parte cõflatum.

191 Hoc idem assertum ea Patrũ confirmant testimonia, quæ ad explodendam Scoti sententiam coaceruare nisi sunt Recentes existimantes Patrum illorum sensum esse, spectando etiam absolutam Dei potestatem, creatam Christi voluntatem impeccabilem fuisse. E Patribus hanc impeccabilitatem induxit Athanasius *serm. 2. contra Apollinarem* asserens, voluntatem Christi per assumptionem factam fuisse impeccabilem: Nazianzenus *oratione 36.* Ita (inquiens) *humana Christi voluntas per vnionem deificata fuit, vt non posset diuinæ repugnare*: Chrisostomus *in cap. 7. Isaye*, *Qui aliorum* (inquiens) *tollit peccata, vtique immunis est ab omni peccato, nec peccare potest*: Anselmus *libro primo cur Deus homo cap. 10.* *Primus Adam peccare potuit, quia purus homo. secundus Adam peccare non potuit, quia Deus.*

Probatur ex PP.

Athanasio.

Nazianzeno.

Chrisost.

Anselmo.

Has, & consimiles plures Sanctorum Patrum auctoritates inuehunt Recentes cum Suarezio *disp. 34. sect. 2.* ad eludẽdam peccabilitatem ab Anima Christi etiam absolutam Dei potestatem spectando.

192 Sed, vt vides, auctoritates adductæ ordinatæ à Deo potestatis limites non excedunt, quippe quæ de facto loquuntur, non de possibili, hoc est, Incarnationem iã factã respiciunt, non autẽ faciendam, dũ autẽ facũ ipsũ expẽdimus, ordinatã solũ potestatem includimus, vel excludimus, dum quid fieri posse, vel nõ posse in eo secundum communes leges effamur.

Ha-

193 Habes etiam ex his rationem, cur Christi voluntas creata potestate ordinaria peccare non potuit, quia scilicet assumpta, & vnita Verbo; quod sic verum esse puta, non quasi vero vnio ipsa in hypostasi repugnantiam aliquam ad peccatum internam habuerit, sed quia fuit in causa, vt illi Animę sic vnitę summa daretur gratia, summa gloria, quæ de ordinata potestate cum peccato cohærere nequit; est ergo ipsa vnio non ratio formalis impeccabilitatis, sed ratio quasi causalis beatitudinis, quæ peccabilitatem de Dei ordinata potestate secludit, & impeccabilitatem inducit.

194 Hinc etiam percipies quomodo in sensu composito Anima Christi, seù voluntas Animæ Christi Impeccabilis sit, quia videlicet, implicat has duas propositiones esse simul veras, *voluntas Animæ Christi est beata*, & *voluntas animæ Christi peccat*; hic enim est sensus compositus, compositio actus cum actu, vnde sicut in sensu composito beatus damnari non potest, quia esset sensus, quod beatus esset damnatus, ita in eodem sensu voluntas Animæ Christi peccare non potest, quia beata, & hoc est quod innuit Scotus *dist.49.4.sent.q.6.littera G*, beatus est impeccabilis in sensu compositionis, hoc est, non potest simul esse beatus, & peccare; quare isti duo termini incompossibiles, *peccare*, & *beatus*, impossibilitatem declarant in sensu composito, idest actus compositionem cum actu impossibilem. Hoc idem assertum niteret pluribus persuadere, si quam haberet difficultatem, sed nobiscum in eo sentiunt Aduersarij, qui totam litem de Dei absoluta potestate agunt.

Assertio secunda de potentia absoluta.

195 Assero secundo, voluntatem Animæ Christi non fuisse ita ab interno impeccabilem, vt nulla etiam Dei potestate peccare potuisset. Hanc non tam tradit, quam probat Scotus in *3.dist.12.q.1.littera B*, his verbis *ad secundum dico quod natura, quam assumpsit, erat de se possibilis peccare, quia non erat beata ex vi vnionis, & habuit liberum arbitrium, & ita vertibile ad vtrumlibet*. Hæc ibi. Assertionem præsentem Nostrates Scotistæ multis probare conantur, vt videre est apud Bassolium *dist.12.* & Fabrum *dist.17.3.sent.cap.2.* singuli tamen, vel contra aliorum fundamenta, vel ad hominem arguere videntur. Eius mihi fundamentalis ratio ea esse videtur, quam in obseruationibus tetigi, quia nimirum voluntas Animæ Christi non fuit alterius naturæ à voluntate Animæ nostræ, sed voluntas Animæ nostræ, vtpote libero prædita arbitrio vertibilis est ad opposita ex interna sui natura, ergo pariter voluntas Animæ Christi secundum suam rationem spectata. Maior est Beati Augustini *serm.8.de verbis Domini*, cuius verba in vestibulo *capitis huius 4.* recensui; minor tam vera est, vt qui probationem illius exigeret in lumine cæcutiret; actus enim liberi à voluntate manantes principij libertatem ostendunt; proinde cum eiusdem fuerit naturæ voluntas Animæ Christi, non video, cur illa suopte ingenio non fuisset libera, & ad opposita vertibilis. Deus bone, quantum laboris, ac negotij Recentibus leuiusculum hoc dilemma facessit. Videatur Ioannes à Lugo *disp.26. per duas sectiones*, nimirum 9. & 10. prolixo sermone aliorum, etiam ex propria societate, & familia, scilicet, Vasquezij, Suarez j, Valentiæ, Salas, Velasquez, & cæterorum responsa corrigens, qui tandem *numero* 137. eo deuenit, vt loquens de potentia Animæ Christi ad operationem minus perfectam dicat, habuisse Christum potentiam physicam ad oppositum, vt in ipso manere dicatur libertas ad meritum, quæ potentia stat cum certitudine actus contrarij, & intelligitur esse ea, quæ ratione difficultatis nusquam reduceretur ad actum.

Scotistarum probatio leuis.

Probatio propria.

Augustini verba.

Responsio Recentis.

196 Nolo hoc loco immorari nouam inducendo disputationem de libertate voluntatis ad actus oppositos, stante decreto, ne tractationem de efficacia diuini Auxilij veterem cogar inire, ideirco supersedeo de singulis, quæ à Recentibus ipsis in huius rei gratiam inducuntur, & moneo Ioannem à Lugo etiam inuitum in nostram decidisse sententiam, dum Christum bonum opus elicientem concedit habuisse potestatem physicam ad oppositum, quare per ipsum potestatem habuit physicam ad peccandum, quam nos induximus, quæ ex impedimentis externis nusquam ad actum reduci potuisset: quod nam

Lugo nolens Scotizat.

enim

enim est oppositum meriti, nisi demeritum? & rursum; si ad actus bonos habuit exercitium actus, physica remanente potentia ad oppositos, planè actus oppositi bonis mali sunt: quarè ex libertate, quam in voluntate animæ Christi popolcit, etiam nolens nobiscum conuenit.

Nec nisi ore tenus discrepat Suarez.

197 Argumenta quoquè à Suarezio conflata ad improbandam peccabilitatem in Christi anima eo tendunt omnia; vt peccaminosos actus, & propinquam peccandi potestatem ab illa euellant; vt apud ipsum videre poteris; ergo & ipse à nostra sententia non nisi oretenus distat confundens vtramque potestatem in anima Christi, scilicet propinquam, & remotam, & vtramque in Deo, scilicet, absolutam, & ordinatam, vt sit illi nobiscum vocalis differentia.

Reuocatur s. Th. in hoc assertum.

Quinimmò ipse S. Thomas *in 3. sent. dist. 12. quæst. 2.* non aliam reddidit rationem, cur Christus, vt Viator peccare non potuit, nisi quia tantam habuit gratiæ plenitudinem, vt peccare non posset: ex cuius asserto quis non videt S. Thomam in sensu composito, & de ordinata Dei potestate fuisse loquutū? Immò maiorem impeccabilitatis rationem ex vnione glorifica Scotus innexit; quia habens gratiam potest à gratia excidere, & peccare, vt de facto experimur: at habentem gloriam non peccare, nec potentia propinqua, & de ordinata Dei potestate peccare posse, certò scimus: ergo vel nobiscum Sanctus Thomas sensit, vel minorem, quam Scotus, impeccabilitatis rationem innexit.

Rursus *in 3. parte quæst. 15. artic. 1.* rationem reddens, qua Christus dicitur non assumpsisse peccatum; non ait quia non potuit, sed quia non debuit, vt pro nobis satisfaceret: quo genere loquendi Sanctum Thomam de sola ordinata Dei potestate locutum, solamquè congruentiæ rationem spectasse lippus quisque videre posset. Est ergo S. Thomæ, & Scoti sententia eadem eatenus diuersa, quatenus Recentibus placuit Scoti potius, quam S. Thomæ opinionem censuris, & contumelijs afficere; cum nec ipsi à nobis dissideant Aduersarij, nisi in modo loquendi, vel penes diuersitatem fundamenti: etenim Scotus impeccabilitatem in voluntate animæ Christi ex vnione glorifica potissimum venatur, ipsi autē ex vnione in hypostasi, qui proindè audent asserere, si Christus humanam naturam peccatricem ante vnionem assumpsisset, futurum ex interna repugnantia fuisse, vt abiret in nihilum adueniente vnione peccatum; similiter si assumpiā naturam dimitteret, futurum, vt illa dimissa perpetim impeccabilis permaneret, scilicet, impeccabilitate ex vi præteritæ vnionis dimanante.

Aduersariorum pertinaciæ.

198 Re tamen vera ex pertinacia potius, quam ex ratione dissidere videntur; nam quid in hac petitione plus illi inuehunt, quam Scotus? Asserunt Recentes Christum esse impeccabilem; hoc asserit Scotus *dist. 12. q. 1. littera A*, docens per beatitudinem ablatam à Christo omnem potestatem, vel possibilitatem peccandi, & proinde omnem peccabilitatem, quæ potest auferri per beatitudinem, docuit ergo euidenter Christum fuisse impeccabilem. Asserunt Recentes ex vi vnionis Christum non potuisse peccare. Ait Scotus *in 3. d. 2. littera H, q. etiam 2.* Deum non posse non dare illi naturæ vnitæ de potentia ordinata summam charitatem, & summam fruitionem, quæ excludit peccatum, & propterea dici Christum impeccabilem quidem ex vi vnionis, non tamen formaliter, sed virtualiter dispositiuè, dispositione remota, licet ex parte Dei necessario.

Sententia Scoti apertissima.

199 Vno Verbo, hæc est doctrina Scoti; Christum vere fuisse impeccabilem: ex vi vnionis dici posse impeccabilē, sed remote: Christum proximè dici impeccabilem ex vi gloriæ, & gratiæ summæ, quæ cum peccato neque cohærent, neque de ordinata potestate cohærere possunt. Vbi ergo tanta Recentiorum diuersitas, tanta diffidentia? solum, me iudice, quod ipsi ex interna vnionis hypostaticæ natura impeccabilitatem dimanare putarunt, quod nos ita eludimus. Si ex interna vnionis natura penderet impeccabilitas, sequeretur planè forè impeccabile quodcunque sibi vniret Verbum, & obinde, si vel lapidē, vel Asinum assumpsisset, Asinum, & lapidem futurum fuisse impeccabilem, quod falsum esse concesserit, qui neque peccabilitatis, neque impeccabilitatis capaces esse Asinum, & lapidem cognouerit,

Arguuntur Recentes primo.

uerit,

uerit, & conſecutio arguitionis enidena eſt, quoniam quod ex interna alicuius natuta promanat, nuſquam variatur, vbicunque illud idem ponatur, alioquin loci mutatio, aut accidens aliud ſubſtantiam mutaret, quod phyloſophia rideret: exindè ſi impeccabilitas neceſſario vnionem internè ſequitur, cuicunque competet vnio, competet impeccabilitas: & hæc arguitio maximè Suarezium vrget nobiſcum concedentem *diſp. 14. ſect.* 2. naturam ratione carentem potuiſſe à Verbo aſſumi.

Argumentur ſecundo.

200 Præterea (confitebor ego tarditatem meam) percipere nequeo, quo nam pacto relatio dependentiæ humanæ naturæ ad Verbum ex interna natura impeccabilitatem expoſcat; edoctus à logicis, relationes internè aduenientes fundamento ac termino poſitis ſuapte natura conſurgere, externè vero accedentes expoſcere agens appropinquans exploſis ijs, quæ eſſe poſſent impedimento; at quid nam impedimenti eſt peccabilitas ad aſſumptionem? At (inquiunt Aduerſarij) impedimento ſunt ea, quæ ex hac poſitione ſequuntur incommoda. Occurram impedimenta tollendo in fine articuli.

Confirmatio.

201 Et confirmatur petendo, à quo tollitur peccabilitas in voluntate Animæ Chriſti, à Deo ne vnionem faciente, an vero ab vnione ipſa? certè ab vnione tolli non poſſe probo, quia non effectiuè, cum vnio ſit ſimplex relatio, quæ nō poteſt agere, non formaliter, quia vnio, & peccabilitas non ſunt oppoſita formaliter; non contrariè, quia non ſe habent vt album, & vt nigrum, vt patet; non priuatiuè, quia vnum non ſe habet vt habitus, & alterum vt priuatio; quamuis enim peccatum ſit priuatio, non tamen vnio eſt habitus: quarè nullo modo. *Si ab agente Deo*; atqui (addam ego) Deus ad extra eſt agens liberum; ergo liberè tollit; ergo poteſt nō tollere; & ſi non poteſt tollere, hoc non ex interna repugnantia, ſed ex diuina ordinatione factum puta, quæ nullis ſubiecta legibus iuxta leges tamen à diuina ſapientia conditas operatur.

Suarezij aſſeclæ corriguntur.

202 Audio Suarezium, & cum eo Bonacinam, & alios Suarezij deſcriptores potiùs, quam aſſeclas dicentes ex directione diuina ablatam à voluntate animæ Chriſti peccabilitatem; quatenus diuina voluntas ita humanam Chriſti voluntatem dirigebat, vt peccare non poſſet.

Audiat me Suarez, ex ipſa eiuſdē ſententia deduci impeccabilitatem non ex interna vnionis natura pendere, ſed ab extrinſeco, ſcilicet, à diuina directione, quam eſſe vnioni extrinſecam confiteri tenebitur; immò cum hæc directio ſit opus ad extra à Deo manans, liberè vtique à Deo manat, & obinde poteſt abſolutè non emanare, quare neceſſitas impeccabilitatis intrinſecè ab vnione dimanans ſimpliciter voluntaria eſt.

Arguitio ſecunda ad aſſertum.

203 Conſtituamus itaque ex dictis ſecundum argumentum in ordine ad probationem aſſerti hunc in modum. Si quid eſſet cauſæ, quominus creata Chriſti voluntas ex interna ſua natura peccare poſſet, hoc planè eſſet vel vnio ad Verbum, vel vnio ad gratiam, vel vnio ad gloriā; ſed quodcunque horum ſtatuas, quid extrinſecum voluntati conſtitues; ergo nihil ſimpliciter ab interno eſt cauſa, qua voluntas illa peccare nequiuerit. Maiorem probo, tum quia regulariter illæ ſtatuuntur cauſæ impeccabilitatis in voluntate Animæ Chriſti; tum etiam, quia vnde aliunde impeccabilitas hauriatur non vides: niſi dicere mauis, ex Deo ſic volente hauriri, quod dictum etiam externam cauſam inducit; ſiquidem in interna voluntatis natura nihil præterea, niſi ſimplicitatem, & libertatem aucupamur. Probo minorem, quia vnio accidit voluntati, nō eſt enim hæc vnio eſſentialis, niſi modo prædeclarato loco ſuo, cum ſit relatio, & proinde accidens, non ſubſtantia; gratia etiā, & gloria qualitates ſunt, & accidentia, quæ perficiunt vtique, ſed Animi naturam non deſtruunt, deſtrueretur autem voluntatis eſſentia, ſi in actu primo libera non eſſet, quamuis alijs præpedita cauſis quo ad actum ſecundum quaſi neceſſario agat, ſed quo ad actum primum liberam eſſe nemo negaret, niſi qui voluntatem negaret. Vt quid ergo conuicia, & maledicta contra hanc ſententiam profundunt Recentes; cum potius ipſi ex oppoſito conuicijs ſint laceſſendi, quippe qui impeccabilitatem in illa voluntate ex interno aucupantes, voluntatis ipſius naturam, & eſſentiam cum liber-

libertate destruunt, quæ finita, & superiori regulæ subiecta variabilis est ab intrinseco, quanquam externis fulcita adiutorijs contrarium actum elicere nequit.

Tollitur obiectio.

204 Notantur hucusque dixi voluntatem Animæ Christi non fuisse ab interno impeccabilem, vt specificatiuè rutius loquerer, absque eo quod dicerem, Christum non fuisse ab interno impeccabilem. Quod si dicas hanc videri fugam difficultatis inanem, etenim cum actiones sint suppositi propriæ, dum dicitur Christi voluntas potuisse peccare, dici potuit Christus potuisse peccare, qui est suppositum, à quo illa voluntas pendet, & sic concedendas esse propositiones illas, Verbum potest peccare, Verbum potest damnari, & consimiles, quæ tantum faciunt Aduersarijs stomachum.

Exponitur de cantatissima propositio Actiones sunt suppositorū.

205 Vt hunc scrupulum è medio tollam breuiter hoc loco pensandum arbitror, quid sibi velit propositio illa celeberrima Philosophorum, quouè modo intelligatur, *Actiones sunt suppositorum*, quā è peripatetico fonte manasse *in 1. naturalis Theologiæ* constans est Philosophorum opinio. Enim verò Scotus noster *in 4. sent. dist. 12. q. 3. in solut. 2. argum. littera A. A.* simpliciter, & absolutè negat Aristotelem effati illius auctorem, sed aliundè originem duxisse: quidquid sit tamen de illius origine, si admittatur vt vera propositio illa, vel vt saltem in philosophorum gymnasijs recepta, dicendum est, illam vtique veram esse modo infra explicendo, veruntamen primo, & formaliter esse falsam, quia actiones sicuti primo, & immediatè à forma effluunt, ità primo, & immediatè formam denominant, vt principium, mox denominant compositum forma illa informatum, denique suppositum denominant, & hoc solummodo, quia, neque forma in hisce caducis est vlla sine composito, neque compositum est non hecciatum, & non suppositatū, vel personatum iuxta compositi exigentiam, & propterea vltimo loco, quasi ex accidenti denominatur suppositum, quatenus forma, quæ primo denominatur, nequit esse sine composito, neque compositum sine suppositatione.

206 Hoc supposito, ad rem reuertendo adhuc firmiter statuendum est, neque vnquam factum fuisse, vt Anima Christi peccaret, neque fieri potuisse in sensu composito, & potestate ordinaria, & propinqua, vt peccaret, propterea si quis me absolutè rogat, habuitne Christi voluntas peccandi potentiam: egregiam Scoti doctrinam præstolabor *ex 4. sent. dist. 49. citata littera* I. quamuis ex lineis in margine positis addita videatur fortasse ex alijs Scoti doctrinis cōgesta: cuiuscunque sit tamen illa doctrina notabilis est, negans habuisse Christi voluntatem potentiam peccandi, quia principium actus, quale est potentia constructum cum Gerundio denotare, ac designare videtur potentiam propinquam, quæ profectò nulla fuit in voluntate Christi summa gratia informata, & summa Dei visione prædita: quapropter, cum nec de facto peccauerit Christus, neque de potentia ordinaria, & propinqua peccare potuerit, frustra, me Iudice, inuehuntur sequelæ illæ à Recentibus, scilicet. ergo Verbum potuit peccare, ergo Verbum potuit dānari, quia si Christus peccauit, Verbum peccauit, & aliæ consimiles loquutiones à Suarezio inductæ, & elusæ. Quis enim Catholicorum temerè inferre audebit, Christum peccare, cum nec asserere liceat, habuisse Christi voluntatem propinquam peccandi potentiam? certè Recentiores in hisce illatis tam liberè pronunciant, quam si de facto diceremus, aut Christum peccasse, aut potuisse propinquè peccare, quorum vtrūque falsum esse iam diximus.

Christus non habuit potentiam peccandi.

207 Ex his infero, quod cum actiones sint tertio loco tantum denominatiuè suppositi, hoc loco nullum habent locum, quo non actiones, sed potestates de Christi Anima primo, mox de humanitate prædicamus; neque est eadem ratio de potestate, & actu, nisi in ijs, à quibus primo, & formaliter actus emanat, in quibus est immediatè potestas ad actum; atqui in proposito potestas hæc, quæ licet sit ab intrinseco est quasi remota, non in humanitate, aut in supposito, sed in voluntate immediatè statuitur, potestas autem propinqua nec in humanitate, nec in supposito conceditur,

208 Rideo igitur Recentium deductiones,

nes inducentes, sequi tunc Deum posse damnari, posse peccare, respondens, sequelas ipsas leues esse, ac falsas, quia sicuti non conceditur hæc propositio, *Voluntas humana Christi habuit potentiam peccandi*, quia potentia cum gerundio sumitur pro potentia propinqua; ità neque concedendæ essent propositiones illæ, *Christus potuit peccare: Verbum potuit peccare*. quia denominatio fit à potentia propinqua, & in ijs propositionibus eo modo formatis denotaretur suppositum illud Christi, & Verbi propinquam habuisse ad peccandum potentiam: quare, dum in asserto constituimus voluntatem animæ Christi non ità fuisse impeccabilem, vt per nullam potentiam peccare posset; non indè deducimus, non indè inferimus absolutè habuisse potestatem peccandi, sed potuisse cum addito peccare, si illam Deus in suis naturalibus reliquisset, neque illam summa gratia, & gloria fouisset actus oppositos absolutè vetando; immò, & potestatem propinquam è medio tollendo.

Recentiorum illata sine fundamento.

209 Statuo igitur, è calamo Scoti nusquam excidisse, Christum fuisse peccabilem, vel peccare potuisse, sed absolutè Christum fuisse impeccabilem, quoniam verba, seù nomina potestatem redolentia in sensu formali pro pôtia propinqua, non pro remota ex vsu accipiuntur, cum ergo Christus propinqua potentia impeccabilis fuerit, absolutè dicitur impeccabilis, & ex quo Anima illius sola potestate remota peccabilis dicitur, absolutè peccabilis fuisse negatur. Solum *in 3. sent. dist. 12. littera B*, Scotus voluntatem Animæ Christi vocauit de se possibilem peccare, quibus verbis duas particulas te velim obseruare, primam *de se*, secundam, *possibilem peccare*, non enim absolutè ait voluntatē Animę Christi possibilem peccare, sed de se, hoc est, quatenus in ipsa Anima erat, cum esset eiusdem naturæ cum nostra animus ille, & eiusdem speciei cum nostra illa humanitas; non ait, potentem peccare, quia propinqua potestate caruit, sed possibilem peccare, quia libero donata arbitrio, secundum se vertibilis fuisset, nisi gratia, & gloria dirigente inuertibilis facta fuisset, & impeccabilis.

Scotica sententia, quæ vera sit.

210 Hæc est germana Scoti sententia ex præcitatis locis excerpta, quam adeò veram iudico, vt qui oppositum sentiunt, nec rectè, nec philosophicè de potestate animi sentire iudicem: nunquam igitur cum Scoto sentiunt Io. Bassolius, Durand. & Gabr. qui sine distinctione hucusque decursa Christum peccare potuisse fatentur; contra quos exerant si habet, calami aculeos Recentes: cautè Scotus nusquā concessit Christum potuisse peccare, immò *in calce dist. 12.* concludit apertè, quod Christus non potuit velle peccare, quia, sicut non potuit peccare, ita nec velle peccare.

Bassolius non Scotizat.

211 Constitueram aliorum rationes aduersus opinionem nostram duplici hactenus assertione costitutam eludendo proponere, at quoniam ex superiori doctrina facilè eneruantur omnes, præterquam quod hoc idem Fabri nostri labore *disp. 27.* completum est, actam rem non agam, solummodo ex doctrina Ioannis à Lugo non nihil enettam.

Expeditur assertu Ioannis à Lugo.

212 Pro sententia negante simpliciter & de potentia Dei absoluta, potestatem remotam in anima Christi ad peccandum, hoc vnicum, quod vario dilemmate vrget in medium protulit hic autor fundamentum.

Nequit id omnino per absolutam Dei potestatem fieri, quod fieri repugnat omnino: atqui voluntatem animæ Christi peccare repugnat omnino: ergo neque per absolutam Dei potestatem fieri potuit, vt quoquo modo peccaret. Maior generica omnium confessione firmatur repugnantia ex interna rei natura fieri à Deo ne vtiquam posse; porrò hæc repugnantia, quæ in minori adducitur, variè vrgetur à Recentibus.

213 Alij vrgent eam ex repugnantia carentiæ visionis Dei hoc modo. Animam Christi visione beatifica carere repugnat; ergo & peccare repugnat; quia visio beatifica omne excludit peccatum.

Variæ Recentiorū argutiæ.

Alij vrgent illam ex repugnantia venerationis peccati, hoc modo. Repugnat peccatum esse venerabile: ergo & Christum peccare; consecutio deducitur, quia omnes Christi actiones venerabiles sunt, ita qui mortem, ieiunium aliaque Christi acta veneratur, peccatum quoque venerari debuisset.

214 Alij hoc modo. Repugnat Deum peccare, ergo & Christum peccare; sequela

quela'est enidena, cum omnis Christi operatio sit diuina operatio.

215 Alij, & fere in idem recidunt. Si Christus peccaret, Deus peccaret, nedũ ob communicerionem Idiomatum, sed quia permirrens humenitetia sibi vnitæ peccatum, & ipse peccaret, hæc enim vnio obligar Verbum ad eximendam ab omni peccato oaturem essumpteam; quare, sicuti peccat maritua vxoris peccata permirrens, peccat parer peccata permittens filij, ita' peccaret Deus humanitatis peccata permittendo.

216 Alij repugnantiem hauriunt ex eo, quod Verbum secundum propriam entitatem esset odibile, quia cum peccati merito totus homo sit Deo odibilis, etiam illa humenitas, & suppositum humanitatẽ substentãs, humanitate peccante odibile fieret.

217 Alij denique cum ipsomet *Lugo* repugnantiam ex sanctificetione desumũt, quem à Verbo recipit humanitas, arbitratur enim *Ioannes* à Lugo formaliter humanitatem sanctificari per Deitatem, & personalitatem Verbi, & per consequens per sanctitatem infinitem, non quidem infinitè simpliciter (referam eius verba) quia non sanctificatur essentialiter, sed tantum infinitè secundum quid idest in genere sẽctitetis participatæ, quantum scilicer sanctificabile est obiectum, & per hanc sanctitatem summam censet etiem per absolutam Dei potestatem repugnare illi humanitati peccetum.

Occurritur Recentibus. 218 Vniuersum hoc Recentiorum fundamentorum, ex negata minoris propositionis repugnantia destruitur, quamuis enim in sensu composito, & potestate propinqua, vel ordinata Dei, implicet Christum posse peccere, probationes tamen internam repugnantiam inducentes leui lebore tolluntur ab ipsomet etiam Lugo ad acuendum potius ingenium, quam vt Scoticam propugnet sententiem.

Responsio Lugo prima 219 Prime probatio negligitur à Lugo, quasi circulum committẽs, & principiũ petens, nam petenti, cur repugnet Christum peccare, dicis, quia repugnat esse sine visione beetifica, & rursus petenti, cur repugnat esse sine visione beatifica, dicis, quia repugnat peccare, ecce circulum, inquit Lugo: sed hic vir ex crebro circulum inducit, vbi nullus est circulus, nam arguentes rogati, cur nequeat Christus peccare, respondent vtique, quia repugnat esse sine visione, at rogati, cur repugnat esse sine visione, non respondent, vt hic Auctor inducit, quia repugnat peccere, sed quia Deus non potest non coegere ad illem visionem in sensu composito, & de potentia ordinaria, & hoc modo ille probatio primum assertum nostrum magè struit, quem destruit. *Nihil fit.*

Responsio Lugo Secunda 220 Secundem repugnantiã ex veneratione pecceri infirmat Ioannes à Lugo, aiens debere rem, quam colimus, non continere aliquid repugnans venerationi, nam licet omnia passionis instrumenta veneremur, non temen veneramur manum illam, quæ dedit alapam Iesu, nec aliquis prudens venerebitur Asinũ, cui Christus insedit. Hæc responsio principium petere videtur; nam rogatus auctor, cur implicet veneratio peccato, respondet, quia continet repugnentia venererioni, sed hoc petimus, cur scilicet repugnantia contineat, cum omnes Christi actiones venerabiles sint: & exemple de manu alapam infligente, & de Asino seris inepte sunt, quia percussio alapæ non fuit Christi actio, neque Asinus in se fuit actio Christi, sed in eo fuit Christi sessio, qui per contactum colendus minimè est. *Refutatur.*

Certè si latriæ cultus Dominicæ passionis instrumentis, vtpotè reparationis nostræ medijs debetur, neque sessio super eum ad passionem attinet, neque proinde est recuperetionis nostræ medium, & instrumentum; & manus alapam infigens execrandande est, non veneranda, quippequæ actionem egit Deo odibilem, iuxta illud, *actio displicuit, passio grata fuit*: Manus ergo Christum crucifigentes, percutientes, vel quoquo modo torquentes odimus, quia passionem egerunt, & actiuem actionem odimus à maligno principio manentem, quamuis rem actam, & ipsam passionem veneremur, vt salutis humenæ remedium: qua autem ratione inanima passionis instrumenta colamus, quouè cultu proprio loco, Deo dante, dicetur. *Expenditur versiculus ille actio displicuit passio grata fuit*

Responsio authoris propria. 221 Illi ergo secundæ repugnantiæ, præterquam quod fectum potius, quam

possibilitatem inducere videtur, quod falsum esse ostendi: & si quis insurgeret, quod possibile posito in esse nullum sequitur impossibile, dicerem non esse simpliciter possibile, quod est remotè duntaxat, & non propinquè possibile: occurrerem illi inquem repugnantiæ, negando peccatum futurum fuisse actionem Christi, etenim peccatum non in actione formaliter, sed in defectu, ac actus deformitate constituitur, positiuum autem, siue substratum peccati (si omnes Christi actiones etiam humanæ venerationi dignæ sunt, quod fortasse difficultatem pateretur) non implicaret fortè venerari, vt ens à Christi voluntate emanans, &c. proinde entis saltem bonitate prædicum, & à principio venerabili ortum trahens, à quo reatus, & vitij formalites dissidet, alias Deus substratum peccati decernendo, & censendo dici posset velle, & causare peccatum, quod est falsum. Colligo igitur peccatum vt peccatum non esse actionem, neque proinde venerabile esse.

Responsio Lugo ad Tertiam repugnantiam. Flocci fit

122 Tertiæ Repugnantiæ Auctores principium petere sensit Io. à Lugo, quia scimus Deum non posse peccare; sed inquitimus, cur si per communicationem Idiomatum dicitur mori, non posset dici peccare? Sed hæc est potius rationis infirmitas, quam principij petitio, quod vtique peteretur, si non esset certius con sequenti antecedens; verum dilemmatis illius antecedens est, Deus peccare nequit, sequela verò est, ergò neque Christus, in quo, vt vides antecedens certius est consequente, quia Deum esse impeccabilem fides docet, Christum autem specificatiuè pro creata animæ Christi voluntate impeccabilem ab interno esse, fides non docet: ergo argumentatio principium non petit, sed imbecillia est; quia nec nos vnquam concessimus Christum absolutè posse peccare, sed voluntatem animæ Christi fuisse de se possibilem peccare: Cæterùm vtriusque dicti diuersitatem supra præstitimus.

Respondet auctor.

Responsio Lugo ad quartam repugnantiam.

123 Quartam repugnantiam pluribus argumentis reddere conatur inanem Ioannes à Lugo, & præcipuè, quia in Verbo ex triplici capite deficit illa obligatio: primo, quia non quælibet coniunctio obligationem regiminis inducit; sed illa solum, ratione cuius dependentia vnius ab alio oritur, quia omnis dependentia superioritatem fundat. Secundo, quia in humanis hoc fortè verum est, non autem in Diuinis, siquidem Deus noster, qui est supremus rerum Dominus tam absolutè dominatur, vt possit pro libito subditorum permittere ruinas. Tertio, quia non esset periculum consensus in Verbo, & vbi non est tale periculum non tenetur superior potestas cohibere inferiorem.

Responsio auctoris.

Ego verò cum Scoto dist. 2. q. 1. litera H. assentio Verbum obligari, siue Deum teneri ex pacto peccabilitatem proximam ab ille natura assumpta propellere, non ità quidem, quasi vero Deus sit alicui debitor, sed quia ordinata potestate naturæ illi summâ gratiam, & gloriam elegitur, non potest non cogere ad actus illos repellentes peccati, sed & hæc obligatio quid externum est, & in sensu composito viget solum, cæterum internam Animi potestatem non tollit, de qua in hac disceptatione quæsitum est, & ex hoc vim argumenti repugnantiam inducentis eludo, Correctiones tamen ex doctrina Lugo vanæ sunt, & prima retorquetur, nam si illa coniunctio, ratione cuius oritur alicuius dependentia ab alio, obligationem inducit, cur hæc coniunctio humanæ naturæ ad Verbum obligationem in Verbo non inducet, si ex ea alioquin oritur naturæ pendentis à Verbo sustinentie? Secunda deficit, quia non eodem modo sustinet Verbum naturam humanam, quo sustinet nos Deus, & principatur in nobis; etenim assumptam naturam hypostaticè sustinet, nos verò per conseruationem; nexus ergo ille intimior est, & aliquid supra nexum conseruationis inuoluit. Tertia leuis est, cum nō adsit obligatio in superiori propter periculum in inferiori, sed ex decreto libero Dei statuentis illi naturæ tantam gratiam, & gloriam, vt peccati possibilitatem excluderet.

Responsiones Lugo inanes.

124 Non equidem inficior, inania esse exempla ab Auctoribus quarte illius repugnantiæ adducta, cum neque mariti ad vxorem, neque parentum nexus ad filios nexum humanæ naturæ ad Verbum assimilare, vel penitus explicare queant, vt aliter ostendi; sed libuit hæc discrepando inferere, vt Ioannis Lugo te-

go responsa ludetem.

Respõdet Lugo ad quintam repugnãtiam.

225 Quintæ repugnantiæ inductores refelluntur à Lugo dicente rationem non conuincere; quia peccatum reddens Animam odibilem, non reddit odibiles partes illas hominis, quibus suoptè ingenio odium repugnat; in Christo igitur peccatum animam peccantem odibilem fecisset, non suppositum, cui repugnat odium.

Sed principium petit.

Sed hæc responsio principium petit; quia si per Aduersarium operationes omnes animæ dicuntur de supposito, cur non diceretur peccatum de Verbo? & si de Verbo diceretur, cur non odium, quod peccato debetur? verum enimuero, vt toties dixi, ità perpetuò de hac materia Recentes effantur, quasi, vel de facto humanitas illa peccarit, vel peccare propinquè potuerit; quæ omnia falsa esse longo sermone prosecutus sum in superioribus.

Responsio auctoris.

226 Aio igitur argumenti repugnãtiam nullum robur habere, supponendo casum propinque possibilem, & Christum posse dici potentem peccare, quod falsum est; quia creata Christi voluntas, quantum de se est, dicitur est possibilis peccare, non autem absolutè potens peccare, cui summa charitas, & summa fruitio omnem propinquam peccabilitatis potentiam è medio abstulit, vt in sensu composito, & de potentia Dei ordinata implicet illam posse peccare; quòd si propinquè potuisset peccare, tunc denominare potuisset, licet secundario compositum, & vltimo loco suppositum potens peccare; dixi secundario, quia primaria denominatio ab actu fit non à potestate, & si à potestate fit, non à remota, sed à proxima; quarè cum hæc potestas proxima non fuerit in Anima Christi, neque perindè potuit denominare Christum potentem peccare.

Occurritur argumētio Io. à Lugo.

227 Postremo ipsa Io. à Lugo argumentatio corruit id assumens, vt certum, quod erat illi probandum, fo ste nimirum humanitatem Christi ab vnione formaliter sanctificatam, quod sic improbo. Effectus formalis à causa formali dependet, sed vnio non est causa formalis sanctitatis, ergo sanctitas ab ea non pendet, vt à causa formali: minorem ostendo. Causa formalis, cum sit causa interna, vbicunque ponatur, effectum suum formalem causat, implicat quippe dari causam formalem sine suo effectu formali: at si Deus vniret sibi naturam ratione carentem, vtique vnio destitueretur effectu suo formali, nempè sanctificationis, cuius non esset capax natura illa ratione carens assumpta, absolutè igitur negandum est vnionem esse sanctitatis causam formalem.

Conuincitur falsitas I.

Secundo

228 Præterea: vnio relatio est è genere relationum externè accedentium, sanctitas verò qualitas, porro inauditum est monstrum in phylosophia, qualitates esse formales effectus relationum externè accedentium, quan quam enim relatio multoties ad qualitates anteponatur in ipsa præsertim compositi structura, in qua primo partes vniri necessum est, postmodum intelligitur totum ex vnione compactum, nihilo tamen minus certum est relationis formalem effectum esse referre, non sanctificare. Ex hac vniuersa *cap. 5.* decursa per duos articulos doctrina conclude, Christum Dominum neutro modo carnem sumpsisse peccati, cum neque originale, neque actuale peccatum sumpserit, immò neutrum modo explicato potuerit assumere. Postulandum superesset, an potuisset humana Christi natura peccare, si cũ propria personalitate fuisset assumpta, verum hæc postulatio alterius dubij nodum dissoluendum postulat, sit ne humana natura personata assumptibilis, quod postremo cap. perquiremus.

Conclusio capitis.

AN

AN CHRISTVS OMNES defectus, & humanas passiones assumpserit.

CAPVT VI.

229 Edisseruimus cum Augustino sub superioris capitis initio, Christi carnem non alterius fuisse naturæ à nostra, humanitatemque eius haud quaquam à nostra dissimilem; solummodo namque Manichæi, Valentiniani, cæterique huiusmodi farinę homines, qui vel phantasticum, vel cœleste Christo tribuebant corpus, diuersitatem nostræ ab humana Christi natura commenti sunt, contra quos extant Concilij Ephesini primi, & Calcedonensis Concilij decreta, vt sexcenta Patrum mittamus testimonia. Nunc verò, cum nostra natura ex duplici capite passiones, ac defectus patiatur; nimirùm ab anima, & corpore; constito in superioribus non fuisse à Christo assumptam peccati carnem; quia nec originale contraxit, neque actuale commisit; nec potuit originale contrahere, neque actuale committere peccatum; idem postulandum superest de cæteris animi, corporisque defectibus. Sunt autem potissimi corporis defectus ægritudines, seu morbi, deformitates tàm vultus, quam reliquarum corporis partium, fames, sitis, mors, & id genus alia: Animæ verò defectus sūt ira, dolor, tristitia, fomes, & pronitas ad peccandum, timor, admiratio, ignorantia, & his similes passiones aliæ. De singulis petendum, de quibus petitionem fusè prosequuntur S. Thomas 3. p. q. 14. & 15. per singulos articulos, & S. Bonauentura in 3. sent. dist. 15.

Concilium Ephesinum Calcedonense

Defectus corporis qui?

Quinam defectus animi?

S. Thomas S. Bonau.

230 Nullibi ex instituto de præfatis animæ, & corporis passionibus Scotus noster; loquitur tamen de quibusdam abūdè in 3. sent. dist. 14. 15. & 16, cuius sententiam explanabo statim, breui tamen methodo, vtpote in re penitus morali, supponendo primum, corporeos (vt ab ijs auspicemur) defectus in duplici discrimine esse constitutos; sunt enim illorum aliqui vniuersæ naturæ communes, aliqui verò singularium personarū dumtaxat proprii: Sunt autem communes generatim totius naturæ defectus mors, fames, sitis, & similes: sunt singularium personarum defectus proprij aduersæ valetudines, deformitates tùm vultus, tùm aliarum corporis partium, & huius generis alij; quos singularium hominum facilè confitebitur esse defectus proprios, qui nouit non omnes homines consimilibus ægritudinibus esse subiectos; non omnes esse deformes vultu, non omnes cæcutire, claudicare, surdescere, & consimiliter.

Scotus

Suppositū primum.

231 Supponendum secundo, defectus hosce omnes à primi parentis peccato ortum traxisse; quamuis enim fames, sitis, & mors naturam ipsam suapte natura consideratam etiam præsciudendo à lapsu Adami consequi videantur; ex quo natura humana ex contrarijs compacta ob contrariorum actionem suaptè ingenio tetendisset ad interitum; quia omne agens agendo patitur, & debilitatur, hinc in innocentiæ statu, quamquā non subsecutura erat de facto mors, si ille perstitisset, quia fuisset homo trāslatus; si tamen ex hypotesi translatus non fuisset ex contrariorum actione, & pugna interna absque dubitatione subsecuta fuisset mors, quamuis (inquam) hi defectus naturam ipsam consequantur suapte natura, nihilo tamen minus, vt diximus actualis ipsorū secutio ex lapsu Adamico dimanauit; nam nisi Adamus peccasset, iustitiæ originalis ope non adfuisset de facto interitus, licet potuisset adesse; & hoc sensu mortem scripturæ vocant peccati pœnam; quatenus scilicet, mors actualis è culpa pependit, possibilis autem ex ipsa contrariorum agitata natura.

Suppositū secundum

232 Supponendum tertio, cæteros corporeos defectus, vt puta aduersas valetudines, ac deformitates, quippequi non ipsam secundum se naturam insecuntur, certius à peccato Adami ortum duxisse mors enim, vt diximus adhuc Adamo non peccāti succedere poterat; mortuique fuissent homines, nisi fuissent translati, at nisi peccasset Adamus, ægritudines nullæ, nulla deformitas; quia hæc ex imperfectione seminum præcipuè oritur, illæ verò ex prauo cibo, & intemperie complexionum, vt hoc vulgato termi-

Suppositū tertium

termino vtamur, in statu autem innocentiæ aptissimus fuisset animantium cibus, aptissimum temperamentum corporis, & obinde aptissima ad generandum materies, quare ibi nullus morbus, nulla deformitas.

Resolutio quæsiti de defectibus corporis.

233 Hisce suppositis facilè est dignoscere quos corporis defectus Christus assumpserit, quos non assumpserit. Certum est enim primò defectus naturam humanam suapte natura consequentes fuisse assumptos, alioquin veram non assumpsisset Christus humanitatem, si consequentes eam passiones non assumpsisset; mors igitur, quæ licet nunc temporis dicatur pœna peccati, suapte natura etiam in statu naturæ innocentis sequi poterat ex contrarijs, à Christo assumpta fuit, hoc est, assumpta fuit caro mortalis, fuisset que obinde Christus, etiam si violenta manu hostium non decessisset, naturali morte mortuus, habuitque necessitatem eainde moriendi. Hanc assertionem prosequitur Scotus *in 3. dist. 16. q. 1.* nec dissidet S. Thomas *3. p. q. 14. art. 3.* quamuis Capreolus, & post ipsum Medina, ille *dist. 17.* hic vero *3. p. in comm. a. 1. 3.* velint Scotum asserere passibilitatem corpori Christi conuenisse per miraculum, non autem naturaliter; sed me iudice neuter Scotum legit, qui nedum patentissimè docet *littera A*, passibilitatem naturaliter in Christi corpore, sed *littera B*, causam etiam, & originem illius necessitatis moriendi prosequitur, aiens, quod Christi corpus stante non redundantia gloriæ in ipsum per detentionem in anima fuit animale, ideoque necessaria fuit in eo corruptio, & restauratio per sumptionem alimenti; potentia autem nutritiua in conuertendo alimentum in substantiam aliti debilitata fuisset ex illo generico effato phylosophorum, quod omne agens agendo patitur, & agendo repatiens debilitatur; hinc etsi esum ligni vitæ habuisset, debilitata adhuc ea virtus fuisset; quanto magis suppe sita extrinseci alimenti impuritate? Non ergo Scotus necessitatem moriendi naturalem in Christo expugnauit, sed propugnauit; quamuis hæc necessitas moriendi proxima dimanaret, supposito illo miraculo detentionis gloriæ intra animi limites, ne in corpus efflueret; si enim effluxisset in corpus, mortuus vtique non fuisset, quia beatitudinis donũ est incorruptibilitas, sed, vt video, hæc sunt extrinseca; ab interno igitur natura assumpta defectibilis naturaliter erat, quam assumpsit, Scotus igitur *loco citato* id ita sentit, quamquam contra Varronem, Henricum, & S. Bonauenturam arguat eorum paruipendo rationes, quæ etsi satis persuadebant internam in Christo moriendi necessitatem, nullam tamen miraculi illius detentionis gloriæ in anima, agebant memoriam, quod fuit potissima externa causa, vt non impediretur interna moriendi necessitas. Vide Scotum ibi.

Scotus
S. Thom.
Capreolus
Medina.

Mors fuit assumpta

234 Assumptæ etiam fuerunt fames, sitis, calor, & frigus, aliæque passiones similes, quæ & si à peccato originem ducunt, nõ tamẽ vt tendentes in peccatum, sed ad manifestandam humanæ naturæ veritatem, & ad complendum redemptionis opus assumi debuerunt. Thomistæ in hac assertione, vt dixi, conueniũt, sed distinctione vtuntur; nam aliud, inquiunt, est assumere, aliud contrahere, assumpsit vtique Christus hosce defectus mortem scilicet, famem, sitim, ac reliquos huiusmodi naturam absolutè consequentes, & non vt participatos ab indiuiduis, sed non contraxit, quia contrahere innuit effectum cum causa trahere, atque ita videretur Christus assumpsisse peccatum, quod horum defectuum causa extitit, dum defectus assumpsit; totaque hæc doctrina ex ipsomet Sancto Thoma haurītur *artic. 2. quæst. 14.*

Fames, & sitis assumpta fuerunt.

Thomistarum distinctio.

Mihi vero ex rigore vocis non videtur in hac re suspicandum; consentio quidem peccatum non fuisse contractũ, sed neque contrahi potuisse modo in superioribus exposito; rursumque consentio defectus hosce, ac passiones etsi à peccato manantes non vt tales à Christo assumptos, quia non necessariò pœnas assumpsit, vt debitæ sunt culpæ, quia culpam non assumpsit, sed vt eæ ad complementum nostræ reparationis, adque manifestandum Christum hominem cõducebant; contrahere autem ex rigore suo non mihi videtur significare assumptionem causæ, & effectus simul; cum enim sit verbum compositum à *con*, & *traho*, ad summum simul tractionem significabit ali-

Ab auctore reijcitur.

bis ali-

bit aliquorum plurium; siuè illa ad inuicem regulentur vt eff ∂a, & causæ, siue vt disparata; nam simul trahere potius ad trahentes, quam ad tracta refertur, vnde si Christus diceretur hasce passiones contraxisse, intelligeretur illas ad se simul traxisse simultate relata ad alios trahentes, puta homines, non ad tracta: si vero ad euitandam difficultatem passiuo sensu loquentes dicant non posse asseri à Christo contractos defectus, quia intelligitur simultas causæ. Adhuc instò, intellectum hunc fore voluntarium, quia dum aio famem, ac sitim contrahi simul, simultatem ad illa, non ad eorum causam refero, vt patet ex ipsa loquendi methodo, & energia. Est autem lis de voce, & grammaticis potius, quam Scolasticis. Porro passiones prædictas assumptas edocent scripturæ, famem quidem Matthæi 4. *Cum ieiunasset postea esuriit*, sitim Ioann. 4. *Mulier da mihi bibere*, & in ara Crucis exclamauit Ioann, 18. *Sitio*, idem puta de alijs.

Matt. 4. Ioan. 4. & 18.

235 Statuendum tamen ægritudines nullas, nullumque morbum à Christo assumptum. Hæc assertio educitur ex superiori doctrina; quoniã enim Christus defectus naturam in communi consequentes sãtũ assumpsit, cũ morbi, adueritæque valetudines non naturam secundum se spectatam, sed vt in talibus indiuiduis consequantur, consequenter fit, vt neutiquam fuerint à Christo assumptæ. Præterea morborum origo ex Medicis altera interna corporis, altera externa, internã voco prauum temperamentum compositi, externam autem multiplicem, aliã quidem alimenti impuritatem, & inordinationẽ, intemperiem aeris aliam; aliam denique cæli influentiam.

Morbos non fuisse assumptos probatur primo Probatur primo.

Probatur secundo.

At has omnes in Christo causas negligimus: nare & morbum quemcumque à Christo ablegamus. Suadetur minor de causa interna primum. Christi caro non ex ratione seminali per naturalem propagationem, sed ope Spiritus sancti ex purissimis Beatæ Virginis sanguinibus compacta est; fuit igitur optimi temperamenti, siquidem nec ex parte materiæ, quæ fuit purissimus sanguis, nec ex parte agentis, quod fuit tota Trinitas, & appropriate Spiritus sanctus defectus causam habere potuit; vnde igitur temperamentum in Christo malum? Suadetur minor de causis externis, etenim Christus, quem Deus omni donauerat scientia, & virtute iuxta illud Isaiæ *Requiescet super eum spiritus Domini*, nec infecta, malabas aeris regionem, nec sub cæli obstitu to influxu, nec cibo est tali vsus; nec vsquam adhibuisset cibum naturæ suæ obnoxium: vnde igitur externa ægritudinis origo, & causa?

236 Aies, ex ipsa natura, quam sumpsit, quæ quoniam defectibilis erat (vnde Christus, qui eam sumpsit nisi fuisset occisus, naturaliter fuisset mortuus) necessario sub ipso defectu languorẽ aliquem, ac morbum exposcit, quandoquidem nihil apud Medicæ artis peritos impossibilius, quam quod mors naturalis accidat absque febri, aut aliquo alio languore, sed ex sola senectute.

Obiectio.

Hac obiectione victus Gabriel Vasquez *super articulo 4. quæst. 14.3. par. S. Thomæ*, licet concedat de facto nullum à Christo morbum assumptum, necessitatem tamen incidendi in aliquam ægritudinem assumpsisse confessus est, At si Vasquez diuersitatẽ nostræ naturæ, & Christi meritus esset, non tant fortè Medicorum effata fecisset. Nos enim, qui filij peccati, filij mortis nati sumus, filij insciemtiæ non ita faciĺe ægritudines vitare possumus: quin ex aliqua saltem vel leui oriatur interitus, at in Christo secus, qui nulli peccato obnoxius, omnisciens facilè omnes morborum causas cauere potuisset; vnde igitur morbi necessitas?

Causa lapsus Vasquezij.

Tollitur.

237 Assero demum corporis deformitatem non fuisse à Christo assumptam. Hoc assertum, quod primo obtuitu difficultatem nullam habere videtur, siquidem cum deformitas pulchritudini opponatur; cum Christus pulcherrimus affectarut virorum, nullam ex inde deformitatem subijsse dicendus est; difficultate tamen vigetur non leui ob auctoritates Patrum, quorum aliqui deformitatem in Christo inuexerunt, alij licet nõ deformitatẽ, sed nec pulchritudinẽ in eo intulerunt; & in primis Christum deformem fuisse afferẽ asseruit Clemens Alexandrinus *lib 3. pedag. cap. 1.* itidem & Tertullianus multis in locis

Deformitatem Christus nullam assumpsit Opinio

Clementis Alex. & Tertulliani.

Cyrillus. Gregor.

locis; præcipue *contra Iudæos cap. vlt.* & *lib. de carne Christi contra Marcionem 2.* falsem Christi corpus pulchritudine non fuisse prædictum docuit Cyrillus *in capit. 53. Isaiæ.* Gregorius *in 1. cap. 1. lib. Reg.* & *alij.* Quibus si illud *psalmi 44.* opponas *speciosus forma præ filijs hominum*, occurrunt à psalte ibi non de corporali pulchritudine, sed de spirituali dumtaxat habitum fuisse sermonem: subscribunt in expositione illius loci Caietanus, Cassiodorus, Arnobius, & alij, quos longa recenset serie Lorinus.

Caietan. Cassiod. Arnobius Lorinus.

238 Huic tamen difficultati vniversæ in nostrum assensum interdicendus est aditus; si quidem pulcherrimum aspectu fuisse Christum super illum psalmi versiculum haud obscurè monuit Augustinus, Hieronymus *ad Principiam*, Chrisostomus *hom. 28. in Matth.* & alij Patres apud eundem Lorinum; posset que facile suaderi ex ipsa pulchritudinis finitione. Pulchritudo ex Platone *in sympofio* nihil est præterea, nisi gratia quædam gratum reddens habentē, ita vt sit illi propriū intuentiū ad se oculos, animūque licet inuitū allicere; sed talis erat Christi facies; quare illa pulcherrima censenda est.

Speciositas Christi ex Patribus Hierony. Chrysost. Epistola Lentuli

Patet minor ex Hieronymo respondenti Iuliano Apostatæ *in capit. 9. Matth.* qui ait in Christi oculis, ac vultu quiddam fuisse sidereum; quo illecti secuti sunt tum Apostoli. Patet ex Chrysostomo *loco supra citato*, docente affissa homines Christi videndi desiderio; quia erat aspectu gratiosissimus. Patet ex epistola Lentuli ad Senatum Romanum, quam consule apud Lactantium, & apud Cassanæum *4. part. Catalogi gloriæ mūdi consid. 6.* qua dicitur Christus speciosus præ filijs hominum, staturæ proceræ mediocris, & spectabilis; vnde patet decipi eos, quorum dicta memorat Medina *in expositione art. 4. q. 14. 3. p.* qui Christum paruæ effingunt figuræ, & staturæ; quoniam mensura Romæ habita breuis est: decipiuntur autem; si quidem illa nō breuis est, sed vel mediocris, vel supra mediocritatem elata, vt ego experientia vidi in Ecclesia S. Ioannis Lateranensi. Ex hoc vniuerso sermonis decursu posset iterum argui pro specie Christi ex pulchritudinis Aristotelica finitione; quæ ex Aristotelis dictis tum in *lib. de arte poetica* tū *4. ethicorum* elicitur; Pulchritudo est membrorum figurata proportio cum suauitate colorum; at huiusmodi affectam qualitate faciem habuit Christus; quare vere pulcherrimus dicetur. Suadatur minor ex præhabita Lentuli Epistola; qua rubore moderato venustatam Christi faciem asseritur; staturam moderatam, ac rectam; partes corporis, vt manus, & brachia, visu delectabiles; vnde eximiam in eo pulchritudinem ingeras necessum est.

Mensura Christi Romæ

Pulchritudo quid sit?

239 Adde rationem scolasticam. Eos tātum Christus defectus assumpsit, vti diximus, quibus & se hominem ostenderet; & nostræ restaurationis mysteriū impleret; sed ad hæc quid deformitas? illam ergo nullatenus assumpsit; sed è conuerso, cum expediret magis ad ostēsionem suæ potestatis forma, ac species; quæ à Porphirio *in sua Hisagoge* appellatur digna imperio; & ad redimendum homines, quos specie, ac sidereo vultu, vt arguebat Hieronymus, illexit so mā, ac speciem assumpsisse dicitur. Quotquot autē in oppositum feruntur Patres explicandi sunt de Christo in triduo, in quo non fuit species, neque decor, fuitque despectus, ac virorum nouissimus. Addi etiam potest multa excessiuè à Patribus dicta, vt grauitas Christi dolorū, & acerbitas passionis ostenderetur, nec species absolutè damnatur à Patribus, sed species cum mollitie, quam ablegamus à Christo. Hactenus de corporis defectibus.

Ratio Scolastica.

240 Nunc ad animi defectus discendamus; nam si vberiora de ijs, quæ corporis sunt propriæ passiones, postulas, consulendus est tibi Scotus *in 3. dist. 21. quæst. vnica*, vbi occasione satisfaciendi obiecto in principio quæstionis posito ex auctoritate Damasceni *lib. 3. cap. 19.* asseruentis Christum omnia assumpsisse, quæ sunt hominis præter peccatum, idest assumpsisse timorem, agoniam, esuriem, sitim, laborem, dolorem, lacrimas, corruptionem, mortem, & alias, in solutione argumentorum *littera E*, ait Christum assumpsisse eas passiones, quibus nobis meruit tantum; hinc non assumpsisse nisi passiones naturæ viuentis, quia mortua natura mereri non potest, vt extra vitæ terminum modo alibi explicato. Ex

De defectibus animi Scotus

Damasceni.

to, Ex qua Scoti doctrina facilie tibi ad dicenda, prosternitur via de passionibus animi, eiusque defectibus; nam ex quo per ignorantiam nobis mereri non potuit, neque per peccati fomitem, neutrum horum à Christo assumptum firmissimè asserendum est; secundum autem S. Bonauenturæ distinctionem addere possumus hæc non fuisse assumpta, quia ortum trahunt à peccato, & in peccatum tendunt; Christus verò etsi eas assumpsit penalitates, quæ oriuntur ex Adami peccato, nō tamē eas, quæ ad peccatum tendunt; neque hæc additio de mente S. Bonauenturæ aduersatur Scoto, quia hic ex fine, ille ex ortu penalitates accipiens in idem conueniunt, cum penalitatibus ad peccatum tendentibus nequaquam Christus meruerit nobis.

Nec ignorantiam, nec fomitem Christus assumpsit.

241 Solum hæc duo propositam doctrinam dubiola conturbant. Primum de ignorantia; nam Christus non sciuit omnia ab instanti suæ conceptionis, quod clare indicat testimonium Lucæ 2. *puer autem proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines, &c.* antequam igitur proficeret, ea, ad quæ habuit profectum, ignorauit; pro aliquo igitur tempore ignorantiam in Christo vitare nequimus. Secundum dubium est de fomite, quandoquidem vbi pugna est inter carnē, & spiritum, ibi fomes intercedat necessum est, at in Christo pugna hæc interior negari non potest, quare nec fomes: Maior, seu assumptum patet, cum nihil vltra fomes indicet, nisi rebellionem carnis ad spiritum, ad quem quasi perduellem se ob peccatum gerit caro; probatur minor ex renitentia humanitatis Christi ad ad mortem; vnde in horto gersemanii, *factus in agonia* (inquit Lucas *cap.* 22.) *prolixius orabat. Pater, si vis trāsfer calicem &c.* quid est autem *Agon* vocabulum græcum, nisi certamen? & planè constat nullo alio conflictatum ibi certamine Christum, nisi carnis, & spiritus, huius passionem recipientis, illius renuentis; quod maximum est fomitis assumpti indicium.

Dubitationes duæ contra superiorem doctrinam.

242 His tamen obuiam ito dicēs, obiectū primum spectare ad tractationē de scientia animæ Christi; vt verò loci præsentis angustia patitur, diluendum; animā Christi beata scientia vidisse omnia in Verbo, nec propterea quidquam ignorasse; similiter sciētia infusa per species rerum potuisse quidditates omnes agnoscere cognitione abstractiua; cognitione autem intuitiua, quæ est rei præsentis vel in se, vel in memoria non nouit omnia singularia ab initio; sed profecit experimentaliter; sicut etiam nos proficimus; licet eo perfectius; quo perfectioribus præditus fuit Christi intellectus donis: neque obinde Christus ignorantiam sumpsisse dici potest: cum alia scientia omnia nouerit, scilicet omnia in Verbo per scientiam beatam, omnes rerum quidditates per species infusas. Neque implicat asserere, non cognouisse omnia experimentaliter, ac intuitiue ab initio suæ Conceptionis, quoniam humano modo per sensus, & organa operabatur etiam in actibus à sensu quoquo modo pendentibus Christus; hinc non statim oriens locutus est, nec ambulauit, aut comedit; sed successiuè, vt hominē se gereret, ita nec singularia intuitiuè nouit, nisi statuta ad cognoscendum ætate, cum præcipuè singularia intuitiuè cognosci nequeant, nisi vt existentia modo prædicto, non autem poterant omnia simul singularia esse humanæ huic Christi notitiæ præsentia.

Tollitur prima obiectio.

Doctrina de varia Christi scientia.

243 Insurges fortasse, adhuc ignorantiam nondum bene à Christi intellectu alusam; siquidem grandiori ætate admirationem in eo agnoscimus, vt patet Matth. 8. dum Centurionis factum perpenditur, & vera in Christo admiratio statuitur, dum dicitur *Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit, non inueni tantam fidem in Israel.* Oritur autem potissimum ex ignoratione rerum admiratio; vnde propter ignorari cœperunt admirari: propter admirari cœperunt philosophari; Philosophi ex Aristotele in supernaturalibus, & Cicero 2. *de diuinat. Causarum*, inquit, *ignoratio in re noua admirationem facit*, & generatim admirationem ab ignoratione descendere tradidit Donatus.

Obiectū de admiratione.

244 Varè huic petitioni Scholastici, & Patres occurrant, quandoquidem sunt, qui velint non verè fuisse vnquam Christum admiratum, sed de Centurionis fide sibi cognita habuisse

Variè enervatur

se ad instar, & modum admirantis ; ita Nicolaus de Lyra in expositione illius loci, & secutus est eum Abulensis in expositione certaminis Iacobi, & Angeli Gen. 32. æstimans ibi Angelum habuisse se ad modum victi, non verè à Iacobo superatum. Solutio tamen hæc nouæ dubitationis iaculum patitur; an Christus fictioni subdictus fuerit; si fuisset enim nisi verè admirans habuisset se ad instar admirantis.

Responsio Lyrani, & Tostati.

245 Alij censent non fuisse vtique propria Christum admiratione miratum, sed dispensatione, ita, scilicet, dispensante Deo; ita Petrus Lorca disp. 61. num. 34. at hic etiam absque necessitate miracula multiplicas, ad quid enim hæc dispensatio in Christo, nisi illi admiratio nata apta erat conuenire?

Responsio Lorcæ.

Patres plerique cum Augustino super Genesi contra Manichæos, Chrisostomo in expositione cap. 8. Matthæi, Beda, Ajmone, & alijs miratum aiunt Christum, vt plebi, & nobis daret admirationis exemplum. At nos non finem admirationis, sed possibilitatem eius in Christo inuestigamus.

Responsio Patrum.

246 Suarez duplicem patitur admirationem, alteram quæ ex ignoratione causæ oritur, alteram, quæ ex euentu rei nouæ, ac singularis; postremam in Christo annuit, priorem renuit. Sed videtur obuia hæc distinctio ite cõtextui euangelico, quo directè de ignoratione causæ disseritur, dum dicitur. *Non inueni tantam fidem in Israel;* Quare ex ignorata Centurionis fide ortum videtur habuisse admiratio.

Responsio Suarez.

Addit Vasquez, admirationem veram expetere etiam, vt quod sit excedat admirantis vires: sed reprehenditur, & merito ab alijs, quia acta Centurionis non excedebant vires eius, quare multo minus Christi, qui admirabatur; licet in Christo verè fidem non admittamus.

Et Vasquez.

247 Ego non arbitror à communi expositione recedendum, qua sicuti cognitionem intuitiuam, & experimentalem, eiusque in Christo incrementum patimur, ita & admirationem, quæ licet suopte ingenio oriatur ex ignorantia, in Christo tamen simpliciter id negamus, in quo licet carentia notitiæ alicuius singularis intuitiuè actualia pro aliquo tempore concedamus, ignorantiam tamen absolutè renuimus, quia alia scientia omnia nouerat, vt diximus: possetque addi, ignorantiam bifariam spectari, vel vt dicit negationem scientiæ, vel vt priuationem, alterum enim satis est ab altero diuersum; hinc catulos ante nouem dies non videntes dicimus, cæcos non dicimus, quia est ibi negatio, nõ priuatio lucis; priuatio autem vltra negationem connotat subiectum aptum natum, tunc ad rem nostram, priuatio scientiæ experimentalis in Christo non conceditur, quia suo tempore eam habuit, negatio conceditur eo tempore, quo nondum eam sibi compatauerat, cæterum ignoratio pro priuatione defectum indicat, pro negatione non item, hinc respectu huius admirationem in Christo concedimus. Pertinet disceptatio vniuersa ad scientiam animæ Christi, proinde hoc loco prædicta tetigisse satis.

Responsio Authoris.

Christus negationem alicuius notitiæ habuit, priuationem non habuit.

248 Petitio alia de pugna interna inter carnem, & spiritum augetur ex illo euangelistarum. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, quo facilè deduces pugnasse Christi carnem contra spiritum, sed & hæc elucidabitur in sequenti disputatione, qua libertatem in Christi actibus postulantes, sciscitabimur etiã, numquid humana Christi voluntas perpetim fuerit diuinæ consona, interim ad profligandam à Christo assumptionem fomitis, missis aliorum responsionibus sit satis asserere, quod nulla in Christi carne ad spiritum rebellio, conflictatio nulla, siquidem cum fomes sit originarij peccati præcipuus effectus, causa desiderata naturaliter in Christo, effectum quoque naturaliter desiderari necessum est, inde ægregie aiebat Leo Papa *Epistola vndecima, Nihil* (loquitur autem de Christo) *carnis suæ habebat aduersum, nec discordia desideriorum gignebãt repugnantiam voluntatum*, & exinde docuerunt Patres passim Christum nullam internam passum fuisse tentationem; nam quam præstitit in deserto, templo, ac monte Diabolus: hanc omnem externam tentationem vocat Greg. Magnus *homil. 16. in Euangelia; qua habetur Dominica prima quadragesima*. Qua-

Fomes à Christo ablegatur.

re non verè certamen, ac pugna censenda est intercessisse inter carnem, ac spiritum in horto; sed affectum naturalem humanitatis Christi ad vitandam mortem, non equidem efficacem, sed inefficacem, quam ob causam nec humana Christi voluntas diuinæ aduersata est; nec voluntas vt natura fuit voluntati vt liberæ contraria, quia non efficaciter, neque pugnando transitionem calicis orauit; nolebat enim secundum quid, quod volebat simpliciter: porro secũdum hanc apparentem, non veram contrarietatem agonem, & agoniam ibi quis pati posset in horto, non absolutè, & simpliciter; fortasse tamen agonia à Luca nõ pro certamine, sed pro angore, ac mœstitia Christi sumpta est, quæ tanta profectò fuit; vt in eam quasi euaderet Christus; dicitur enim *factus in agonia*, hoc est versus in angorem morali modo loquendo.

Quomodo fuerit in Christo pugna in horto.

249 Verba autem illa, *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, referuntur à Patribus non ad spiritum, & carnem Christi, sed ad carnem, ac spiritum discipulorum, ita post cæteros explicat Theophilactus, & Origenes, quos sequitur è Societate Ioannes à Lugo *disp. 22. sect. 1. num.* 8. Verum Nissenus attet ea interpretatus ad Christi carnem, ac spiritum refert, & videtur esse Ecclesiæ sensus in quodam Responsorio *fer. 5.* maioris hebdomadæ, in quo ait Christum in Monte Oliueti orasse ad Patrem. *Pater si fieri potest transeat à me calix iste, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, fiat voluntas tua.* Hæc ibi Ecclesia, quibus verba illa Christi non ad discipulorum, sed ad propriam carnem, ac spiritum referri nemo non dixerit; quare dicendum omnine carnis ibi voluntatem humanam intelligi, quæ naturali propensione ad commodum suum lata infirma erat, hoc est, secundum quid noluisset mortem accipere; non obinde tamen pugnam ibi vllam absolutè, aut repugnãtiã veram agnoscimus. Atqui hæc de ignorantia, ac fomite, nunc ad cætera progrediamur, & præcipuè ad dolorem, ac tristitiam Christi.

Theophilacti, & Origenis interpretatio. Nysseni sensus.

250 Dolorem, ac tristitiam in Christo verè fuisse si le docemur, nedum ob communem Ecclesiæ, & Patrum sententiam, sed ex patenti scripturarum eloquio dolorem præcipuè in Christo attestante, *verè dolores nostros ipse portauit Isaiæ* 53. & ibi paulo superius Christus ipsemet vocatur despectus nouissimus virorum, vir dolorum, ac sciens infirmitatem, & tristitiam patentius ipsomet confitente Seruatore, *Matth. 26. tristis est anima mea vsque ad mortem*: vbi paulo ante Matthæus dixerat *cœpit contristari, & mæstus esse*. Quibus verbis ne putes tristitiam initiatam dumtaxat in Christo, non veram ob verbum illud *cœpit*, vt interpretatus est S. Thomas *q. 15. 3. part. 6. ad primum* lege Scotum nostrum *in 3. d. 15. quæst. Vnica litera T.* qua statuit cum glosa sunt illa verba *repleta est malis anima mea* Psal. 87. totam Christi animam, scilicet, secundum vtramque portionem, superiorem videlicet, ac inferiorem repletam tristitia simpliciter fuisse: non igitur inchoatam habuit, sed plenam tristitia animum. Nec verba illa *Matth.* instrutum probant, nã inceptio ibi non ad tristitiam dimidiatam, & imperfectam, sed ad tempus inceptionis eius referenda est: porro magnam illam fuisse in Christo tristitiam ex illo Lucæ 22. suadetur, quo confortaturus Christum à cœlo aduenisse dicitur Angelus; quo tamen non obstante præ summo angore factus est sudor Christi sanguineus. Scio Vasquezium *disp. 56. cap.* 1. contendere non aduenisse hũc Angelum ad consolandum, neque ad consolendum Christo, sed ad laudandam Christi fortitudinem. Singularis tamen eius in hoc expositio explodenda est, nedum vt cæteris contraria, præsertim Patribus, ac Interpretibus, sed vt nulli fundamento innixa; prætterquamquod enim ad quid hæc laus in illa summa Christi pressora? adhuc interpretatio verbi *confortare* pro laudare, vt noua refellitur.

Dolor, & tristitia verè in Christo fuerunt.

Tristitia non dimidiata, sed plena in Christo fuit.

Angelus verè cõsolatus est Christum non laudauit.

251 Nam verbum *confortare* vernaculæ potius locutionis, quam latini esse idiomatis, & propterea apud auctores in vsu parum; cæterum vernacula lingua *confortare* duplex habet significatum, alterum, quo significat solatio esse, alterum, quo significat esse consilio, & hortatu; nusquam tamen esse laudi, & glo-

Confortare quid significet

gloriæ; idcirco vsurpatum ab Euangello potuisse duplicem illam priorem significationem pati, quia & solatio in pœnis, & hortatui ad libenter sustinendam Crucem esse Christo Angelus potuit, laudi in summis angustijs esse nec potuit, nec debuit, vt obindè Vasquezij interpretatio noua nulla censenda sit.

252 Sed hæc missa facientes, adque institutum nostrum regressi, vt fide certum statuimus Christum mœrorem, seù tristitiam, ac dolorem assumpsisse, ob allatam in superioribus rationem, quia scilicet his passionibus & se hominem, & se nostrum reparatorem ostendit; siquidem ijs meruit doloribus, & angustijs.

253 Cæterum, quomodo beatus Christi animus mœrore potuerit affici; quouè modo potuerit verus in Christo esse dolor, legendus est Scotus *loc. cit.* fusè satis hanc difficultatem prosecutus.

Quid sit dolor ex Augustino.

Nos interim breuibus constito aliquo inter tristitiam, ac dolorem discrimine, & exasse vtriusque cognita natura difficultatem vniuersam elucidabimus. Dolorem igitur describit Augustinus *lib. 14. de Ciuit. Dei cap.* 15. ita vt, dolor sit offensio animæ ex carne, & quædam ab eius passione dissensio; In qua descriptione habes doloris genus *offensionem animæ*: habes subiectum, quod est *anima*: habes causam *ex carne*: itaque dolor dicendus est ex ea conuenire animo secundum partem sensitiuam, seù secundum gradum animi sentientis. Tristitiam autem describit *eodemmet libro, & capite* Augustinus ita. Animi dolor, qui tristitia dicitur, est dissensio ab ijs rebus, quæ nobis nolentibus accidunt.

Quid sit tristitia.

254 Habes in hac eadem descriptione genus, quod est *dissensio*: habes subiectū quod est *anima*: habes discrimen, seu differentiā à dolore; quia is est in anima secundum gradum sentientem, hæc vero secundum se, secundumque gradum intellectiuum: nec refert ipsam quoque tristitiam nuncupari dolorem; est enim impropria, ac lata doloris vsurpatio, quatenus tam dolor, quàm tristitia penes subiectū conueniūt, quod est anima; penes essentiam conueniunt, quia vtrumque eorum est qualitas. Quomodo autem in nobis originem ducat dolor, quomodo tristitia, Scotus profusè satis, ac difficulter prosequitur *d. 15. toties citata*: est tamen dictorum eius ibi, de quibus hoc loco neque altercationē, neque expositionē intendimus; cōpendium missa Henrici, ac S. Bonauenturæ sententia de modo causandi dolorem; quorum dicta expensa videre poteris apud Fabrum *disp. 39. 3. sent. cap. 6.* Doloris causa ex sui oppositi causa cognosci potest; est autem oppositum doloris delectatio; quare ex ortu delectationis doloris ortum metiemur.

Faber

255 Oritur autem delectatio in nobis hoc modo. Dantur in rerum natura diuersa entia absoluta, quæ sic se habent, vt vnum eorum natum sit aptum perficere aliud, & aliud ab alio perfici, quæ deinde adinuicem appropinquata qualitatē quandam in perfectibili ipso inducūt, quam nos delectationē nuncupamus, (quæ licet communiter passio vocetur, non est tamen passio de genere passionis, prout genus illud est vnum ex decem oppositum actioni, sed passio de secunda specie qualitatis) & inest obiecto perficienti quædam conuenientiæ ad perfectibile ipsum relatio, non ita vt relatio ipsa conuenientiæ sit delectationis causa; quia delectatio oritur ab absoluto perficiente, aduenit autem illi relatio conuenientiæ. Ita in nobis originatur delectatio; vnde ex opposito dicendum dari quædam in rerum natura diuersa entia, quæ sic se habent, vt vnum eorum aptum sit natum lædere, ac corrumpere aliud, & aliud ab alio corrumpi, & lædi, quæ si appropinquentur sic se habent, vt corruptiuum, ac læsiuum in læsibili, & corruptibili qualitatē quandam inferāt, quæ dolor nuncupatur, qui licet dicatur passio, est tamē verè qualitas, aduenitque obiecto illi læsiuo, & corruptiuo ad læsibile, & corruptibile relatio quædam disconuenientiæ. Cum itaq; ex Augustini descriptione proposita dolor sit offensio animi ex carne, dicendus est ipsemet ad partem sensitiuam spectare, esseque propriè in sensibus, quorum caput inter hac censendus est tactus, qui est quasi aliorum sensuum fundamentum; tristitia autem nō est primo in sensibus; sed in intellectiui animi gradu secundū partem appetitiuam, quæ est voluntas;

Delectationis ortus, & origo.

Quomodo orіatur dolor

eius-

eiusque ortum ex opposito quoque mensurare possumus, quod est gaudium.

Quomodo originetur gaudium.

256 Oritur autem hoc modo gaudium. Si voluntas aliquod appetit obiectum, vt sibi conplacens apprehensum, si obiectum illud assequitur, gaudium concipit, notanter dixi, vt sibi complacens, & non vt conueniens absolutè, quia, quamquam interdum aliquod obiectum voluntati disconueniat; si tamen illud appetit, & appetitum assequitur; gaudet: è conuerso autem, si quod est obiectum quamuis suapte natura conueniens; quod vt displicens voluntas refugit, assequitur tamé; tristatur; & rursum si quod non assequitur appetitum displicentiā concipit, ac tristatur. Huiusmodi est igitur doloris, & delectationis in parte sensitiua, tristitiæ, & gaudij in voluntate ortus; & uariu tatis cauſæ, & diuersitas. Hisce pro intellectu terminorum suppositis recapitulanda sunt dicta, & rursum dicendum Christum, dolores assumpsisse, & tristitiam: non tamé dolores assumpsisse inferni, vt impiè asserebāt Nouatores effingentes Christum

dolores inferni non assumpti à Christo

nedum sensus, sed damni pœnas sustinuisse; quasi verò diuina visione beatus ille Christi animus vsquam destitutus fuerit contra quos vide Bellarminum *lib. 4 de Christo*; sed acerbissimos inter omnes homines sumpsisse dolores; siue quia Crucis afflictio est tormentorum maxima; cum claui affixi fuerint in manibus, & pedibus, partibus sensibilioribus; vt

Ratio S. Thomæ.

rebatur S. Thomas *3. p. q. 46. art. 6.* siue quia Christi passio ad omnia genera causarum extensa maxima fuit; nam quoad efficientem passus est; quia quasi à Deo derelictus, à matre compatiente contristatus, à Gentilibus, à Iudæis, ab hominibus, à fœminis, à discipulis fugientibus dolorē auxit: quoad materialem in qua; quia in toto corpore passus, materialem circa quā obiectiuā; quia de peccatis Iudæorum, & gentium; & Apostolorum negantium, ac fugientium: de pœnis grauissimis sui proprij corporis, & alijs: Quoad formalem; quia scilicet, actus suos peruertebant Hebræi miracula videlicet in signa, doctrinam in

Ratio S. Bonauenturæ.

blasphemias: quoad finalē, propter modicitatem fructus passionis suæ ex defectu hominum, vt refert S. Bonauentura cum Alense, & alijs; siue quia Christus erat perfectissimo temperamento præditus; vnde sicut perfectissimum habuit tactus sensum, ita intern sensus doloras

Ratio Scoti Ex Aristotel.

perpetrabatur, vt docet Scotus *loco citato littera H H, quantum ad 2. art.* quia scilicet, dispositio existentiæ tactus mensuram trahit ex proportione rectæ dispositionis corporis, vt docet Aristoteles *2. lib. de anima cont. 94.* quidquid de hoc sit, sat est dixisse vel ob alterā ex allatis causis, vel ob omnes simul Christi dolores fuisse omnium hominum in hac vita degentium doloribus acerbiores, exclamante ipsomet per Hieremiam in Trenis, *attendite, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Non est tamen silentio obuoluendam rationem à Scoto adductam præstare cæteris; quippequæ ex ipsa subiecti mensura mensuram doloris

Negligitur ratio S. Thom.

inuehit; nam in cæteris Sancti Thomæ ratio deficeret, cum fortasse membro intercisio; ac in frusta sectio grauiorem inferat dolorem, quam Crucis affixio; illa autem accidit Iacobo Persæ martyri similiter, & pellis nudatio, quæ euenit in Bartholomeo Apostolo, insuper flammarum debilium combustio; vt pluribus Christi Sectatoribus euenit; qui lento igne, vt pœna esset diuturnior, combusti sunt.

Ratio S. Bonauenturæ inefficax.

257 Ratio etiam S. Bonauenturæ; quamadmodum probat Gabriel *d. 15. quæst. vnica art. 2. 2. p. art.* transit à dolore ad tristitiam; etenim causa finalis non dolorem, sed tristitiā ingerere Christo poterat; similiter materialis obiectiua circa quam, nec non & effectrix, vt patet; hāc vero tristitiā ex triplici cap. in Christum manare potuisse docet Scotus *loco citato*, vel ex carentia propriæ beatitudinis, vt arbitrabantur Nouatores, vel ex peccato, vel ex passione, hæc enim tria sunt potissima obiecta disconuenientia animo rationis prædito, nempè passio in carne, peccatum, & carentia fruitionis, & quidem ex primo capite tristitia haud quaquam in Christi animum inducta est, qui nusquam fuit à beata Dei visione dissociatus: ex secundo autem capite distinguendum est de peccato, quod, vel spectatur vt proprium Christi, vel vt hominum; proprium in Christo peccatum nec fuit vllum, nec esse potuit, vt superiori capite diximus; quare ex proprio peccato tristis esse non po

tuit,

tuit; quia obiecta disconuenientia non faciunt tristem voluntatem, nisi appropinquata; de Christo autem dicitur Psalmo 90. *Non accedet ad te malum*; sicuti originalis peccati flagellum non accessit tabernaculo eius, quod fuit Beata Maria, licet huic ex gratia, Christo autem naturaliter: sed inducta in Christum tristitia fuit ex alieno peccato, non quidem Iudæorum Crucifigentium dumtaxat, sed omnium hominum, in quibus nolebat Christus esse peccatum, quos adinueniens peccati reatu obnoxios tristabatur.

Tristatus est Christus ob passionē

258 Ex passione insuper tristitiam habuit, iuxta eius effatum, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, quod benignè satis interpretantur aliqui de mœstitia à Christo concepta ob nimiā passionis dilationem; quasi verò nondum se videns crucifigi ob mortis celeris desiderium cruciaretur. At quomodo oriri in Christo tristitia ex passione potuerit, cum illa non fuerit à Christo absolutè nolita (si enim fuisset absolutè nolita, neutiquam humana eius voluntas fuisset diuinæ voluntati passionem præcipienti conformis) Hoc opus. Sed, vt præsens occasio postulat, supposita celebri illa, ac notissima portionum voluntatis partitione in superiorem, & inferiorem, quam sinè dubio tradidit Augustinus *lib. 12. de Trinitate cap. 2. & 4.* & alibi sæpius; quarum illa respicit æterna, hæc temporalia; immò, illa adhuc partitionem patitur; nam vel strictè sumitur, vel latè: strictè, prout æterna solum respicit: latè, prout etiam temporalia considerat in ordine tamen ad æterna: ità etiam portio inferior presè sumpta temporalia tantum respicere intelligitur, siuè illa dirigat, siuè non dirigat ad æterna: latè autem temporanea precisè respicit nullo modo ea dirigens ad æterna.

Duplex portio voluntatis ex Augustino.

259 Hac (inquam) diuisione, ac partitione supposita; similiter alia distinctione præmissa de voluntate vt libera, & vt natura, de qua nos alibi effati fuimus: Dicendum cum Scoto ex triplici via potuisse passionem tristitiam in Christum inducere.

Voluntas vt natura, & vt libera.

Primo; quia mors illa, & passio erat contra naturalem Christi hominis propensionem, quæ propensionis nostræ humanæ instar destructionem compositi proprij naturaliter horrebat.

Quomodo Christus tristari potuit.

Secundò ex dolore, quem passio sensui ingerebat; vndè ex nexu, & appetitus sensitiui colligantia cum voluntate voluntas ipsa displicentiam concipere potuit.

Tertiò ex nolitione libera voluntatis; noluit enim liberè humana Christi voluntas passionem, & proindè tristata est: noluit (inquam) liberè, sed non noluit simpliciter, & absolutè, sed conditionatè tantum; quemadmodum liberè dicitur nolle merces suas amittere mercator, qui tamen naufragium vitaturus, ac mortem merces omnes ipsas liberè in mare demergit: ità Christus noluisset mortem, si ita Deus annuisset, & proinde quam absolutè liberè, ac voluntariò subijt, conditionatè noluit; & hac nolitione conditionata tristitiam concepit.

An Christus absolutè passionem noluerit.

260 Ex alio demum capite tristitia in voluntatem induci posset, nimirum si appropinquetur obiectum, quod absolutè, & simpliciter non vult ipsa voluntas; & hoc modo æstimant Nostrates tristitiam non fuisse in Christi voluntate inductam, quæ absolutè passionem voluit, conditionatè noluit; ita loquitur Faber *disp. 34. cap. 3. num. 18.* Scotus tamen noster valdè anceps est, ac dubius, licet tandem *littera* T. non arbitretur improbabile voluntatem Animæ Christi secundum portionem inferiorem absolutè noluisse passionem: redditque rationem, quia passio fuit simpliciter Christo volenda in ordine ad finem vltimum; at portio inferior latè sumpta non dirigit passionem ad vltimum finem; ergo inferior illa portio potuit absolutè passionem nolle, & tristari; quomodo autem secundum hanc dicendi methodum conformitas voluntatis humanæ Christi ad diuinam attendi queat, suo loco dicendum est.

Scotus est dubius.

261 Interim addendum est, voluntatem Animæ Christi secundum primum modum tristitiam sustinuisse secundum superiorem portionem, secundo modo tristatam in portione inferiori; tertio modo secundum portionem superiorem tristari potuit nolendo conditionatè passionem; sufficit enim in sententia Scoti ibi ad simpliciter tristandum

con-

conditionatum nolle: Quarto demum modo tristari potuit secundum portionem inferiorem tantum iuxta eam, quam probabilem Scotus opinionem sequitur, nec admodum distat *cap. 4.* eius Asse cla Faber.

Consentit Faber

Si autem absolutè voluntatem consideres vel vt naturam, vel vt liberam; dicito vtramque tristatam fuisse singulis tribus primis modis, vt liberam verò potissimum tertiò, & quartò modo, considerando eam secundum portionem inferiorem tantum.

262 Hæc per modum doctrinæ tradidimus hoc loco, quo institutum nostrum eò vergit tantum, vt palàm faciat tristitiam, ac dolorem à Christo sumptos, quibus se nedum hominem ostendit, sed & nostræ reparationis mysterium operaturus erat, non vlterà prolixum multiplicabo sermonem, eoque lubentius, quo Suarez *disp. 38. sect. 3.* Vasquez *disp. 73. cap. 4.* Lugo *disp. 22. sect. 2.* nobiscum & in partitione portionum conueniunt, & in asserendo secundum vtramque portionem Christum tristatum fuisse contrà Titelmannum *in cap. 26. Matth.* & Iansenium in *Concordia cap. 137.*

Suarez Vasquez Lugo nobiscum sentiunt

263 Sola animum turbare nostrum positio posset; quonam modo simul, ac semel esse in eadem Christi voluntate potuerint actus summæ delectationis, & tristitiæ, cum hi sint inuicem contrarij? neq; enim audiendus est Melchior Canus *lib. 12. de locis cap. 14.* constituens suspensum fuisse in Christi voluntate tempore passionis gaudium de visione Dei, vt daretur tristitiæ locus. Hanc dubitationem euellit Scotus in solutione primi argumenti principalis *littera V*, negans delectationem, seu gaudium, & tristitiā esse opposita, cum non sint respectu eiusdem obiecti. Sed insultat Lugo hoc responsū difficile esse, quia vera est Aristotelis *7. Eth. cap. 14.* doctrina delectationē vehementem de vno obiecto expellere tristitiam de omni alio. Oppositio tamē huius, quam tollit Scotus idem *littera Y*, concedens Aristotelicam doctrinam de facto, & non in Christo, vbi per miraculum delectatio illa non redundabat in portionem inferiorē, nec in corpus. Proposui dedita opera hoc dubiolum, vt responsum eiusdem Lugo in medium

Quomodo Christus potuerit simul tristari, & delectari Opinio Cani Respōsio Scoti.

Instantia Lugo.

Tollitur ex Scoto.

proferrem; ait ergo Lugo pro aliquo signo priori concipi tristitiā in Christo, & pro aliquo posteriori signo delectationem ex visione beatifica; Christus enim (inquit Lugo) in Verbo videbat operationes suas futuras, atque adeo videbat mœstitiam, & per consequens visio pendebat aliquo modo ab illo effectu; verum enim erat dicere, quia Christus habiturus est hunc affectum, ideo visio terminatur ad ipsum.

Doctrina Lugo

Hæc ille; qui bus vides lector, quam facilè labatur auctor supponens ex visione illius affectus mœstitiæ in Verbo delectationem ortam in anima Christi, cum hæc delectatio, & gaudium ex ipsa Deitatis visione primariò oriatur, non ex visione rerum in essentia.

Reijcitur.

264 De timore Christi nonnihil dicendum. Hunc in Christo patenter inducit Euangelista Marcus *cap. 14. cœpit pauere, & tædere*, quonam autem modo Christo conuenire potuerit, in quo nulla erat spes euadendi malum mortis, quod timebat; cum tamen ex Aristotele *2. rhet. cap. 5.* in eo tantum agnoscamus timorem, in quo spem euadendi malum agnoscimus; difficile est declarare: forrasse tamen ab re non erit asserere nequaquam timorem omnem debere cum spe euadendi malum coniungi, sed vel efficacem dumtaxat, vt ait optimè Suarez *disp. citata art. 7.* vel eum, qui consultationem secum patitur ad mali fugam; vt videtur dicere Vasquez *disp. 62. cap. 3.* Cæterum in alijs non ita; cum experimentum doceat capite damnatos timere; similiter, & in mare demersos, cum tamen nulla in ijs ad fugam mali spes, lata in primos sententia ob malum culpæ, cui desperatur remissio, & longè ab alijs adiutorio ad eos dendum aquas: porrò in ijs timorem esse signa vultus ostendunt cum pallore, & tristitia. Obijcies Hilarium *10. de Trinit.* timorem in Christo negantem. Sed respondeo Hilarium dolores quoque ablegasse à Christo, non tamen à Christo homine, sed Deo, vel si à Christo homine, non dolores, ac timores actu, sed necessitatem vtrorumque.

De timore Christi

Sententia Suarez, & Vasquez,

Declaratur Hilarius.

265 Demum, quid dixeris de ira? sumpsit ne illam Christus, necne? equidem iratum verè in scriptura Christum non

An ira in Christo?

lego

lego, zelatũ lego *Io. 2.* quando flagello ex funiculis cõpacto eiecit vendentes, & ementes de templo: porrò illum zelum fuisse, non iram, declarat Ioannes, dum locum Psalmi interpretatur *zelus domus tuę comedit me.* Quomodo autem ira à zelo differat, norunt Scolastici; nam ira potissimum sita est in cupiditate puniendi lædentes, vel ex appetitu vltionis propter sui, vel suorum contemptum: zelus autem amoris filius diuinæ solum offensæ vlciscendæ appetitum designat. Si autem vtrumque affectum confundas, vtrumque in Christum inducere nefas non est: Atqui hæc de defectibus à Christo sumptis.

Ira, & zelus quomodo differant.

AN VERBVM ASSVMERE *potuerit humanam naturam propria personalitate personatam.*

CAPVT VII.

266 Possibilitatem, vt vides, non actum inquirimus, quandoquidem vnicã esse Christi Seruatoris personam in duplici natura subsistentem, fides docet, inde Augustinus *lib. de fide ad Petrum cap. 2. Verbum* (inquit) *naturam hominis assumpsit, non personam*: & Athanasius in symbolo, *non duo tamen sed vnus est Christus, Vnus omnino non confusione substantia, sed vnitate persona &c.* de possibili igitur hæsitantes, petimus, an Verbum assumere potuerit personam.

S. August. Athanas.

267 Petitionis titulus triplex est, primus de personalitate præcisa, an scilicet assumptibilis fuerit præcisa humanę naturæ personalitas.

Triplex quæ sit titulus ac sensus.

Secundus de natura personata, an videlicet illa potuerit assumi, destructa tamen, vel corrupta personalitate propria, dum ad suppositationem in alieno supposito assumitur.

Tertius demum, de tota natura personata cum personalitate, itá vt petatur, an natura subsistens in propria possit simul protrahi ad subsistendum in aliena persona, itá, vt æquè pendeat à duabus. Postremus hic sensus nullum nobis hoc loco negocium facessere potest, qui in superioribus constituimus, haud quaquam posse naturam vnam à pluribus pendere suppositis, ne dicatur simul, ac semel terminata, & non terminata, quod contra creatæ naturæ finitatem dimicat.

In 3. sensu negamus

268 Sed, & ipsi Recentes quanquam fateantur, plures diuinas personas eandem naturam numero assumere posse, hoc loco de natura personata propria personalitate negant, licet diuerso fundamento, vt videre est apud Suarezium aliorum rationes sub censura vocantem. nobis autem sanè factum est, qui vtrobique negamus, nec diuersificatis rationem afferre tenemur, cur nequeat à pluribus diuinis, nequeat verò ab vna diuina, & altera humana persona natura assumi in hypostasi, qui vtramque possibilitatem negauimus.

269 Est igitur posterior sensus huius ratio negans illa eademmet, quam superiori disputatione tradidimus; quia scilicet, si nequit vna eademque creata natura à pluribus simul sustineri diuinis suppositis, multò minus poterit ab vna creata, & ab altera diuina persona sustineri, nam quamuis ipsa secundum se sustentatio nullam in sustinente perfectionem dicat, nullam variationem, nouitatem nullam, nihilò tamen minus satis incongruum videtur asserere posse aliquam naturam vnam creatã ab vna creata, & altera diuina persona sustineri, quam plures simul diuinæ personæ sustinere nequeunt.

Ratio negationes.

Secundus petitionis nostræ sensus facilis est, & affirmatiuè resoluitur, cuius rei ratio est non implicantia, facti constito in Scholis posse à Deo fieri saltem per absolutam potestatem, quæ nullam implicantiam, aut repugnantiam inuoluunt: porrò nullam nanciscimur repugnantiam, implicantiam nullam, dicendo posse naturam personatam assumi, itá vt personari desinat à proprio, & incipiat personari ab alieno supposito vltima personalitate destructa; etenim ille idemet Deus, qui potuit facere, vt natura suppositanda in proprio supposito in primo instanti non suppositaretur in proprio, sed in alieno, eadem potest potestate efficere, vt destituatur propria, & propriæ vicem subeat aliena personalitas, cum æquè

In secundo sensu affirmamus.

Ratio affirmationis

tunc, ac in primo instanti creata natura sit in potentia obedientiali ad Deum; quid enim hæc temporis varietas ad omnipotentiam Dei, quæ nulli est alligata tempori? quidquid ergo potuit in primo, æquè potest in alio succedenti tempore, vel instanti, dummodo propria personalitas non remaneat, quia hoc est, quod ex terminis implicat, nempè naturam vnam à duobus terminari suppositis, sicut implicet eundem effectum vnum à pluribus causis pendere totalibus.

Vrgetur ex articuli.

271 Verum hic sensus secundus dubitationem habere videtur ex Aristotele in *prædicamentis capite de substantia*, dicente, quod primis substantijs destructis impossibile est aliquid eorum remanere; quare videtur, quod personalitate propria destructa, ipsa tota corrumperetur humanitas. Hoc argumentum fuit in causa, vt Sanctus Thomas 4. *contra gentes cap. 43.* assereret, debere eo casu primum illum hominem vnioni præexistentem corrumpi, quod est dictu, omninò fieri non posse, vt homo personatus assumatur ita, vt aliene accedente propria personalitas corrumpatur. Sed, & ipse S. Thomas 3. *p. q. 4. art. 2. in corpore* sententiam mutauit, dum dixit, si persona præintelligitur, vel oporteret, quod corrumperetur, & sic frustra esset assumpta, vel quod remaneret post vnionem, & sic essent duæ personæ, quod est erroneum. Hæc ille, quibus, vt vides, non ait necessum esse destrui hominem destructa persona; sed ait tantum frustratoriam fore assumptionem personæ, quę deberet corrumpi.

S. Thomas sententiam mutauit.

272 Aristotelis effatum non vrget, qui primarum substantiarum nomine substantias indiuiduas, & singulares intellexit, siuè, quia nullam distinctionem nactus est inter singularem naturam, & personatam, siuè quia singularis, ac indiuidua natura præcellentissima substantie est, de qua verum est effari, quod ea destructa nihil aliorum remaneret; siquidem ruere, & in nihilum abire, quæcunque illi insunt accidentia, ipsa ruente, vel in nihilum abeunte necessum est.

Exponitur articulis.

273 Primum petitionis nostræ sensum de ipsa secundum se personalitate spectata prosequentes Scholastici communi consensu affirmant nequire personalitatem assumi, ita S. Thomas, & Thomistæ omnes *in 3. p. d. cit.* Scotus *in 3. dist. 5. q. 2.* cum Asseclis, licet diuerso fundamento.

Primus sensus qui sit idem apud omnes affirgent lib. fundamento diuiso.

Quicunque personalitatem duplici negatione constari in humanis constituunt, illam inassumptibilem esse firmissimè probant; quia implicat eandem numero naturam simul dependere, & non dependere ad alienam personam, hæc autem duo planè enunciarentur simul de eadem natura, si posset illius personalitas assumi; quod probatur; siquidem naturam aliquam assumi est actualiter ipsam dependere ab assumente, & naturam personari in suo proprio supposito, est non dependere actualiter ab alieno; quapropter simul, & semel dependeret, & non dependeret ab alieno, quod falsum esse logici docent ex Aristotele *lib. prædicament. cap. de oppositis*, statuente haud quaquam posse simul, & semel de eodem contradictoria pronunciari.

Ratio Scoti.

274 Hæc est Scoti, & Scotistarum ratio, constituentium personalitatem negatione sola compleri, quorum opinioni in vestibulo nostrarum controuersiarum nos hec in re minimè subscripsimus, ipsomet Scoto ansam porrigente in eadem 3. *q. 1. d. 1.* vtramq; sententiam de formalitatione personæ prosequente, quamuis in eam, quæ sola negatione compleri personam statuit, videatur fuisse propensior.

Articulis lib. prædicamentis.

275 Secundum ergò nostram sententiam arbitrantium personalitatem positiuo cum negationibus compleri, personalitatem inassumptibilem esse probamus. Personalitas, vt sic est vltimata rei actualitas ad vlteriorē actū nō ordinabilis; sed huiusmodi actualitas inordinabilis ad vlteriorem actū assumi non potest, ergo nec personalitas assumi potest. Minor patet ex terminis, quia si posset assumi, iam non esset amplius vltima actualitas, quoniam persona assumens, & non personalitas assumpta vltimatè actuaret indiuiduam illam substantiam, & sic vna, eademque actualitas esset vltimata, & non vltimate, quæ pugnent.

Probatio propria.

276 Contendit Faber in 3. *disp. 13. cap. vnico* probare, vltimentes personalitatem positiuo compleri teneri asserere posit-

Primum Fabri argumentũ. positiuum illud esse assumptibile: Primo, quia hæc personalitas est substantialis entitas positiua, sed omnis talis entitas saltem per diuinam potentiam per se potest existere, sed quod potest per se existere assumptibile est, quare positiuum illud personalitatis assumptibile erit. Secundò, *Secundũ* quia sin minus posset assumi entitas illa, fortè, quia incommunicabilis est, sed non est re vera incommunicabilis, quia communicatur naturæ, quam personat.

277 Contra Fabrum abundè disceptauî *disp.* 1. huius operis *cap.* 5. & superuacaneum reor traditam ibi doctrinam iterato calamo subijcere. Statuimus autem ibi positiuum hoc inassumptibile esse, neque vllo modo ad integritatem humanæ naturæ athomæ, seù singularis spectare, sed ad personam dumtaxat, quare, cum omnes, quæ erãt humanæ naturæ singularis partes, & proprietates assũpserit Verbũ, nõ est cur de hoc positiuo extra singularis naturæ quidditatem, integritatem, & proprietates laboremus.

278 Interim duo Fabri dilemmata facilè diluo, primum negando personalitatem esse substantialem entitatem positiuam, cum suaptè natura nec sit substantia, nec accidens, sed modus existendi incommunicabiliter: porrò, quam dissidet modus à re, cuius est modus, quamuis nequeat absq; eo, cuius est modus existere, non est cur hoc loco probemus. *Respondetur primo argumento.*

Respondetur secundo 279 Secundum dilemma diluo, incommunicabilitatem huiusmodi esse ad alienam naturam, non ad propriam, cuius est modus, esse autem in communicabilitatem ad quamcumque personam, quia à nulla persona potest assumi.

Conclusio dictorum. 280 Concludendum ex dictis, secundum singulos petitionis nostræ in hoc capite sensus, nullatenus personam assumi posse, nec sub ratione personalitatis, nec vt in natura personata, & exinde petitionem extremis verbis in quinto capite propositam apud nos fore nullam, quibus cum impossibile videatur, creatam personalitatẽ assumi, vel assumptibilem esse, similiter & naturã sub propria personalitate manentẽ, nullus superest petẽdi locus, an si posset assumi posset peccare: videriut illi, qui putant fieri posse, vt personalitas, vel natura sub personalitate queat assumi.

281 Vel pro eis arguiturus itã in hoc, vt in superiori cap. philosophare, quoniam Deus illi naturæ personatæ summam charitatem, & parem gloriam teneretur elargiri.

282 Vrgebis demum, naturam personatam assumptam, quia homo assumptus, iuxtà illud Ambrosij, & Augustini. *Tu ad liberandum suscepturus hominem*; Atqui homo non dicitur de humana natura nuda, sed de supposito humanæ naturæ. Dubiolum hoc mouit Scoti *dist.* 5. 3. *sent. q.* 2. *arguendo principaliter*, quod tamen in solutione argumentorum non diluit, nescio quo casu, nisi meuis asserere insolutum argumentum, quod ex dictis dilui poterat, nam si homo pro indiuidua hominis natura à Christo assumpta sumatur, quid impedit, quominus dicatur Verbum assumpsisse hominem? quam loquutionem antiqua Concilia Toletanum primum *in Confessione fidei*, Toletanum sextum *cap.* 1. Toletanum 11. *in Confessione fidei*, Augustinus *lib. de prædestinatione Sanctorum c.* 15. Boetius *lib. de duabus naturis*: Damascenus *lib.* 3. *de fide capite* 4. passim vsurparunt, vel dicas argumenti huius positionem non ex Scoti, sed ex aliorum litteris manasse, quod indicant lineæ in margine positæ, quibus indicatur argumentum non esse ex Scoto depromptum. Sed, & huius dubij solutionem habebis infra *disp. de communicatione idiomatum cap.* 3. *in fine*. *Dubitatio an dici possit, quod Christus assũpsit hominem Scotus* *Conc. Toletanum, Primum, Sexum XI August. Boetius Damasc.*

283 Interim Recentiorum obserua responsum ad auctoritatem Ambrosij, & Augustini præfatam *Tu ad liberandum suscepturus hominem &c.* Ait Ioannes à Lugo *disp.* 13. *sect.* 2. sensum illius esse construendum cum liberatione hominis, non cum assumptione hunc in modum, *Tu ad liberandum suscepturus hominem*, hoc est, *tu aggressurus, seù suscepturus onus liberandi hominẽ &c.* nã humanitatẽ, quã sũpsit nõ liberauit, nec redemit, quæ nunquam sub captiuitate fuerat. *Interpretatio Ioannis à Lugo*

At ego interpretationis huius subtilitatem non improbo, sed (addidissem *Non arridet aucto ri;*

sem, quomodo cum sequentibus auctoritatis illius Verbis cohæreat, non intelligo; quid enim liberatio hominis, quæ in cruce acta est cum vtero Virginis? aut quæ pars suscepti operis redemptionis nostræ cum horrore vteri virginalis?

Authoris sensus.

Certè ibi nec opus redemptionis inceptum, nec vllo modo completum, sed animata dumtaxat caro sumpta, sub qua deinde redimeret Deus hominem. Nos igitur dum hominem à verbo assumptum liberè concedimus, hominem, inquam; pro indiuidua natura illa assumpta sumendo, absque eo, quod gratis, ac voluntariè dictorum Ambrosij, & Augustini detorqueamus sensum, verba illa ita construimus. *Tu hominem suscepturus ad liberandum*, hoc est, tu *futurus homo, seù suscepturus humanitatem ad redimendum, ac liberandum nos, non horruisti*, hoc est *non contempsisti Virginis Vterum.* Atqui hæc breuibus dicta sint, vt superiorum capitum prolixitatem breuitate præsentis compensantes tandem aliquando disputationem vniuersam sigillemus.

DE COMMVNICATIONE Idiomatum.

DISPVT. X.

DE NOMINE, ET POSITIONE communicationis Idiomatum.

CAP. I.

1 IN ipso operis principio. post disceptationem de ipso secundum se inhumanationis mysterio, quod hucusq; decursis disceptationibus exegimus, corollaria quædem ad ipsum mysterium spectantia perscrutaturos nos fore spopondimus, est autem præcipuum huiusce rei corollarium disputatio præsens, quæ ex veritate operis, & difficultatum enodatione quasi quædam necessaria subsequitur appendix; siquidem, cum impermixtæ, ac diuisæ duæ in vno eodemque suppositio naturæ permaneant; habeantque proinde ambæ proprias affectiones, proprietates, & attributa; quomodo vicissim de vtrisque queant, vel nequeant hæc eadem attributa effari ostendendum erat: vt eiusdem mysterij, quantum pro modulo fas erit, caperemus essentiam.

2 In huius autem disputationis vestibulo, ne nominis significatione decepti ad ceteriora turò nequeemus incedere gressu, ethimologia spectanda est nominis, mox verò, an in hoc ipso mysterio fit hæc ipsa communicatio inuehenda; vt præcognitionem nominis subsequatur existentiæ rei notitia.

Duplex admonitio 3 Circa primum: Antiquiores Theologi græcum vocabulum Idioma à proprietate sumentes communicationem Idiomatum dixerunt esse communicationē proprietatum vnius naturæ ad aliam; ita visum fuisse locutū Gabrielē Biel in 3. *dist.* 7. *q. vnica* in principio aliqui referunt, ex quo interpretandi modo fortasse occasionem nasti sunt huiusmodi tēporis Sectarii asserēdi cōmunicationē Idiomatum consistere in reali communicatione attributorum naturæ diuinæ facta naturæ humanæ; in qua vniuersum hoc mysterium consistere affirmarunt: siquidem attributum, & proprietas ad rem verbotenus, & voce differunt; significato non differunt.

4 Recentes communicationem Idiomatum ex vigore vocis, *Idioma*, ponunt in mutua prædicatione attributorum diuinæ, & humanæ naturæ de Verbo, & Christo, ita Suarez *disp.* 35. *in principio* Bonacina *disp.* 2. *q.* 6. *puncto* 1. nec distat Ioannes à Lugo *disp.* 23. licet contractius loquatur, dum ait, communicationem hanc esse communicationem prædicatorum, & in hunc etiam ferè modum cæteri locuti videntur Scholastici. *Opinio Recentiorum Suarij Bonacinæ Lugo.*

5 Scotus hac de re ex professo nullibi disputationes tamen singulas ad hanc vnam de communicatione Idiomatum disceptationem prosequitur, à *dist.* 8. 3. *vsque ad* 13. quamuis ea etiam, quæ *dist.* 7. ab ipso de Christi prædestinatione dicuntur, ad hoc communicationis Idiomatum caput referri queant, vocis tamen propositæ energiam nullibi exegit. *Scotus*

6 Mihi videntur in hac re Scholastici materiale potius significatum, seu connotatum huius nominis, *communicationis Idiomatum*; quam formale præstitisse. Idioma enim in rigore non proprietatem, seu attributum significat; sed locutionem propriam; hinc locutionem Italam Idioma Italum vocamus; Germanam, Germanum; quare communicatio Idiomatum communicationem locutionis propriæ alteri factam, vel faciendam denotabit; hinc Augustinus *in vestibulo primi libri locutionis de Genesi, locutiones* (inquit) *scripturarum, quæ videntur secundum proprietates, quæ Idiomata græcè vocantur, lingua Hebraica, vel Græca*. Quibus Idiomatis nomen non ad proprietates, sed ad locutiones scripturarum secundum proprietates refert, vt fit eius verborum sensus; locutiones scripturarum secundum proprietates linguæ Græcæ, vel Hebreę; quae locutiones huiusmodi Græcè Idiomata vocant; ex quibus elici potest communicationis Idiomatum vocabulum in hac disputatione nihil præterea sonare, nisi mutuam locutionem *Opinio authoris. Idioma quid* *August.*

tionem secundum proprietates in Christo, in quo, vti diximus, & fide constitutum est, duæ illæ naturæ, homana; scilicet, ac diuina inconfusè, ac impermixtæ se habent.

Damascenus exponitur

7 Hinc dum Damascenus *lib.3.de fide orthodoxa cap.4.* Idiomata pro proprietatibus sumpsit, dicens, *Deitatem quidem dicentes, non nominamus de ea, quæ humanitatis Idiomata sunt, idest proprietates,* & cap.6.eiusdem libri *Deus suscepit ea, quæ sunt carnis Idiomata, idest proprietates.* Intelligendus est, materialem potius, quam formalem Idiomatum significationem vsurpasse; quæ propriè, ac formaliter locutiones secundum proprietates, non verò formaliter proprietates significant. Quocirca, si ita sensisset Gabriel, & alij, quos supra adduximus, deciperentur, constituentes hanc, quam petimus, idiomatum communicationem sitam esse in mutua communicatione proprietatum vnius naturæ ad aliam, nisi enim præexposito modo declaretur eorum positio Sectatiorum asserti seminatium fuit, quod quam falsum sit inde patet, quod si Idiomatum communicatio in hac proprietatum communicatione constitueretur reali, sequeretur vnionem deificam potius ad naturam factam, quam ad personam, cum attributa naturam, non personam respiciant; sequeretur insuper Christi corpus in triduo fuisse sapiens formaliter, iustum, &c. cui remansit vnio in hypostasi, similiter humanitatem eius, dum viueret, formaliter omnipotentem, infinitè iustam, infinitè sapientem, ipsamque suoptè ingenio infinitam; quæ sunt diuiosæ naturæ proprietates. Insuper sequeretur, cum communicatio debeat esse mutua, fuisse ab humana natura formaliter Deitati communicatas suas proprietates, ac attributa, ac obinde naturam diuinam formaliter finitam, & caducam; quæ omnia tam falsa sunt, quam quæ falsissima.

Absurda ex sententia Gabrielis

Vindicatur à superiori placito Gabriel

8 Re tamen vera, non hæc fuit Gabrielis opinio, qui licet in principio dixerit communicationem Idiomatum esse communicationem proprietatum; appositè tamen doctrinam huic mysterio accommodans, subdidit in Christo communicationem Idiomatum esse sitam in mutua prædicatione concretorum vtriusque naturæ de se inuicem, & de supposito Verbi subsistente, vel subsistente.

9 Rectius tamen, & formalius ad verborum significata diximus, communicationem Idiomatum in hoc mysterio collocari in mutua elocutione prædicatorum, proprietatum, & attributorum inter Deum, & hominem, vt per eam diuina eloqui liceat de homine, humana de Deo, ita verè dicimus Deum esse hominem, hominem esse Deum, Deum pro nobis mortuum, hominem factum immortalem, & similia, vt ex dicendis patebit. Aliam idiomatum communicationis significationem in hoc Sacramēto minimè agnoscimus; hanc autem admittimus de fide, ob veritatem propositionum adductam, de quibus antiquiora passim effantur Concilia; & præcipuè Ephesinum, in quo doctrina de hisce propositionibus Cyrilli recensetur, & approbatur; passim etiam effantur Patres. Damascenus præsertim *lib.4.de fide orthodoxa supra citato cap.4.6.& 11.* & hoc est, quod secundo loco petebamus in principio: hoc est, *An hæc communicatio idiomatum detur.*

Cōc.ephesinum

Damasc.

10 Quod si dicas, à Patribus hanc idiomatum communicationem secus intelligi, vt velint re ipsa Deitatis attributa humanæ naturæ communicata. Occurro, si quæ in hunc sensum sonare videantur Patrum testimonia, expositionem adhibendam, vt asseruisse dicantur per hanc vnionem ita ad Dei consortium humanitatem eleuatam, vt verè diuinorum attributorum particeps fuisse facta dicatur; hoc est: vt licitè queant homines diuina attributa de homine effari: in qua loquutione, vt diximus, vera idiomatum communicatio constituitur. Vel dicendum ex Diuino consortio humanitatem à Verbo assumptam tanta fuisse dignitate, ac beatitate donatam, totquè excellentissimis donis ornatam, vt diuinorum attributorum plenè particeps effecta fuisse videatur.

Oppositio

Occurritur

11 Aies, ex hac interpretatione sequi communicationem Idiomatum non esse veram, & realem, sed quandam ad summam denominationem, ac verborum enunciationem. Occurro, enunciationes

tiones dici veras, vel falſas ex dialecticis, ex eo quod res eſt, vel non eſt; cum igitur propoſitiones hæ, quas ſermus, ac mutuæ locutiones proprietatum vtriuſque naturæ de Chriſto, humanæ ſcilicet de Deo, diuinæ de homine veriſſimæ ſint; verum etiam à parte rei erit, quod enunciatur ex vera, ac reali vnione inter vtramque naturam ad Verbum intercedente.

12 Magis tamen logicè loquentes dicimus, quod veritas elocutionis alicuius de aliquo ortum trahit ex veritate identitatis alicuius prædicati cum ſubiecto; notanter diximus alicuius, ſed aliqualis, quia cum prædicatio identitatis affecta ſit, talis conſebitur prædicationis veritas, qualis ſtatuetur identitas; ita vt prædicari nequeant, quæ nulla identitate ad inuicem referuntur; ex quo patet, quod cum diuina, & humana natura non identificentur ad inuicem; ſed ſint omnino diſtinctæ, prædicationes, ſeu elocutiones vnius de altera falſæ ſunt; & ſimiliter proprietatum vnius de altera; hinc elocutiones iſtæ vt falſæ repelluntur, Deitas eſt humanitas, humanitas eſt Deitas; Deitas eſt mortalis, & finita, humanitas eſt immortalis, & infinita; ſi quando autem illæ à Patribus ad orationis ornatum aſſumuntur, explicandæ ſunt; ita vt abſtractum ſumatur pro concreto, nimirum Deitas pro Deo; humanitas pro homine; è contra verò conceduntur hæ propoſitiones, homo eſt Deus, Deus eſt hohomo; mortalis eſt immortalis; finitus eſt infinitus, quia licet prædicata nō ſint eadem formaliter cum ſubiectis, nec intrinſecè, ſunt tamen eadem in tertio nempè in diuino ſuppoſito, quod vnitum eſt in duabus naturis, dum autem dico eſſe in tertio non aio identificari naturas, ſed vniri, coaleſcere in illo ſuppoſito, ita vt illud omnino vnū remaneat, naturæ verò perpetuò ad inuicem ſegregatæ, ac diſtinctæ; attamen hæc vnio admirabilis in cauſa eſt, vt prædicationes huiuſcemodi veræ concedantur.

Elucidatur Patrū ſenſus in quibuſdā aſſertis.

Exemplo reſpanſis

13 Conſueuit hoc idem exemplo monſtrari in formis accidentarijs; prout humana hæc quoquomodo noſtram poſſunt iuuare intelligentiam ad capeſſendum hoc myſterium. Accipiantur duæ formæ accidentales in eodem ſuppoſito, hæ profectò, quamquam ad inuicem re ipſa diſtinguuntur ratione vnionis in ſuppoſito prædicari poſſunt; e. g. frigiditas, & nigredo, ſeu albedo, & calor in Ioanne, vel Petro vnitæ in concreto ad inuicem prædicari poſſunt hoc modo. *Ioannes eſt frigidus, & niger: ergo hoc frigidum eſt nigrum*, & rurſum *Petrus eſt calidus, & albus; ergo hoc calidum eſt album*; entimema bonum; quia frigidum hoc in primo conſequenti, & hoc calidum in ſecundo ſupponunt pro illo indiuiduo, cui vtraque forma inhæret; non poteſt autem inferri: *Ioannes eſt frigidus; Ioannes eſt niger; ergo nigrum eſt frigidum, vel frigidum eſt nigrum*; quia argumentum peccat in forma conflatum ex puris particularibus, ex quibus nihil ſequitur; peccat etiam in materia, quia frigidum, vel nigrum in concluſione eſt indiuiduum vagum, in maiori autem, & in minori ponitur indiuiduum proprium, vel ſignatum, ſi autem diceretur: *Ioannes eſt frigidus; Ioannes eſt niger, ergo hoc frigidum eſt nigrum* argumentum curreret in materia; peccaret in forma ob rationem allatam de enunciationibus particularibus puris, ex quibus nihil ſequitur ratione formæ, quod animaduertendum erat Fabro *diſp.* 25. *cap.* 1. *num.* 2. *in fine*, argumentum illud in ea forma conſtruenti: accipimus autem hic materiam non pro contingenti, vel neceſſaria, ſed pro terminis ipſius argumenti, qui quodammodo materia propoſitionum ſtructuræ dici poſſunt.

Logica difficultas.

Rectius agitur per entimema, vt dictum eſt; ex veritate ergo exempli propoſiti iuuamur ad intelligendam hanc communicationem idiomatum in hoc myſterio, in quo, cum diuina, & humana natura vniantur in vno, eodemque ſuppoſito, fit ex hac vnione, vt concreta vtriuſque de ſuppoſito dicantur; vt Verbum eſt immortale, Verbū eſt paſſum, & mortuum; Verbum eſt eſt Deus, Verbum eſt homo, & rurſum cum hæc prædicata in concreto dicantur de ſuppoſito, enunciari ad inuicem poterunt, dicendo: homo eſt Deus, Deus eſt homo, immortale eſt mortale, impaſſibile paſſum.

14 Quod ſi dicas Scotum in 3. d. 2. q. p.

litto-

6

littera H. paulo inf. parag. Cum arguitur, in solutione vii. argum. docere rationem communicationis idiomatum sitam esse in eo, quod suppositum recipit prædicationem in concreto illius naturæ, in qua subsistit, ex qua doctrina videtur elici prædicationes fore tantum veras, dum concreta dicuntur de supposito; non autem dum dicuntur de se inuicem.

Tollitur obiectum ex Scoto

15 Respondetur in primis Scotum non dixisse, præcisè rationem huius communicationis in eo sitam, vt de supposito solum dicantur concreta naturæ, sed absolutè dixisse, rationem huius communicationis sitam in prædicatione concreti de supposito; ex hoc autem asserto non elicitur nequire enunciari concreta naturarum ad inuicem.

Secunda, Responsio

16 Secundo respondeo, adhuc, dum naturarum concreta ad inuicem enunciantur, elocutiones esse quodammodo de supposito; quia in his subiectum perpetuo, siuè implicitè, siue explicitè supponit pro supposito; vt dicendo *Deus est homo*, Deus, qui est propositionis subiectũ supponit pro persona, & supposito Verbi; quod solum inhumanatum est; similiter dicendo *homo est Deus* (appositè in hoc opere; quia generi è propositio hæc *homo est Deus*, nisi coaptata ad hoc mysterium falsa est) homo, qui est subiectum, stat pro hoc homine, in quo cum deficientis propriæ suppositationis suppositationem suppleat Verbi persona; sensus est *hic homo qui est persona Verbi est Deus*; rursum cum dicimus *mortale est immortale*, mortale subiectum stat pro hoc homine. Et cum dicimus *immortale est passum, & mortuum* immortale stat pro supposito Verbi; rectiores tamen sunt prædicationes concreti humanæ naturæ de Deo; quam è contra, non ita, vt non sit communicatio mutua elocutionum; sed quia explicitè magis in ijs subiectum supponit pro supposito, seù stat pro supposito, hinc rectior est hæc propositio, *Deus est homo*; quia *ly Deus* explicitè magis stat pro persona Verbi; quæ solum terminauit humanæ naturæ dependentiam, quam hæc, *homo est Deus*; quia indiuiduum hominis vagum non ita explicitè supponit pro supposito Verbi gerente vices suppositi humani; si autem dicatur, *hic homo est Deus*, propositio rectior; de Christo autem æquè eloqui fas est, & elocutiones sunt æquæ verè dicendo, *Christus est Deus*, *Christus est homo*, *Christus est immortalis*, *Christus est mortuus &c.* & alia id genus, quia *Christi* nomen, vt alibi exposuimus, denotat vnicum, idemque Verbi suppositum in duplici natura subsistens, idcirco de eo concreta vtriusque naturæ æque bene enunciantur.

Regula obseruanda.

17 Ex his elice regulam in hisce enunciationibus; oportere ad veritatem earum, siuè implicitè, siuè explicitè, quoquomodo explicari personam, seù suppositum; elicitur ex Scoto *littera C.* cuius opinionem & retulimus, & declarauimus; ob cuius regulæ aduertentiam naturæ ad inuicem prædicari nequeunt, quia nec diuinitas est humanitas, nec è contra, immò nec attributa alterius naturæ de altera in abstracto enunciari possunt; cum neque humanitas sit omnipotentia, aut sapientia, nec diuinitas sit passibilis, vel rationalis, mortalis, & similia, immò neque concretum verbale de abstracto enunciari potest; quia non sanè concedetur, *humanitas prædestinat, vel creat*; nec *diuinitas moritur, aut patitur*; nec generatum verbum de nomine abstracto potest prædicari; Rursum nec concretum nominale, quia falsæ sunt hæ enunciationes, *Deitas est homo, humanitas est Deus*; & è contra, hoc est, & falsæ sunt oppositæ, puta *Deus est humanitas, homo est Deitas*, & similes, vt vno verbo, eæ dumtaxat, quæ suppositum inuoluunt, siuè explicitè siuè implicitè declaratum conceduntur; cæteræ non item, nisi aliquæ secundum identitatem.

Obserua egregiam doctrinã ex logicis

Ratio diuersitatis dictorum

18 Huius diuersitatis ratio ex doctrina præiacta liquet; quoniam, si prædicatio ex identitate oritur; cum naturæ non sint eædem inter se, impermixtæ remanentes, & inconfusæ, optimo iure fit, vt nec altera de altera; nec alterius de altera affectiones, quæ ipsam consequuntur essentiam, queant pronunciari, è conuerso autem; cum vnum sit in vtraque subsistẽs natura suppositum, ex vnione ad illud, quoquo modo id explicetur, in concreto tam naturæ, quam affectiones, seù proprietates, & attributa vnius de alia enunciari modo prædeclarato possunt: si quando autem dei-

ta-

tas humanata; aut humanitas Deificata nuncupatur à Patribus; dictum puta non formaliter, sed ratione vnionis in hypostasi, vt sit sensus, Deitas humanitati vnita est, humanitas Deitati in vna eademque Verbi persona,

19 Simile iudicium feras de ijs elocutionibus, quæ in Patrum assiduo versantur vsu; nempè *Deitas est passa*, *Deitas est incarnata*, *Deitas humanitatem ad se assumpsit*; quæ suapitè natura immediatè, ac in formali significato falsæ sunt, verum identico sensu dumtaxat conceduntur, quatenus Deitas pro Verbi persona, cum qua est eadem realiter, supponit.

30 Enimuero negare non ausim consueuisse Patres ad orationis potius ornatum, quam ad veritatem ipsam enucleandam enunciationes quasdam vsurpare, quæ declarationem exposcunt, vt sunt proposita pronunciata; & hæc insuper,

Patrum sensus quis.

duæ naturæ in Christo sunt Deus & homo, quod habet Concilium Arelatense Quartum. *Vtraque substantia, diuina scilicet, & humana sunt vnus Filius*, ex Augustino *in Enchiridione*. *Verbum, caro, & anima sunt vnus Christus*, ex Leone *Epistola* 11. & alia id genus pleraque, quæ in solo causali sensu vera sunt, vt sit sensus primi. *Duæ naturæ sunt Deus, & homo in Christo*, hoc est, ex duabus naturis Christus est Deus homo: secundi, *vtraque substantia sunt Vnus Filius*, idest vnus Filius habet duplicem essentiam, seu naturam, diuinam, & humanam: tertij vero sensus, *caro, anima, & Verbum sunt Vnus Christus*, idest Christus dicit suppositum Verbi habens carnem, & animam.

Concil. Arelat. August. Leo PP.

21 Colligendum ergo ex dictis in solis concretis communicationem idiomatum spectari; ita vt diuina attributa in concreto de Christo verè dicantur, & è conuerso humana de Deo, & Verbo, intellige tu absolutè, & non reduplicatiuè, quia sicuti falsa est hæc propositio, *Christus*, seu *hic homo*, *quatenus Christus*, *& hic homo est omnipotens*; ita hæc etiam falsa est, *Verbum quatenus Verbum est natum*, *passum*, *mortuum*. An autem omnia humana attributa absolutè etiam, & non cum reduplicatione de Verbo dici queant; & rursum an omnia etiam specificatiuè de Verbo possint enunciari, idest, an hæc vera sit, *Christus est peccabilis secundum quod homo*. similiter an hæc sit vera, *Verbum, vt homo est, est creatura, est factus homo, est prædestinatus, est adoptiuus filius*; partim dictum est in superioribus, partim dicetur inferius, nam sequentibus capitibus, quæ hoc tractant, distinctiori prosequemur minerua.

Dictorũ conclusio

QVÆ, ET QVALIS SIT HÆC propositio, Deus est homo.

CAP. II.

22 NOn hic logico more qualitatem, & essentiã propositionis venamur; cum liquido constet, hanc propositam locutionem cathegoricam esse, & affirmantem; sed essentiam, & qualitatem poscimus strictiori modo; vt petamus, an ea sit per se, nec ne, an essentialis, nec ne, an demum vniuocè homo de Deo dicatur, vt de aliis enunciatur hominibus, quo sensu caput præsens non vnam habet difficultatem.

Explicatur quæsiti titulus.

23 Durandus in primis *in 3.d.4.q.2.* quamuis propositam locutionem vt veram concedat, non ita tamen ait esse veram, vt vera est hæc *Franciscus est homo*, & propterea quasi impropriè veram illã esse fatetur, propriam vero locutionem retur hanc, *Deus est humanatus*, vel *humanus*.

Opinio Durandi

24 Contra verò Vasquez *disp. 63. cap. 2.* hanc propositionem, nedum vt impropriam, sed vt falsam negligit, *Deus est humanus*, *Deus est humanatus*, desumendo *humanum*, *& humanatum* à nomine *hominis*, quamuis illam concedat; sumendo nomen *humani* à benignitate, & nomen *humanati* deriuando à verbo *humano*, *humanas* (lis grammaticalis, vt vides.)

Opinio Vasquez

25 Rursum an sit essentialis prædicatio, quod est petere, an vniuocè prædicatum hominis de Deo, & de alijs dicatur, insigne est dubium; Aliqui enim negant prædicatum esse vniuocum; citatur in hanc opinionem à Patre Lugo Vasquez

Na & Ga.

Opinio Vasquez & Gabrielis referte Lugo
Opinio Scoti, & Gabrielis vera.
Opinio Thomistarum & Suarij Bonacina, & Becani
Opinio Lugo

Gabriel,is *disp.68.num.* 20. hic vero *dist.* 7.*q.Vnica artic.*3,*dub.vltimo*, sed perperam, & gratis, vt infra dicemus, alij prædicatum rentur vniuocum, sed non vniuocè ita Scotus *d.*7.3,*sent.q.*1.& Gabriel *loc.cit.* falso à Lugo in oppositam vocatus sententiam, vt videre est apud eum confitentem *dub.*2. hominem esse vniuocum ad Deum, & ad alios homines, sed subdentem *dubio* 4. non essentialiter de Deo, vt de alijs hominibus prædicari. Alij, absolutè prædicari putant hominem de Deo, & nobis vt vniuocum, & vniuocè, ita Thomistæ omnes cum S. Thoma 3.*p.q.*16. *art.* 1. vbi & Suarez *in commentario articuli*, Becanus *cap.*7.*q.*2. & Bonacina. Alij demum arbitrantur litem esse de nomine, quia si prædicari vniuocè intelligatur solum prædicatum retinens eandem significationem cum prędicatur de inferioribus; quidquid prædicatur vt vniuocum, prædicatur vt vniuocè, si vero intelligatur prædicari vniuocè dici eodem modo de inferioribus, homo non dicitur vniuocè de nobis, & Deo, quia de nobis essentialiter, non ita de Deo, ita Ioannes à Lugo *disp.*23.*sect.*1.

Fabrii sententia

26 Faber *disp:* 17. *capit.* 2. more suo cõfutatis aliorum sententijs ex alia, quã in Philosophia naturali pięcerat doctrina de prædicatione in quid, & vniuoca vniuocè (secundum quam rebatur distingui prædicari in quid à prędicari vniuocè; qui obinde loquens de prædicatione entis respectu suarum passionum, vltimarum differẽtiarũ, ac modorum, dixerat ens prædicari vniuocè, sed non in quid) concludit de propositione proposita; hominem esse prædicatum vniuocum respectu Dei, & Petri, & prædicatum in quid, sed non vniuocè prædicari, & in quid; Æstimat .n. in vnoquoq; genere esse quid, & quando superius de inferioribus prædicatur putat prædicari in quid; ita color in quid prædicatur de albedine, & nigredine, licet de subiecto, cui inheret, vt de Petro, & Ioanne prædicetur in quale accidentale. Ad rem ergo concludens hominem de Deo, & Petro dici in quid subdit non dici vniuocè in quid, sed sicut accidens de subiecto; seù videtur habere talem habitudinem, qualem habet accidens ad subiectum.

Lis alia in qua affirmãt Thomistæ, & Richardus, & Argentina
Negat Scotus Gabriel Durãdus Marsilius, Vasquez Lugo.

27 An rursum hæc sit prædicatio perse, *Deus est homo*, controuersiam habet; affirmantibus Thomistis cum Caietano *in comm.art.*1.*q.*16.3.*partis*; quos sequitur Richardus, & Argentina; negante Scoto in 3.*dist.*7.*q.*1. cum Scotistis; quos sequuntur Nominales cum Gabriele *l.c.* Durando, Marsilio, & alijs, & ex Recentibus Vasquez, & Ioannes à Lugo *sect.*2. Demum, an ea propositio naturalis sit, an credita: videtur esse dubium ex Thomistis *l.c.* qui naturalem illam, seù in materia naturali constatam extimant, contra quos sentiunt Scotistæ *l.c.* cum cæteris nuper enumeratis.

28 An etiam in materia necessaria sit, an contingenti; Thomistæ necessariam in illa materiam; Scotistæ contingentem, alij vtramque agnoscunt; necessariam quidem, quatenus prædicatio est substantialis: contingentem autem, quatenus potest esse falsa. Sic in vna breui oratione logica tot vides cõcertationes, ac dissidia, logica, inquam, quia disputatio vniuersa logicalis est, & de vocibus, & propositionum veritate; cum in re ipsa nullum Catholico viro negotium facessat.

Obseruatio prima
De modis dicẽdi per se

29 Nos hisce monitis aperiemus, quid Scotus, & nos post ipsum sentiamus. Primum est, modos dicendi perse, quos Aristoteles memorat *in primo de posteriori resolutione*, etsi quaternario numero conclusos demonstratori nõ omnes aptari: est enim tertius omnino ineptus, qui potius modus inhærẽdi, seù essendi dicitur, in quo potissimũ viget prædicatio de secũdo adiacente; quartus etiam in quo causalitas inhæsionis prædicati cũ subiecto exponitur, vt occisus propter vulnerationem interijt, è veris dicendi perse modis ablegatus est: quarè primus cum secundo dumtaxat verum perse dicendi modum complectitur; est autem primus cum diffinitio, vel pars diffinitionis, dicitur de subiecto, & generatim cum prædicatũ est de quidditate subiecti, vt homo est animal, homo est rationalis, homo est animal rationale: secundus vero modus est, cum subiectum est de diffinitione prædicati; ita passio dicitur de subiecto, quod in eius diffinitione inuoluitur.

30 Hæc ex logicis, ex quibus etiam peten-

tendum, propositiones per se includere prædicationes de omni, ita siquidē docuit eo loci Aristoteles, debere .f. prædicationes propositionum demonstrationis esse de omni, per se, & secundum quod ipsum, hoc est, ad conuertentiam. Est autem prædicatio de omni duplex, de omni, quod vocant prioristico, & de omni posterioristico; prædicatio de omni prioristico latior est, quia quamquam in ea debeat prædicatum dici de quocumque contento sub subiecto, non tamen omni tempore; prædicatio autem de omni posterioristico est, cum prædicatum dicitur de subiecto, & de quocumque contento sub eo, & semper est vera.

Prædicatio de omni est duplex.

Admonitio secunda

Explicantur diuersi modi vniuocationis

31 Secundum, quod monemus, est. Vniuocū ex Aristotele in vestibulo libri de prædicamētis diffiniri, vt sit quod de suis vniuocatis dicitur secundum nomen, ac rationem eamdem, ita vt vnitas vocis, & conceptus vniuocationem generatim patiat: quoniam autem hæc ipsa vnitas multifariam accidere potest, inde fit etiam, vt multi dentur apud Scotistas præsertim vniuocationis gradus. Contingit interdum quippiam dici de suis inferioribus secundum nomen, & rationem eandem, secundum eumdem modum essendi, secundum eumdem ordinem essendi, & secundum eumdem gradum perfectionis, vt homo de Francisco, & Petro dicitur secundum nomen idem, quod est vtrique commune, secundum eandem rationem, quia in vtriusque diffinitionem cadit, secundum eundem modum essendi, quia in vtrisque finitæ est entitatis, secundum eundem ordinem essentialem, quia non prius vni, quam alteri conuenit, secundum eundem gradum perfectionis, quia non est Petro Frācīscus homo magis, aut è contra; & hic potissimus est vniuocationis gradus.

Gradus primus.

Gradus secundus.

32 Contingit interdum superius dici de Inferioribus secundum idem nomen, & rationem eandem, secundum eundem modum essendi, secundum eumdem ordinem essentialem, at non secundum eundem perfectionis gradum, vt animal de homine, & boue, est siquidem vtrique commune secundum nomen, ac rationem, in vtroque ens finitum; non per prius in vno, quam in alio; licet perfectius in homine, quam in boue.

Gradus tertius.

33 Contingit quandoque dici superius de inferioribus secundum identitatem nominis, ac rationis, & secundum eundem essendi modum; licet non secundum eundem ordinem, neque secundum eundem gradum perfectionis: ita ens creatum communissime sumptū dicitur de creata substantia, & accidente secundum identitatem nominis, & conceptus, & secundum eundem modum essendi, quia in vtrisque finitè, non tamen secundum eundem ordinem, quia per prius dicitur de substantia, quam de accidente, neque secundum eundem gradum perfectionis, quia perfectius in substantia est, quam in accidente.

Gradus quartus

34 Contingit demum superius prædicari secundum nomen, & conceptum eūdem solum, dempto eodem modo essendi, ordine eodem essentiali, & gradu consimili perfectionis: quemadmodum ens ipsum communissimè sumptū dicitur dè Deo, & creatura vtique secundum identitatem conceptus, & nominis; quia & Deus, & creatura sunt entia, & entis rationem, seu conceptū participant, licet non eodem modo; quia Deus infinitè, creatura finitè: non eodem ordine: quia Deus à se, creatura à Deo: non eodem gradu; quia Deus perfectissimè, creata verò quæcunque imperfectissimè.

Analogia vbi reperitur

In hisce vniuocationis gradibus analogiam admittimus, excepto primo, qui vtpotè perfectissimus analogiam spernit; analoga namque tām cum æquiuocis, quam cum vniuocis coire posse in Logicis dictum est, nec omnia permixta simul licet vbicunque confecte, quæ hùc solum ex aliarum scientiarum decursu, quæ huic facultati ancillantur, præcepta prolata sunt, vt crasso quodam, ac rudi stylo vniuocationis cognitio in mentem redit.

Quid sit vniuocè prædicari

35 At nunc inspiciendum est quid sit vniuocè prædicari, Thomistæ, tum in ante prædicamentis tum in lib. de ente, & Essentia vel nullam planè, vel modicam agnoscunt differentiā inter prædicatū vniuocum, & prædicari vniuocè; ansam porrigente Aristotele in lib. prædica-

Nn 2 men-

Opinio Thomiſtarum.

mentorũ diffiniente vniuoca, quæ eſſe dixit ea, quorum nomen commune eſt, & ratio eadem accommodata ſecundum idem nomen; quo loco Interpretes rationis vocabulo quidditatem, vel eſſentiam, ſiuè naturam exponunt; vt ſit ſenſus; vniuoca eſſe, quæ habent idem nomen, ac diffinitionẽ eamdem, ſumpto etiam argumento ex græco idiomate; quo vniuocum idem ferè eſt, ac ſynonimum. Hinc Thomiſtæ analogiam nacti ſunt tertiam ab vniuocatione, & equiuocatione ſpeciem diſtinctam: hinc etiam vniuocationem, & vniuocè prædicationem confundentes eadem dixere vniuoca prædicata, quæ vniuocè prædicantur; ita vt quæ non vniuocè dicuntur, nec vniuoca ſint, ſed vel analogicè, vel æquiuocè, vel denominatiuè prædicentur.

Opinio Ochami & Gabrielis.

36 Nominales cum Ochamo *quol.*4. & Gabriele *in* 3. *diſt.*7. *q. vnica dub.* 2. & 4. idem eſſe rentur prædicari vniuocè, & prædicari in quid, vt ſpecies ſpecialiſſima, ſeù idem in quid, ac de pluribus numero differentibus eſſentialiter; diuiſionem, ac diſtinctionem patientes inter vniuocum prædicatum, & vniuocè prædicari. Horum tamen aſſerti falſitas ex prædicatione entis conuincitur quod dicitur cõmune in quid, & vniuocè de Deo, & creatura, nec tamẽ eſt genus, aut ſpecies: vide Scotum *in* 1. *d* 8. *q.*3. niſi appoſitè loquantur de prædicamentalibus, non autem de traſcendentibus.

Opinio Scotiſtarum Tubetæ, & Tatareti Fabri Baſſolij, & Licheti

Diſſident in explicanda Scoti ſententia

37 Scotiſtæ tum *in formalitatibus*, cum Tubet 1 *art.* 1. tum *in logicis* cum Tatareto *in ſummulis tract.* 2. *in fine & in prædicamẽtis cap. de Æquiuocis*, cũ *in Philoſophia naturali*, cum Fabro *theorem.* 95. *cap.*4. tum *in Theologia* cum Baſſolio, & Licheto, *in* 3. *d.* 7. *q.* 1. vniuocum prædicatum & prædicari vniuocè poſtulantes, non conueniunt in explicanda veritate & Scoti doctrina. Lichetus, & Baſſolius prædicari in quid & vniuocè in idem reuocant, & quoddam aiunt prædicari vniuocum, quod non in quid, & proindè duo aſſerunt. Primum diſtingui prædicatum vniuocum à prædicari vniuocè: ſecundum, idem eſſe rentur prædicari in quid, ac eſſẽtialiter. Tataretus *in ſummulis* prædicari vniuocè eſſe ait prædicari vno nomine, & vna ratione, & propterea confundit prædicatum vniuocum cum prædicato vniuocè, *in prædicamentis autem capite de ſubſtantia* expendens proprietatem ſecundã ſubſtantiarum ſecundarum, quæ eſt vniuocè prædicari, videtur diſtinctionẽ pati inter vniuocũ, & vniuocè prædicatum, quia hoc retur prædicatum eſſentialiter, illud vero ſitum putat in communi conceptu obiectiuo pluribus.

Tataretï ſenſus.

Tubetæ explicatio

Tubeta *in formalitatibus* diſtinguit vtiquè prædicatum vniuocum ab eo, quod vniuocè prædicatur; an autem idem ſit prædicari in quid, & vniuocè dubitat.

Fabri placitum.

Faber autem abſquè hęſitatione *Theorem. illo*, aliud eſſe putat prædicari vniuocè, aliud predicari in quid: vnde ſuſtinet ens vniuocè prædicari de ſuis vltimis differentijs, modis, & proprietatibus, non tamen in quid, & è contra multa putat prædicari in quid, quæ non vniuocè; nam color in quid prædicatur de nigredine, & albedine, non tamen vniuocè, cum ſit accidens; prædicatur autem in quid, quia ex Ariſtotele, immo ex Scoto *in* 3. *d.* 7. *q.* 1. in vnoquoq; genere eſt proprium quid.

Varia auctorum reſponſio ad quęſitum

38 Ex hac tanta varietate circa ſignificatum nominis vniuoci prædicati, & vniuocè prædicati orta eſt varia authorum ſententia de propoſitione propoſita in titulo capitis, *Deus eſt homo*, an ſcilicet hæc ſit vniuoca, & vniuocè; etenim quicumque cum Thomiſtis pręlicatum vniuocum à prædicato vniuocè non diſtinxerunt, eam vniuocam, & vniuocè cõfeſſi ſunt. Quicumque cum Nominalibus prædicari vniuocè ſolis ſpeciebus ſpecialiſſimis aptarunt, quia ex Ariſtotele eſt ſecundarum ſubſtantiarum proprium vniuocè prædicari de primis, propoſitionem allatam vtique vniuocam confitentur, ſed vniuocè prædicari negant, in qua licet homo ſit ſpecies, Deus tamen, qui eſt ſubiectum, non eſt indiuiduum hominis, aut eius ſuppoſitum. Quicumque cum Antiquioribus Scotiſtis prædicari in quid, & vniuocè confundunt, vti negant propoſitionem illam, *Deus eſt homo* in quid, ita negant eſſe vniuocam vniuocè. Faber verò diſtinctionem comminiſcens inter prædicationem in quid, & vniuocam vniuocè, illam, vt diximus, in quid fatetur, vniuocè in quid negat.

Ego

Prædicationem in quid, & vniuocè vniuocè eandem esse probatur ex Scoto 1.

39 Ego in primis Scoti mentem aperiã, vt aliorum dictorum veritas pateſiat; mox Fabrum vrgebo. Scotus igitur de prædicato vniuoco, & vniuocè multis in locis effatus eſt, & primo *in Prol. ſent. ſub fine q. 5.* immò *ſub fine prologi vniuerſi*, vbi vniuocationem partitus eſt in completam, & diminutam, completam vocat eam, quando eſt ſimilitudo in forma, & in modo eſſendi formæ; diminutam eam, quando eſt ſimilitudo in forma, ſed non in modo eſſendi formæ. Quibus, vt vides, vnum ex illis quatuor vniuocationis modis, quos ſupra tradidimus, præſtolatus eſt.

Secundo.

Secundo exactius de vniuocatione locutus eſt *in 1. diſt. 3. q. etiam 3. litt.* F. poſtulans vniuocationem entis, vbi probaturus, quod ens non eſt vniuocum dictum in quid de omnibus per ſe intelligibilibus, quia non de differentijs vltimis, prædicari in quid confundit cum prædicari vniuocè, vnde ſic arguit. *Si differentiæ includant ens vniuocè dictum de eis, & non ſunt omnino idem, ergo ſunt diuerſa aliquid entia, talia ſunt propria differentia ex 5. & 10. Meth. ergo differentiæ illæ vltimæ propriè erunt differentes, ergo alijs differentijs differunt; quod ſi illæ aliæ includunt ens quidditatiuè arguitur de eis, ſicut de prioribus.* Hæc ibi, quibus, vt vides, pro eodem accipit prædicari vniuocè, & in quid, alias argutio eſſet ridicula, quia in antecedentibus propoſitionibus aſſumit prædicari vniuocè, & in concluſione concludit de prædicari in quid.

Tertio

40 Tertiò adhuc dilucidè, ac luculenter magis in *eodem primo diſtinct. 8. q. 3. Ad argumenta opinionis oppoſitæ*, mihi *lit.* E. habet hæc verba loquendo de animali, &c. *& tamẽ nõ dicitur de differentijs vniuocè, hoc eſt in quid.* Quibus ſenſiſſe Scotum prædicari vniuocè, & in quid in idem omnino redire, nihil poterat dilucidius dici.

Quarto

41 Quarto *ibidem* diſtinguens vniuocum à denominatiuo ait, quod prædicatum denominatiuum quandoque mediat inter æquiuocum, & vniuocum, quod euenit, quando quod eſt vniuocum prædicatum vniuocè prædicatur. Explicans autem, quid ſit vniuocè prædicari, ſubdit. *ſcilicet quod ratio eius eſt ſubiecti ratio.* quandoq; vniuocum, & æquiuocum apud logicos ſunt immediata. Vbi ex Scoto habes prædicari vniuocè eſſe quando ratio prædicati eſt ratio ſubiecti, quod etiam reperie *in 3. diſt. 7. quæſt. 1. §. 4. videndum*, ſed ibi etiam habet, quod non quidlibet cuiuſcunque generis prædicatur in quid de quocunque, ſed de ſuo inferiori, in cuius ratione eſſentiali includitur.

Confectarium ex doctrina Scoti.

42 Ex quibus educitur, quod prædicatio in quid eſt, quando ſuperius eſt de ratione inferioris: quid eſt autem hoc dicere, niſi aſſerere, quod prædicatio in quid eſt, quando prædicatum eſt de ratione ſubiecti, ſeu quando ratio eius eſt ratio ſubiecti, cum ſatis conſtet ſubiectum ad prædicatum in propoſitionibus per ſe habere ſe tamquam inferius ad ſuperius, ſed eadem eſt diffinitio prædicationis vniuocè per Scotum *locis citatis*, ergo ex Scoto prædicari vniuocè, & in quid ſunt omnino idem. Voluntariè igitur Faber ex Scoto prædicationem in quid à prædicatione vniuoca vniuocè ſegregauit.

Fabri oppoſitio 1. tollitur

43 A (ait Faber) ex Scoto *ibi*, immo ex Ariſtotele *primo Thopicorum cap. 7.* in omni genere eſt reperire quid. Non diſſentio, ſed ibidem etiam ſubinfert Scotus, non quodlibet cuiuſcumque generis, & de quocumque prædicari in quid, ſed duo expeti ad prędicationem in quid, alterum quod ſuperius dicatur de inferiori, alterum vero, quod ratio ſuperioris eſſentialis includatur in ratione inferioris.

Oppoſitio ſecunda eneruatur

Rurſum inſultat Faber. Accidens prædicatur in quid de ſuis inferioribus, vt color de albedine, & nigredine, nec tamen vniuocè. Sed ſi prædicationem in quid rigoroſè ſumat, vapulabit apud Philoſophos, apud quos vtique in omni genere datur quid, hoc eſt quidditas, ſeu eſſe rei; quoniam ſicuti ſubſtantia ſuum habet eſſe, ita accidens ſuum, at prędicatio in quid rigoroſa eadem eſt cum prædicatione vniuoca vniuocè, eſtque ſubſtantiæ proprietas, vt in prædicamentis patet: quare eo modo, quo prædicationem illam coloris de albedine dixerit in quid, dicere poterit vniuocam vniuocè, abuſiuè videlicet, & impropriè.

44 Quare ex his colligendum arbitror idem eſſe prædicari in quid, & vniuocè

cum-

Prædicatio in quid duplex

cumque prædicatio in quid bifariam accidat; primo modo in quid absolutè, quo pacto genus, & species in quid dicuntur, illud quidem de speciebus, hæc autem de indiuiduis; alio modo in quale quid, quomodo differẽtiæ generis diuisiuæ, ac speciei constitutiuæ, & speciem contrahentes ad indiuidua in quale quid dicuntur; ad omnes hos prædicandi in quid modos prędicationem vniuocam vniuocè extendo, vt nedum (exempli gratia) animal in quid, & vniuocè dicatur de boue, & homine, & rursum homo de Francisco, & Petro, sed & rationalitas, quæ in quale quid dicitur, vniuocè dicatur de eodem Francisco, & Petro, adeo vt in quacunque prædicatione quidditatiua, siue absolutè, siuè qualitatiua vniuocatio vniuocè reperiatur ea ratione, quam tulimus, quia in quid & vniuocè sunt idem; non enim prædicatio differentiæ est vniuoca vniuocè, quia in quale, sed quia in quid; propterea in accidentibus tam propriis, quam communibus desiderata rigorosè prædicatione in quid, desideratur pariter prædicatio vniuoca vniuocè. Atqui hec quantum loci præsens occasio passa est ad dicendorũ intellectum.

Assertio prima

Hæc propositio Deus est homo non est per se.

45 Hisce monitis assero primum: Hanc propositionem, *Deus est homo*, non esse per se. Probatur, quia nec in primo, nec in secundo modo, quos diximus ad scientificos spectare; non equidem primo, quia *homo*, qui est propositionis prædicatum non est de ratione Dei, qui est subiectum; nec in secundo modo, quia *Deus*, qui est subiectum, non est de ratione hominis, qui est prædicatum, nec homo est passio, seu proprietas Dei, quæ in secundo modo dicendi per se prædicatur, in cuius videlicet ratione cadit subiectum saltem, vt additum.

Responsio Caietani

Thomistæ huic argumento, quod ex Scoto depromptum est, cum Caietano respondent distinguendo subiectum, Deus enim, qui est eius propositionis subiectum, accipi potest dupliciter, primo pro Deitate, quæ est in tribus, seu pro tota Trinitate, & sic ratio probat, quoniam homo non est de ratione Dei, secundo sumi potest apposite pro vt supponit pro hypostasi humana, & sic falsa est arguitio Scoti, quia est de ratione subiecti prædicatum.

Reprehenditur à Fabro

46 Hanc responsionem redarguit Faber, quia pari modo possemus dicere, quod hæc est per se, *Essentia diuina est homo*, quia posset quis dicere, essentiam supponere pro Verbo, seu pro Christo subsistente in natura humana. Sed hæc oppositio leuis diiudicaretur à Caietano, qui optimè nouit diuersitatem vtriusq; propositionis huius, scilicet, *Essentia est homo*, in qua concretum prædicatur de abstracto, & huius, *Deus est homo*, in qua concretum dicitur de concreto; nam in illa *Essentia* non potest supponere pro eo, quod nullo modo significat, in hac vero *Deus*, qui est nomen concretum potest supponere pro supposito; quoniam concreta connotant saltem, sin minus de formali suppositum significant.

Sed frustra

Impugnatur à Lugo.

47 Ideo præfata Caietani responsio impugnatur aliter à Lugo; quoniam si distinctio Caietani concedatur, nulla esset propositio Contingens, sed vel necessaria, vel identica, necessaria quidem, quia si in hac propositione *Homo est albus*, subiectũ homo supponeret pro tali homine determinato, prout habente albedinẽ, ei sub ea consideratione necessario competeret albedo; identica autem, quia esset hic sensus, homo albus est albus.

Sed leuiter

Verum hæc impugnatio leuior censeretur à Caietano, qui subiectum illius propositionis intelligit pro supposito gerente vices humani, quamuis sit diuinum, vt sit sensus, *Deus est homo*, id est hic homo, qui est suppositum diuinum sustinens naturam humanam, est homo, seu hoc suppositum est homo; quo sensu arguitiones Lugo inanes sunt; non enim est sensus, *Deus homo est homo*, vt ipse assumit, sed vel *hic homo, qui est suppositum tale est homo*, & sic videretur prædicatio speciei quasi de indiuiduo, vel *hoc suppositum Verbi est homo*; negaret ergo Caietanus futuras omnes propositiones necessarias, vel identicas; necessarias quidem, nam in hac propositione, *homo est albus*, subiectum non supponeret iuxta exemplum Caietani pro homine tali habente albedinem, sed pro hoc, vel illo homine, de quo prædicatur albedo, sicuti in propo-

fitione

fitione illa *Deus est homo*, Deus supponit pro supposito humano, seu pro supposito diuino vices gerente humani modo exposito, secundum quem etiam rideret Caietanus deductionem de propositione identica, quia sicut hæc propositio, *homo est albus*, non esset identica, dum subiectum non stat pro habente albedinem, sed quatenus est indiuiduum vagum stat pro indiuiduo signato, ita nec illa, *Deus est homo*, in qua Deus stat pro indiuiduo signato hominis.

Aliunde refellitur Caietanus.

48 Aliundè ergo castiganda est Caietani responsio, & me iudice ex nominū significato; hìc siquidem non de facto altercamur ex fide conscij verè Deum hominem esse; sed logicè disceptamus de veritate propositionum; quarum veritas ex terminorum notitia, ac significato præcipuè petenda est, sed hic terminus, qui est eius propositionis subiectum *Deus*, ex rigore vocis indiuiduum vagum Deitatis significat; non vero suppositum aliquod; & siquod posset significare suppositum, certè non humanum, sed diuinum, extra cuius rationem perpetuo est humanitas: quarè ex terminis propositio nusquam per se esse potest, & si etiam suppositum posset significare humanum, adhuc propositio veritatem de perse non haberet, cū apud logicos, hæc propositio *persona humana est homo*, non sit per se, tam apud illos, qui personalitatem in positiuo constituunt, quam apud eos, qui sola negatione personalitatem asseruere compleri; singulis consentientibus de indiuiduo fortè prædicationem factam esse per se vt dicendo Petrus est homo, Franciscus est homo, est enim prædicatio speciei de suis indiuiduis, non autem de persona.

Alia Caietani obiectio tollitur

49 Quod si Caietanus insurgat, & Petrum, & Franciscum esse personas, non indiuidua: Occurram vtique esse personas, sed de eis prædicari naturam specificam, vt indiuidua sunt proprio nomine signata, non vt personæ, extra cuius rationem est humanitas; nam si completur negatione, nullum positiuum est de ratione: negatiui si positiuo cum negationibus, vltima illa actualitas non includit in suo formali cōceptu humanitatem; postulati namque, quid sit illa actualitas vltima? Respondemus esse modum quendam non ordinabilem ad ceteriorem actum, nullamque obindè humanitatis in eius nomine facimus memoriā. quod planè in primo modo dicendi per se necessum esse dictum est, in quo prædicatum debet esse de diffinitione subiecti.

Secūdo probatur assertum

50 Præterea principaliter: Propositio per se logica præsupponit propositionem de omni ex Arist. 4. *cap. 1. de post. resolut.* tam de omni prioristico, quàm posterioristico; sed hæc propositio, *Deus est homo*, nullo modo est de omni; ergo nullo modo per se. Minorem probo; quia nec de omni contento sub subiecto prædicatum dicitur, nec omni tempore, non equidem omni tempore; quia ante hoc opus à Verbo præstitum, hæc propositio falsa erat, *Deus est homo*, neque etiam de omni contento sub subiecto, cum non prædicetur homo de quocunque, quod est Deus; non enim de Patre, qui est Deus; nec de Spiritusancto, qui est Deus.

Caietani obiectio refutatur

51 Huic argumento secundum formam non respondent Thomistæ, quia nec ex Scoto, neque ex Scotistis depromitur, quatenus autem secundum materiam innoluit debere prædicatum dici de quocunque contento sub subiecto, Respondet Caietanus ex superiori eiusdem doctrina in hac propositione, *Deus est homo*, subiectū non esse indeterminatū, neq; supponere pro indiuiduo, siuè cōcreto Deitatis, q de tribus personis dicitur; sed appositè supponere pro Verbi persona vicem gerente humani suppositi, hoc autem sensu nomen, Deus, non cōperit Patri, aut Spirituisācto, quoniā nec Pater, nec Spiritus sāctus supponunt pro hypostasi humanitatis, sed filius solus, qui naturam humanam in se suppositauit.

Notabilis doctrina.

52 Verum hæc doctrina explosa fuit ex dictis, nec alia indiget confutatione, nisi admonitione tantum, quod vera prædicatio per se est generis de specie, seù differentiarum de eadem, non vero speciei de indiuiduis, quorum prædicatio si dicatur per se, id intellige verum esse ratione speciei, quam habent, propriè enim indiuidua diffiniri nequeunt, vt in logicis, in quibus cùm modus dicendi per se primus expostulet, vt ratio præ-

prædicari sit ratio subiecti; velqoe supponitur debere subiectum diffinitionem pati; idcirco notanter in superioribus dixi forrè prædicationem de indiuiduis factam esse per se; non verò assertiuè, quia non formaliter est per se, sed per quendem similitudinem, secundum quam, sicuti species, quæ verè diffinitur habet de se prædicationem generis per se; ita si indiuiduum finiri posset, finiretur per speciem, & proinde species de diffinitione eius prædicata de eo faceret prædicationem per se, reuera tamen finiri non potest, cum omnis diffinitio assumere debeat genus, & differentiam, homo autem ad indiuidua non est genus, nec est aliqua essentialis differētia contrahens hominem ad indiuidua: ex alio etiam capite non est vera per se prædicatio speciei de indiuiduis, quia scilicet omnis propositio per se debet etiam esse de omni, nedum prioristico, vt scilicet omni tempore prædicatum verè enunciari queat de subiecto, sed & posterioristico, vt scilicet de quocūque contento sub subiecto dicatur, planè licet prædicatio speciei de indiuiduis vera sit omni tempore, non est tamen vera de omni contento sub subiecto, quia sub singulari, & indiuiduo nihil est adinuenire. Porrò qood indiuiduorum non sit diffinitio est Aristotelis doctrina *in secundo de posteriore resolutione*, quare eatenus prædicatio speciei de indiuiduo dicitur per se; quatenus si fieri posset, vt indiuiduum finiretur, haberetque sub se alia; ita prædicatum esset de ratione subiecti, vt de eo semper, & de quocunque sub eo contento diceretur: & rursum eatenus ea prædicatio dicitur per se, quatenus prædicatum de indiuiduo est de eius essentia, vt homo dicitur de Francisco, & Petro, quamuis verè diffinitionem eius non ingrediatur, quod verè diffiniri non potest.

Indiuiduorum non est vera diffinitio.

53. Ex hoc moniro Caietani doctrina exploditur; nam si *Deus* in hac propositione, *Deus est homo*, stat pro hoc indiuiduo, seu pro persona Verbi, vt supplet rationem personæ creatæ, prædicatio non est de omni, neque per se ex dictis.

54. Contra eandem Caietani, ac Thomistarum sententiam, & pro assertione vrgeri potest Durandi ratio, quæ probat, propositionem per se esse verem in sensu reduplicatiuo, vt dicendo *homo secundum quod homo, seu inquantum homo est animal rationale*, sed allata propositio *Deus est homo*, in sensu reduplicatiuo est falsa, ergo non est per se. Minor est euidens, quia in sensu reduplicatiua illa facit hunc sensum, *Deus in quantum Deus, seu secundum quod Deus est homo*, hæc autem falsissima est, vt oculato cuiuis patet &c.

Vrgetur Caietanus ex Durãdo

Maior eurem probatur à Lugo, quia per Aristotelem idem est prædicatum per se, & secundū quod ipsū. Hæc temē probatio maioris falsa est, quia quem'uis eueniat, vt dum tota diffinitio de diffinito dicitur, vel differentia de subiecto, prædicatio dicatur secundum quod ipsum, hoc est ad conuertentiam, cum sit uera æquè hæc *Animal rationale est homo*, seu *rationale est homo*; ac ille, *homo est animal rationale*, seu *est rationalis*, quia scilicet animal rationale est tota hominis diffinitio, & rationale secundum se est illius essentialis differentia, cū tamen genus prædicatur de specie, etsi prædicatio est per se, vt hæc, *homo est animal*, non tamen est secundum quod ipsum, & ad conuertentiam; quia non est hæc vera per se, *animal est homo*. Probatio ergo maioris illius ex terminis petenda est, quoniam sensu reduplicatiuo rationem formalem subiecti reduplicamus, hæc vero est eius diffinitio, seu essentia, proindeque sensus reduplicatiuus huius est *Deus est homo* scilicet *Deus secundum rationem formalem Deitatis, siuè secundum quidditatem Deitatis est homo*, quæ non potest esse per se, nec vera; in propositionibus autem veris per se hic est sensus, *homo est animal rationale*, scilicet, homo secundū suam diffinitionē, seu secundum suam quidditatem, & essentiam est animal rationale; quæ propositio verissima est; etenim animal rationale & diffinitionē complet hominis, estque eius quidditas, & essentia. Noues contra hanc rationē instātias consule apud Lugo, & Vasquez.

Corrigitur Lugo

55. Ex his ergo deduc ad assertum nullo modo per se esse hāc propositionem, *Deus est homo*, quia non primo modo, vt pro-

Probatur assertum

vt probatum est, sed neq; secundo, quia nec homo est Dei proprietas; nec Deus cadit in diffinitione hominis, quæ omnia, omniũ consensu post Aristotelem, ad secundum dicendi per se modum expetuntur, sed numquid eius opposita, est per se, scilicet hæc propositio non, verè opposita, sed connexa, *homo est Deus.* Dicendus cum Petro à Paludes aiunt, esse per se si nomen *homo.* & *Deus* accipiantur pro supposito; sed hæc responsio falsa est, quia si illi termini accipiantur pro supposito, sensus est, suppositum hominis est suppositum, Dei, quæ propositio falsissima est, cum nullum hominis suppositum in hoc mysterio, vt in disputationum nostrarum decursu probauimus, & si per impossibile quid esset suppositũ hominis, adhuc propositio non esset per se, quoniam, suppositum Dei, quod esset prædicatum illius propositionis, nullo modo est de essentia suppositi humani, quod esset subiectum.

Opinio Durãdi De hac propositi one Homo est Deus.

Falsa est

56 Gabriel Vasquez, *disp.68.num.12.& 13.* distinction: vtens ait, quod hæc propositio, *homo est Deus*, cum subiectũ sit indiuiduu n vagum non est per se; sed hæc propositio, in qua indiuiduum signatur dicendo, *hic homo est Deus*, est per se, sed hæc responsio flocciſit ex dictis; nam si huic indiuiduo humanitatis Deitas nõ conuenit in primo modo dicendi per se, quæ nec eius est diffinitio, nec diffinitionis pars, quo modo se debent habere prædicata primi modi dicendi per se; neque ipsa propositio per se erit. Atqui Deitatem ei non conuenire per se patet, quia contingenter, & per accidens Deitati vnita est illa humanitas singularis, & hoc secundum rem; logicè autem indiuiduũ illud humanitatis nequit finiri, siquè finiri posset, nusquam in quidditatiuam illius diffinitionem caderet Deus.

Opinio Vasquez

Ad huc falsa

57 Ioannes à Lugo eadem distinctione, vsus *disp.23.sect. 2. num.47.* negat hanc esse per se, *homo est Deus*, similiter, & hanc, *hic homo est Deus*, sumendo hunc hominem pro indiuiduo, at sumendo hunc hominem pro supposito determinato humanæ naturæ hanc ait esse per se, *hic homo est Deus*, idest, hoc suppositum humanitatis est Deus, sed hæc responsio futilis est, siquidem in hoc mysterio suppositum hominis nullum est, solo superstite Verbi supposito, quare subiectum illud, *hic homo*, nequit suppositum designare humanum; quod hic nullum est, sed vel indiuiduũ naturæ humanæ, & sic redit responsio Vasquezii, vel suppositum Verbi supplens humanum suppositum, & tunc acceptio, seu significatio nimis à longè sũpta est; nec facit propositio sensum à Lugo adductum; sed hunc, *hic homo est Deus* scilicet *hoc suppositum Verbi, quod supplet vices humani suppositi, est Deus*, quod est dictu *Verbum est Deus*; de qua prædicatione nullus est ambigendi, sed nec quærendi locus.

Opinio Lugo.

Itidem falsa.

58 Ego arbitror neutram esse per se, neque illam scilicet *homo est Deus*, neque hanc, *hic homo est Deus*, ob eas, quas hucusque rationes tetigimus, constitũ namque propositionẽ per se debere assumere prædicatum de ratione subiecti, constat vtique Deum vtriusque propositionis prædicatum nullo modo ad indiuiduum hominis vagi, & signati habere se tamquam diffinitionem, vel diffinitionis partem, & consequenter constat nullo modo constitui propositionẽ per se, hoc enim loco propositionẽ per se Logicè, non alio modo sumimus.

Opinio Authoris

59 Maior vrget dubitatio de aliis propositionibus in hoc mysterio, an sint per se hæ videlicet, *Christus est homo*, *Iesus est homo*, *Emanuel est homo*, deque earum consectariis ad vnionem, scilicet, *Christus est Deus*, *Iesus est Deus*, *Emanuel est Deus*. Simpliciter has propositiones non esse per se sensisse Scotum refert Ioannes à Lugo *loc.cit.num.52.* & cum eo Bassolium, & Paludanum, sed quidquid sit de Petro à Palude, certè Bassolius cum Scoto sensit, dum *d.7.q. vnica art. 1. in fine* statuit, hanc propositionem, *Christus est homo*, esse magis per se, quam hanc, *Verbum est homo*, licet non sit per se aliquo illorum modorum ab Aristotele adductorum *4. cap. 1. Post. &c*, Quibus videtur necesse subiectum debere esse per se vnum, seu debere habere conceptum per se vnum; qualem, non habet Christus, qui dicit suppositum Verbi subsistens in duplici natura, Scotus etiam hoc idem tradit *d.7. q. 1. litt.mihi E. paulo ante solutionem argumentorum*, colligens hanc, *Christus est homo*,

Quid de propositionibus istis Christus est homo, Iesus est homo, Emanuel est homo

non esse omnino per accidens, quia subiectum includit prædicatum, nec omnino per se, quia conceptum per se vnum in se non habet subiectum illud *Christus*, non ergo Scotus, & cum eo Bassolius absolute negat illā propositionē esse per se; sed nō omnino per se; sed nec omnino per accidens: vt videre est apud illum; vt liberè, & absq; ne fundamento Suarez *in comm. art.* 1. *q.* 16. 3. *p.* & Ioannes à Lugo *loco citato*, Scotum velint absolute negare propositionem illam esse per se; de illa autem propositione *Iesus est homo*, Scotus non loquitur, sicuti nec de ea, *Emmanuel est homo*. Certè de hac *Emmanuel est homo*, non videtur esse posse difficultas tanta, vt de alijs, quoniam *Emmanuelis* nomen compositum sonat nomen *nobiscum Deus*, hic autem terminus, *nobiscum Deus*, conceptum per se vnum non habet, & significare potest vel Deum secun dum suam naturam diuidam nobiscum manentem, vel Deum cum nostra assumpta natura nobiscum manentem, & vtroque modo sensum compositum habet, seù conceptum per se vnum non habet Emmanuelis vocabulum, vt obinde nequeat ex doctrina Scoti hæc propositio esse per se *Emmanuel est homo*.

Suarez ac Lugo falsam opinionem Scoto tribuunt.

60 Rursum si Emmanuelis vocabulum Deum sonat in sua simul, & natura nostra nobiscū manentē, Christum sonabit nobiscum manentem, & propterea par de ea propositione ferendum est iudicium, ac de illa, *Christus est homo*, si autem significet Emmanuelis nomen Deum secundum suam naturā nobiscū manentem præscindendo à modo manendi per vnionem hypostaticam, propositio illa, *Emmanuel est homo*, æquipollet huic, Deus nobiscum manens est homo, In qua, vt vides, prædicatum est extra rationem subiecti, ipsumque subiectum non vnū, sed plures habet conceptus, nimirum Deitatis, & nobiscum permanentiæ: non est ergo de propositione illa vlterius laborandum, quæ nullo modo per se dici potest nisi redacta ad illam, *Christus est homo* de cuius perseitate mox est videndum.

Doctrina Becani, et Bonacinæ

61 Scotica iam vt cunque sententia proposita, & ab Aduersarioriorum censura vindicata. Martinus Becanus *q.* 2. *c.* 7. *num.* 2. & post eum Martinus Bonacina *disp.* 2. *q.* 6. *puncto* 1. *num.* 5. discriminant has propositiones, *Deus est homo*, *Iesus est homo*, *Christus est homo*, quæ licet ex parte prædicati non differant, differunt tamen ex parte subiecti, quod quanquam eandem significat Verbi personam, illa tamen diuersè in diuersis enunciatur; nam in hac, *Deus est homo*, subiectum designat personam Verbi, vt est persona diuinæ Naturæ, & facit propositionem contingentē: in hac *Iesus est homo*, subiectum designat personam humanæ naturæ præcisè, construitque propositionem necessariam, quoniam persona humanæ naturæ nequit non esse homo: in hac, *Christus est homo*, subiectum designat personam vt in vtraque natura subsistentem, facitq; propositionem necessariam, quia necessè est humanæ, ac diuinæ naturæ personam esse Deum, & hominem.

Doctrina Vasquez

62 Gabriel Vasquez, *loco supra cit.* idem de vtraque hac propositione *Christus est homo*, & *Iesus est homo*, indicium tulit, vtramque arbitratus esse propositionem per se, dum secundum ipsum subiectum in vtraque propositione personam designat in duplici natura subsistentem; vt idem sonet, *Iesus*, ac *Christus*.

Doctrina Suarij

63 Franciscus Suarez *in comment. art. cit.* ex alio capite adductarum propositionum perseitatem venatur, quia nimitum hoc nomen, *Iesus*, formaliter significat indiuiduum humanæ naturæ, similiter hoc nomen, *Christus*, quamuis etiam Deitatem importet formaliter humanitatem significat. Ioannes à Lugo *l. c.* propositionē illam, *Christus est homo* per se vtique esse confitetur, ex quo Christus secundum ipsum personā designat in duplici natura subsistentem, cui per se conuenit esse Deum, & esse hominem, sed hanc propositionem, *Iesus est homo* per se esse, ægrè patitur, ex quo per ipsum idem significat hoc nomen, *Iesus*, quod significat hoc nomen, *hic homo*, quare sicuti neque hæc propositio est per se, *hic homo est Deus*, ita nec illa, *Iesus est Deus*, & pro se citat Suarezium, *in comment. art.* 6. sed perperam, vt patet, quia eo loci constans sibi Suarez quęcunque *in comment. art.* 1. dixerat, ne verbum quidem tetractans, confitetur.

Et Lugo

Lugo citat Suarium, sed immeritò

Doctrina Fabri. 64 Noster Faber *l.c. cap.* 2. *num.* 13. non dissimiliter de vtraque propositione effatus, & pro eodem Christi, & Iesu vocabulum vsurpans, verè vtramque propositionem retur esse per se, licet aliquomodo ob non simplicitatem conceptus concedat esse per accidens. Dilucidè tamen apparet Fabrum absque limitatione libenter voluisse propositiones illas concedere per se, nisi Scotica auctoritate conuictus de non simplicitate conceptus subiecti appendicem coactus fuisset adiungere. Vides (Deus bone) quanta in vna vel leni re controuersia.

Sententia Auctoris 65 Mihi ex dictis dicendū videtur, nullā illarum propositionum esse per se verè logicè loquendo nam methaphisicè propositiones istæ, *Christus est homo, Iesus est homo, Emmanuel est homo*, sunt omnes per se: rationem nos docuit Scotus *l.c. lit.* D. quia propositio per se metaphisicè est, quando neutrum extremorum inest alteri per accidens, inde *Arist.* 5. *methaph. tex.* 13. loquens de per accidens methaphisico ait, per accidens esse, quando vnum accidit alteri, vel ambo tertio, at in proposito nec Deus, nec homo accidit Christo vel Emmanueli, vel Deo, quia quod verum est nulli accidit, eodem Aristotele præceptore 1. *Physic. contex.* 27. verè autem *Christus est homo, Deus, Emmanuel, & Iesus est homo*, quare prædicata illa verè per se sunt methaphisicè loquendo, propterea in superioribus cautè monui, non esse hoc loco de re, sed de logicarum propositionum veritate concertandum: alibi etiam dixi vnionem in hypostasi non esse propriè accidentalem, licet non sit essentialis, sed quatenus vnit extrema, quæ sunt substantiæ, non accidunt ad inuicem: propterea egregiè monuit Scotus, & post eum Bassolius, ex quo vnio similitudinem nullam habet in humanis singulis ad illius explicationem deficientibus ex parte humanis exemplis, nec obindè similitudinem habere propositiones hasce in qualitate. *Aristoteles 1. phys cont. 27.*

Propositionem nō esse per se probatur. 66 Enimuerò logicè propositiones per se cū debeant esse de omni, & vniuersales esse debent: præfatæ autē propositiones, nec vniuersales sūt nec de omni, ergo nō sūt per se logicę, sed assimilātur propositionibus per se, quatenus si diffiniri posset subiectū in diffinitione eius caderet prædicatū, si enim diffiniretur Christus diceretur, quod Christus est suppositum diuinum naturam humanam vnitam diuinæ sustentans: en quomodo humanitas in Christi ratione inuolueretur similiter dicendum de Iesu, & alio, si quod est nomen, cum tamen re vera indiuidua, & personæ diffiniri nequeant, quia singularium non est diffinitio, & propterea nequeunt propositiones de ijs esse de omni, nec etiam per se, rigorosè loquendo, nisi per quandam similitudinem, non est ergo satis ad veram propositionem per se, quod ratio prædicati sit de ratione subiecti, sed etiam quod sit de ratione cuiuscunque contenti sub subiecto.

67 Alio etiam ex capite Scotus propositionem illam, *Christus est homo*, omninò per se esse negat, quia scilicet subiectum per se vnum conceptum non dicit, contra quem debacchantur Vasquez, & Lugo, probantes verè Christum esse per se vnum, quia Christus non est aliquod ens per accidens, sed vnum per se suppositum substantiale in duabus naturis. Possunt tamen gratis in Scotum inuehi præfati Auctores, quem fortè nec à cortice libri salutarunt; nusquam enim ibi Scotus dixit Christum non esse ens per se vnum, qui de vnitate Christi peculiariter disputat *dist.* 6. *q.* 2. sed ait Christi nomen, quod est propositionis huius subiectum, *Christus est homo*, non dicere conceptum per se vnum, cum enim in Christo humana, ac diuina natura inpermixtæ, & inconfusæ permanserint habentes diuersas rationes, & conceptus, ire absolutè inficias nequit, non importari per ipsum conceptum vnum. *Alia probatio.* *Recentiorum obiectio tollitur.*

68 Rectius secundum huius capitis doctrinam hæc propositio diceretur per se *Iesus est homo*, quia nomen *Iesu* non primo per se formaliter de diuino supposito dicitur in vtraque natura, sed de illo indiuiduo hominis, quod Verbum in vnitate suppositi assumpsit, & consequenter per se conceptum vnum dicere videtur, & est propositio hæc *Iesus est homo*, quasi æquipollens illi, *hic homo*, (designando Christum) *est homo*, iuxta illud Ioannis 9. *ille homo qui dicitur Iesus*, & iux- *Iesus est homo, propositio per se.*

& iuxta illud Lucæ 2. *Vt circumcideretur puer vocatum est nomen eius Iesus*. Puero igitur circumciso impositum est nomen Iesu, no personæ Verbi in natura duplici subsistenti, nisi quatenus prædicationes inuicem communicantur, non sic de Christi nomine, quod non est primo, & formaliter indiuiduo humanitatis impositum, sed personæ potius in humana, ac diuina natura subsistenti.

Ioann. 9. Luca 2.

69 Quod si cum Vasquezio dicas, nomine *Iesu* importari Saluatorem, atqui ille homo non potuisset esse Saluator, nisi esset Deus. Occurro in primis impossibilitate negata, quoniam, vt disp. propria monstraui, potuisset absolutè purus homo, si ita disposuisset Deus, humano generi deperdito succurrere.

Arguitio Vasquez eneruatur.

Occurro etiam aliud esse nomen alicui imponi, aliud rationem, qua nomen imponatur, & Ioanni Baptistæ quidem tanquam particulari homini fuit nomen Ioannis impositum, sicut mihi Mauritij, sed rationem impositionis illius dicimus gratiæ abundantiam, quemadmodum, & ipsum Ioannis nomen gratiam quoquo modo designat, ita Iesu nomen Puero illi impositum est tanquam homini, ratio verò impositionis fuit, quia homo ille vnitus Deo saluum facturus erat populum à peccatis.

Baptista cur vocatur Ioannes.

Hinc Matthæi *primo* Angelus alloquens Iosephum, *vocabis*, inquit, *nomen eius Iesum*: en impositio nominis Puero homini. *Ipse enim saluum faciet &c.* ecce ratio impositionis nominis.

Matth. 1

70 Atqui ex his facilè improbantur aliorum dicta de istarum propositionum perseitate *Christus est homo, Deus est homo, & Iesus est homo*, & præcipuè Bonacinæ, & Becani dicentium nomine Iesu personam humanæ naturæ designari, nisi enim nomine personæ humanæ naturæ indiuiduum intelligant, duas in Christo personas videntur inducere, alteram Verbi nomine Christi expressam, alteram hominis expressam nomine Iesu, porrò duplicis personæ inductio in Christo à fidei veritate abhorret; quod si personę nomen pro indiuiduo sumant non dissentiunt à nobis, nisi in modo loquendi, qui certè castus non est, & in hac materia accuratè satis loquendum est, ne ex ipsis verbis in errata dilabamur: si demum velint nomine Iesu designari personam Verbi, vt vices humanæ naturæ suppleret, præterquam quod hoc falsum esse ex ipsa nominis impositione conuicimus, adhuc locutio accurata non est, quia hæ propositiones non sunt æquè veræ, *Christus est persona Verbi*, *Christus est persona hominis*, est enim per se Verbi persona, sed hominis nullo modo persona est, quamuis humanam suppleat personam.

Occurritur argumentis Becani, & Bonacinæ.

Et Suarij

Quod aiebat Suarez, Christi nomine formaliter hominis indiuiduum importari, Redarguitur per Damascenum *lib. 3. de fide orthodoxa c. 3.* dicentem, Christum esse nomen hypostasis in duplici natura, quare non naturam hanc, vel illam primo, sed hypostasim denorat in recto. Ex dictis etiam opinio Vasquezij refellitur, nomine Iesu formaliter personam Verbi importari constituens. Ioannes à Lugo verius nomen illud nobiscum ad humanitatis indiuiduum applicuit.

Damascenus.

Et Vasquezij.

Asserendum secundo hanc propositionem, *homo est Deus* non esse in materia necessaria, sed contigenti. Hæc assertio est contra Caietanum, neque est omnino eadem cum superiori, statuente propositionem illam non esse per se, quamuis noster Faber dicat *loco supra citato* idem esse prædicatum per se, & in materia necessaria; ita enim loquitur *disp. 17. cap. 1. nu. 2.* per hæc Verba, *Propositio non est naturalis, nec per se, nec necessaria, hæc .n. idē significant.* Hæc Faber, apertè Scoto contrarius *in 3. d. 7. q. 1. paulò ante litteram D. §. Quinto videndum*, vbi docet, *aliquas propositiones contingentes posse esse per se, si in subiecto sit proxima ratio inhærentiæ prædicati, quamuis non sit necessaria inhærentia*. Sunt hæc verba Scoti, quibus edoceri poterit Faber, non semper propositionem per se, esse necessariam.

Assertio 2.

Non Scotizat Faber.

71 Assertio declaratione ostenditur. Propositionem contingentem aio, non quasi verò subiectum, & prædicatum substantia non sint, sed quia, ex quo fieri potuit, vt Deus non esset homo, contingenter prædicatum dicitur de subiecto, & quasi accidentario, logicè loquendo, neque admodum concertandum est in hoc assertio, constituto in superioribus hoc nomen, *Deus*, perperam à Caietanotta-

Probatur assertum

no trahi ad significandum primo, & formaliter suppositum Verbi in duplici natura subsistens; hinc à nobis in hoc asserto Recentes cum Suarezio, & Lugo non dissident.

Nona dubitatio enodatur.

72 Sed numquid idem dicendum de his propositionibus *Christus est homo*, *Iesus est homo?* Responsum habes ex superiori asserto, cum enim nomen Iesu ad indiuiduum spectet, & prædicatio speciei de indiuiduo sit in materia necessaria, cõ sequenter sit essentiam hoc, *Iesus est homo*; esse in materia necessariis. Et rursum cum Christi vocabulum personam Verbi significet in humana, ac diuina natura subsistentem, hæc etiam propositio; *Christus est homo*, materiam quoquo modo videtur habere necessariam, quia humanitas ad suppositum in humananitate subsistens non sola contingentia refertur; Propterea Scotus propositionem illam *Christus est homo*, vno modo affirmat esse per se, quatenus prædicatum participat rationem speciei, quatenus verò subiectum non dicit conceptum vnum, non esse perfectam per se, quasi verò dicere vellet Scotus, eatenus prædicationem hanc, *Christus est homo*, esse per se, quatenus est necessaria materia in prædicatione, licet rigorosè non sit propositio per se. Vnde habes posse propositionem esse in materia necessaria, & non per se, vt cum species prædicatur de indiuiduo, quo casu propositio non est per se, quia non de omni contento sub subiecto, & rursum posse propositionem esse per se, & non in materia necessaria, sed contingenti, vt cum dicimus calidum calefacit, quæ doctrina maximè obseruanda erat Fabro, & ex suppositis non video, quam difficultatem patiatur Assertio.

Assertio 3.

73 Assero tertio, hominem esse quidem vniuocum prædicatum de Deo, & nobis, non tamen vniuocè prædicari. Hæc assertio difficultatem verbalem habere potest, nec ab ea dissentirent Thomistæ, nisi alio sensu prædicari vniuocè sumerent, quem nos hucusque præstitimus. Assertio autem probatur,

Probatur primo.

qualemcumque dubitationem habeat: & primo quod homo sit prædicatum vniuocum, in quo Thomistæ non dissentiunt, ex ipsa vniuoci ratione persuadetur. Vniuocum est, quod nomen, ac rationem, seu conceptum eundem dicit ad sua vniuocata, sed homo secundum idem nomen, eandemque rationem, & conceptum de Deo dicitur, & nobis, est ergo homo Deo, & nobis prædicatum vniuocum.

Maiorem tradidit Aristoteles *in ante prædicamentis cap. de æquiuocis* Minorem ostendunt termini, quia tam Deus dicitur homo, quàm nos dicimur homines, idemque Deo, & nobis conceptus, ac ratio vna hominis conuenit, inde Athanasius in symbolo, *Perfectus homo ex Anima rationali, & humana carne subsistens*, ratio igitur hominis, quæ est, esse animal rationale, Deo perfectè conuenit nostram humanitatem sustinenti, estque propositio multò verior vniuoca, si dicatur homo de Christo; verissima, si dicatur de Iesu iuxta doctrinam in superioribus accommodatam.

Aristoteles in ante prædicamentis.

Athanasius in symbolo.

74 Altera pars asserti constituens, hominem non prædicari vniuocè de Deo, & nobis probatur. Homo non dicitur de Deo, & nobis in quid, ergo nec vniuocè, sequelam deduco ex dictis, quoniam ex Scoto, idem penitus sunt prædicari in quid, & vniuocè, immò ex Aristotele *lib. de prædicamentis c. de subst.* facilè liquet, prædicari in quid, & vniuocè ad inuicem non differre, & si quid vltra Thomistæ expostulant in prædicatione quidditatiua, vel vniuocè, in non minis significato differunt, de quo non est concertandum. Probo antecedens; Quæcumque prædicantur in quid, vel sunt genera, vel species, vel differentiæ, quæ in quale quid prædicantur; genera quidem de speciebus, species de indiuiduis, differentiæ intermediæ de speciebus, vltimæ verò de indiuiduis; sed in hac propositione *Deus est homo*, homo nec habet rationem generis, nec speciei, nec differentiæ, quare nullo modo prædicatur in quid de Deo. Subsumpti argumenti maiorem fusè prosequitur Porphirius *in sua Isagoge*; minorem suadeo, homo respectu Dei non est genus, vt patet, cum homo sit species specialissima respectu nullius rationem generis obire potens, nec est differentia, cum nullum contrahat genus ad speciem, nullam speciem ad indiuidua; habet igitur modum dumtaxat prædicationis speciei

Probatur 2. pars asserti.

In quid, et vniuocè prædicari idem omnino.

Porphirius.

ciei specialissimæ, sed quia Deus non est indiuiduum hominis, sed Deitatis, est ergo prædicatio speciei de indiuiduo non suo, nec propterea in quid. Et confirmatur, quia indiuiduum sub specie essentialiter conceptum speciei participat ita, vt si indiuiduum diffiniri posset, planè ratio speciei esset ratio indiuidui, sed cum diffiniri nequeat indiuiduum, saltem tota eius essentia est essentia speciei cum vltima hæccitate, quæ est indiuiduationis principium; atqui Deus rationem hominis quiditatiuè, & essentialiter non participat, non ergo homo de Deo, vel Verbo Dei quiditatiuè, & vniuocè prædicatur, prædicatio igitur ista *Deus est homo* vtique vniuoca conceditur, sed non quiditatiua, & vniuocè, sed denominatiue, & prædicationem denominatiuam interdum cum vniuoca conuenire, paulò antè assertam hoc ipso cap. ex Scotica doctrina probauimus.

75 Secus dicendum de his propositionibus, *Christus est homo, Iesus est homo*, & homo quidem de Iesu vniuocè dicitur, quia nomen illud, *Iesus*, humanitatis indiuiduum significat, quod præter quam quod supra probauimus, inde etiam patet, quoniam, si Deus humanitatem assumptam dimitteret, homo ille non alio nomine, quam *Iesu*, quod iam illi est impositum, nuncuparetur, nec alio modo, quam cæteri homines humanitatem participaret, de illo igitur vniuocè, & in quid prædicatur, vt species de indiuiduo. Similiter dicendum de illa propositione *Christus est homo*, quam nusquam Scotus negauit esse vniuocam vniuocè, immò id supponens vt certum, exinde vniuocationem vniuocè in hac alia propositione, *Deus est homo*, postulat, vt videre est apud eum *littera B, loco citato* §.4. *Videndum*, vbi hæc inter cætera habentur. *Vniuocè enim homo dicitur de Christo, & de Petro, dicitur etiam inquid, & de pluribus differentibus, & non nisi numero &c.*

Quo nomine uocaretur ille homo si à Verbo dimitteretur

exponitur Scoti locus qui est Fabri Achilles

Vbi caue putes distinxisse Scotū vniuocè prędicari, & prędicari inquid, vt putauit Faber, sed ex aliorum sent. dubitando de qualitate illius propositionis cumulatiuè dixisse hominem dici de Christo, & Petro vniuocè, & etiam inquid, non ita, vt particulam illam in quid, quasi diuersam ab vniuocè posuerit, sed ex aliorum sententia loquens, & ex communiter acceptis supponens hominem dici dè Christo, & Petro vniuocè, & in quid petit, an hæc propositio sit eiusdem qualitatis, *Deus est homo*, de qua erat principale totius controuersiæ institutum: cæterum *in 1, sent.* vbi proprius erat distinguendarum propositionum illarum locus, patentissimè, vt suprà ostendimus, prædicari vniuocè, & in quid pro eodem sumpsit.

76 Quidquid sit, planè liquet, non negasse eo loci Scotum prædicationem vniuocam vniuocè ab illa, *Christus est homo*, quod facilè persuaderi potest, quanquam enim Christus ex Damasceno suppositum diuinum significat in humana, ac diuina natura subsistens, adhuc tamen rectè concludimus ipsum esse verum hominem, & verè, & in quid de eo hominem pronunciari, sicuti verè humanam naturam sustentificat, solummodo sequitur, Christum non esse solum hominem, nec solum hominem de eo dici vniuocè, sed quid inde? an fortè, quia non solus homo vniuocè de eo dicitur, homo absolutè non dicitur de eo vniuocè? planè si hæc argutio quippiam valoris haberet, cum non solum animal de homine vniuocè dicatur, sequi posset animal non vniuocè de homine prædicari, quod est falsum.

77 Ex his habes, hallucinari Bonacinam indistinctè de ambabus hisce propositionibus locutum, *Deus seù Verbum est homo*, & *Christus est homo* cum tamen hæc sit verè vniuoca vniuocè, illa verò ad summum vniuoca denominatiuè, vide Scotum *dist. illa 7. q. 1. littera* C, & finem capiti imponas, siquidem omnia, quæ in oppositum ferri possent argumenta facilè ex hisce præmonitis, & assertis nostris dilui possunt, vt citeriorem sermonem minimè postulent.

Capitis coronis vniuersi.

AN, ET QVO MODO HÆC SIT vera Deus factus eſt homo, & eius conuerſa homo factus eſt Deus.

CAPVT III.

78 ET hæc difficultas cuipiam penitus logica videbitur, & fortè grāmaticalis ex modo loquendi aucta, ſed non debet pudere ſcolaſticum logicè, aut etiam grammaticaliter diſceptare, dum de idiomatum communicatione loquitur, quæ in mutua proprij ſermonis, ſiuè locutionis ſecundum proprietatem prædicatione conſtituta eſt, ſed, & neque grammaticaliter, aut purè logicè diſceptatur, ſed Theologicè mutuatis ex arte vtraque terminis, quæ Theologiæ quaſi artium, & ſcientiarum Reginæ famulatur.

79 De priori propoſitione non verentur Scolaſtici, veritatem præſtolante Ioanne *cap. 1. & Verbum caro factum eſt &c.* vbi carnem pro homine intelligendo, ſenſus eſt, & Verbum factum eſt homo, idemque confirmante Nicena Synodo, in confeſſione fidei, *& homo factus eſt*; quare de veritate huius propoſitionis, *Deus factus eſt homo*, Scholaſtici fide docente non ambigunt, ſuperſtite ſcrupulo, an ſit in rigore propria, an verò ſit vera quidem, ſed non rigoroſa, & propria loquutione: & quidem veram illam eſſe fide docti Theologi confitentur, proprietatem autem ſermonis in ea nonnulli non agnouerunt exiſtimantes, in rigore ſermonis illam non eſſe propriam, quippe quæ mutationem aliquam in Verbo immutabili inducere videtur; ſi quidem quod fit tale, nequit fieri abſque mutatione tale, Verbum verò mutatum dici, non patitur fides; quare, nec locutionis illius proprietas æquo animo ferenda eſt. In hanc ſententiam inclinat S. Bonauentura 3. *ſent. diſt. 7. art. 1. q. 3.* reclamantibus in ipſum Scholaſticis, qui & propoſitionem illam veram, & propriam confitentur, & præcipuè Scoto *d. 7. tertij quæſt. 2.*

Ioan. 1.

Simb. Nicenũ

Opinio S. Bonauentura contrà cõmunem.

80 Circa alteram propoſitionem grande litigium agunt Scolaſtici: enitentibus quibuſdam eam veram eſſe, & propriã: quibuſdam è contra toto ſpiritu veritatem ab illa, & proprietatem negantibus; quod ſi illam quandoquè Patres inuexerunt, Patrum verba ad ſenſum ſatis improprium deducta fuiſſe dicenda ſunt.

Poſteriorem ſententiam amplexati ſunt Recentes, quos infrà citabimus: Priorem ſententiam virus propugnat Scotus *l. c.* vbi Scotiſtæ omnes cum Licheto, Fabro, & alijs, citatur etiam in eam Gabriel à Fabro, & Recentibus, ſed immeritò, quia Gabriel oppoſitum ſenſit, qui *diſt. 7. q. vnica, concl.* hæc habet, *ſi tamen illa inueniantur conceſſa a Patribus, homo factus eſt Deus, filius Virginis factus eſt filius Dei, intelligenda ſunt impropria &c.* hæc Gabriel.

Opinio Scoti Licheti & Fabri

Gabriel perperam citatur.

81 An autem hæc ſecunda propoſitio ſit ità vera, & propria vti prima, non conueniunt Scotiſtæ. Baſſolius *in 3. diſt. 7. q. 1. art. 3.* docet propoſitionem hanc, *homo factus eſt Deus*, non eſſe ita propriam, nec ità veram, ſicut illa, *Deus factus eſt homo*. Alij è contra vtramquè arbitrantur ex æquo veram, & propriam. Scotus *q. illa cit. litera D.* petens; quænam illarum propoſitionum ſit propria magis; reſpondet vtramque eſſe veram, vtramque propriam, licet illam immediatiorem fateatur, *Deus factus eſt homo*, cuius rei rationem reddit, quia prima propoſitio in hac materia eſt iſta: humana natura vnita eſt perſonaliter Verbo, ex qua propoſitione ſequitur hæc alia, quod Verbum ſit homo, & ſequitur immediatè, quia virtute vnionis Verbum ſubſiſtit in humana natura: per conuerſionem verò ex hac propoſitione, *Deus factus eſt homo*, ſequitur illa alia, *homo factus eſt Deus*, ex qua Scoti ſententia conſtat vtramq; eſſe veram, & propriam, licet prima ſit immediatior, vnde non diſtat à Scoto Baſſolius ſimpliciter aſſerens ſecundam non eſſe ità propriam, vt primã, nam ſi prima eſt immediatior, vtique eſt verior, & proprior, quia maior veritas, & proprietas ex intimitate deducitur. Adde quod veritas ſecundæ ex regulis de conuerſione propoſitionis dumtaxat elicitur.

Explicatur germana Scoti mens.

82 Ab

S. Thomæ mens aperitur.

82 Ab hac Scoti nostri sententia dissidere Sanctum Thomam contendunt Recentes, & Thomistæ, non ab re tamen erit Sancti Doctoris mentem aperire. Is igitur 3. *p. q.* 16. *art.* 7. duplicem in primis propositionis huius, *homo factus est Deus*, sensum aperuit, primum, si illa particula *factus* se teneat ex parte subiecti, vel ex parte prædicati, ex parte subiecti quidem, vt sit sensus *homo factus est Deus*, idest, *homo qui est factus est Deus*, & hunc sensum valdè vocat improprium, ex parte prædicati vero, vt sit sensus, *Homo factus est Deus*, idest, *Homo est Deus factus*, scilicet est Deus, *qui factus est*, qui sensus falsus est, & improprius: Secundũ, si ille terminus *factus*, non masculine, sed neutraliter construatur, relatus videlicet ad totum complexum, vt sit sensus, *Homo factus est Deus*, idest *factum est*, *Vt homo sit Deus*, & hunc sensum verum ait, licet improprium, per hæc Verba, *Et sub hoc sensu vtraque est vera, & homo factus est Deus, & Deus factus est homo, sed hic non est proprius sensus harum locutionum, nisi fortè intelligatur secundum quod ly homo non habet personalem suppositationem, sed simplicem, &c.* Hæc Sanctus Thomas, quibus clarissimè monuit, quod si ille terminus, *Homo*, non se teneat pro supposito, sed simpliciter, propositio vera est, & propria, quam tulerat: Dixerat enim prius propositionem esse veram, sed non propriam, postea subdit, quod est impropria, nisi ly, Homo, intelligatur pro non supposito, hoc autem est dicere fore propositionem propriam, si homo non sumatur pro supposito, immò eius dicti rationem reddit per verba sequentia, quæ sunt, *licet enim hic homo non sit factus Deus, quia hoc suppositum scilicet persona filij Dei ab æterno est Deus, tamen homo communiter loquendo, non semper fuit Deus* Hæc ille. In quibus mirabile est, quot censuras, ac interpretationes congerant Thomistæ, & Recentes, vt appositè Sanctum Doctorem in oppositam Scoto sententiam trahant.

Verba S. Thomæ

Opinio Suarij

83 Franciscus Suarez, in *comment. illius art.* difficultatem hanc in Sancti Thomæ verbis se nactum non fuisse simulans absolutè ex mente eius docet, etiam si homo sumatur non pro supposito, propositionem esse impropriam, & præter vsitatam terminorum sumptionem. Verum hanc simulationem in Suarezio indignè feram, cum apertè Sanctus Thomas oppositum tradat, qui veritatem propositionis huius declarans, *homo factus est Deus*, referendo factionem ad totum complexum, subdidit, esse sensum improprium, nisi homo ster simpliciter, & non pro personali suppositatione, ergo (inquam ego) ex improprietate loquendi propositionem excepit, quæ sumit hominem non pro personali suppositatione.

Reijcitur

84 Gabriel Vasquez *disp.* 64. verba illa, quæ tulimus ex Sancto Thoma, nona parenthesi apposita legenda voluit, contra omnium impressionum, & codicum fidem, vt Sanctum Doctorem eo traheret, quo vellet.

Interpretatio Vasquetij voluntaria

85 Ioannes à Lugo subdidit Sanctum Thomam sub dubio reliquisse veritatem, & proprietatem illius propositionis, *homo factus est Deus*, sumendo hominem non pro supposito, quia habet particulam dubitantem, *fortè*, habet enim *nisi fortè intelligatur secundum quod ly homo, &c.* quæ expositio violentior est, cum ly *fortè*, ad acceptionem termini, *hominis* pro non supposito, non ad veritatem, & proprietatem sub dubio relinquendam Sanctus Doctor retulerit, vt sit dictorum illius sensus, secundum illum sensum allatum verum esse, sed improprium, nisi quis fortè sumat terminum, *hominem*, simpliciter, non pro supposito, quo genere dicendi quis non videt, particulam illam, *forte*, non ad proprietatem, ac veritatem propositionis, sed ad libertatem acceptionis termini, *hominis*, pro non subiecto referri?

Expositio Lugo

86 Præterea si S. Doctor proprietatẽ, ac veritatẽ propositionis illius sub dubio reliquit interprete Lugo, cur ipse non item reliquit Sancti Doctoris Assecla, sed doctorem suum in negantem traxit sententiam? scilicet, vt etiam in dubijs Scoto nostro Doctori Doctorem suum opponeret, nec conciliaret, etiam si posset. Quid? quod in *solutione vltimi arg. art.* 7. opinionem suam Sanctus Thomas dilucidè magis explicuit, dum dixit, in hac propositione, *homo factus est Deus*, hominem sumi pro supposito, proindè non esse locutionem veram,

violẽta

vel

vel ſaltem propriam, at ſi ex parte ſubiecti poneretur aliquod nomen ſignificans humanam naturam in abſtracto, propoſitionem concedit, dicendo, naturam humanam factam eſſe filij Dei, ex quibus diuerſitas poſitionis eius à Scoto in eo dumtaxat ſita eſſe videtur, quod Sanctus Thomas ly, *hominem*, ſumpſit pro ſuppoſito, Scotus non ità, qui niſi ſumeretur pro ſuppoſito, vt non ſumpſit Scotus, non vereretur Sanctus Thomas propoſitionem illam concedere, *Homo factus eſt Deus*; nec obinde ex voluntate propria, ſed potius ex voluntate Interpretum hac in re duo iſti Doctores diſſentire videntur. Sed quidquid ſit de Scoti, & Sancti Thomæ in hac re concordia, nonnullis præcognitis, & Scoti mentem, & veritatem aſſertæ ab eo propoſitionis aperiam.

Notãdũ primo

47 Primum ex doctrina Scoti *loco citato*, obſeruandum eſt, multum referre dicere aliquid fieri ſimpliciter, & aliquid fieri tale, ſicuti multum ad inuicem differunt propoſitio de ſecundo, & propoſitio de tertio adiacente (quid autem vtraque ſit ſupponimus ex Logicis) vnde refert dicere Franciſcus factus eſt, & Franciſcus factus eſt albus, ſi quidem in priori propoſitione, quæ eſt de ſecundo adiacente, factionem ipſam de Franciſco enuncio, aioque Franciſcum ipſum, qui prius non fuerat, fuiſſe factum, & obinde ad veritatem eius expetitur, quod ſubiectum antea non fuerit, in poſteriori autem propoſitione non ipſam factionem, ſed albi factionem de Franciſco enuncio, in qua, nec neceſſum eſt ſubiectum ipſum anteire, nec neceſſum eſt non anteire, cum fieri poſſit, vt eodem temporis inſtanti Franciſcus fiat, & albus fiat, quo caſu temporanea anteceſſio in Franciſco nulla, quippequi ſimul, & ſemel, & fit, & albus fit, quod ſi dicas cõtradictoria eſſe anteire, & nõ anteire, eſſeque rurſum contradictoriorũ legem, vt propoſitione vna exiſtente falſa alia ſit vera, quare vel anteire, vel non anteire Franciſcus intelligitur. Reſpondeo committi fallaciam, nam & ego fateor, vel anteire, vel non anteire neceſſum eſſe, referendo anteire ad Franciſcum, non tamen vnũ magis, quam alterum neceſſariò conuenire, ſed alterum dumtaxat, quamuis ad albi factionem relatum vtrumque ſit accidens; accidit ſiquidem, vt qui fit albus, præeat, cum poſſit non præire, ſicuti etiam accidit, quod non præeat, cum poſſit præire: idem exemplum oſtenditur in ambulatione mea; eſt enim neceſſum me ambulare, vel non ambulare, quia hæc ſunt immediata, vtrumque tamen accidentario ineſt, cum poſſim ambulare, & non ambulare: eſtque doctrina hæc maximè obſeruanda ob Caietani, & aliorum Thomiſtarum ſententiã conſtituentium, quodcunque ſit tale neceſſario debere præexiſtere, quamuis enim in materia contingenti concedatur ſubiectum præire prædicatum ſaltem natura (quia temporalis præexiſtentia neceſſaria non eſt, vt diximus) nam in factione Franciſci albi præexiſtere Franciſcus intelligitur ſaltem natura; eſt enim accidens ſubſtantia, ſin minus tempore, ſaltem natura poſterius: in materia tamen neceſſaria non ità ſemper accidit; niſi fortè dum prædicatur differentia de ſubiecto; vnde hæc propoſitio, *Franciſcus factus eſt rationalis*, hanc ſaltem natura ſupponit, *Franciſcus factus eſt animal*, at in prædicatione generis, vel ſpeciei de ſubiecto ſecus euenit; quapropter dum aio, Franciſcum factum eſſe animal, haud planè intelligo Frãciſcum præextitiſſe natura animali: Similiter dum aſſero, Franciſcum factum eſſe hominẽ, minimè quidẽ intelligo præextitiſſe naturã Franciſci exiſtentiam, quam deinde ſecuta fuerit factio hominis; quaſi verò prius natura fuerit Franciſcus, quam fuerit homo ſecundum ſe; hoc enim falſum eſt, cum ſpecies præintelligatur ad indiuidua: vel prius natura Franciſcus fuerit, quam in hominem euaſerit; hoc enim etiam falſiſſimum eſt: ſiquidem indiuidualitas, & multò magis ſuppoſitatio naturam ipſam indiuiduabilem, ac perſonabilem ſupponit, & nõ è contra.

Oppoſitio

Tollitur

Differẽtia propoſitionũ de 2 & 3 adiacente

48 Quarè concludendum eſt, dum propoſitiones affirmantur de ſecundo adiacente, vt dicendo *homo factus eſt*, denotari fieri ſimpliciter ipſius hominis: dum propoſitiones affirmantur de tertio adiacente, ſpectandam eſſe materiam, nam ſi ſit materia neceſſaria, quemadmodum ſe habet illa, Geneſis ſecundo, *factus eſt*

homo in animam viuentem, hoc est, factus est homo animal viuens, subiectum nec debet, nec potest præire prædicato, si fit materia contingens, *vt hac homo factus est albus*. Contingens est pariter, quod subiectum præeat, vel non præeat, cum possit vtrumque euenire, scilicet, vel quod præeat, vel quod simul fiat homo, & albefiat, loquendo de præitione, & simultate temporis, quoniam natura substantia albedinem præit.

Genesis 2

Atqui ex his ad hanc propositionem, *Homo factus est Deus*, & ad eius conuersam descendere poteris, cum enim tam illa, quam ista contingens sit, & non in materia necessaria, ad rationem veritatis earum præexistentia, vel non præexistentia subiecti non pertinet, quamuis ex alio capite subiectum in ijs præeat, nam in hac, *Deus factus est homo*, subiectum ex ratione sua interna præit, accipiendo terminum illum, *Deus*, nedum absolutè, sed pro supposito, & pro persona Verbi, quia tam Deus secundum se, quam diuina supposita æterna sunt principio, & fine carentia: in ista autem propositione, *Homo factus est Deus*, non ita; nam si homo accipiatur pro specie, licet Deum non præeat, veritatem tamen huius complexi præit, *Homo factus est Deus*, quod verum est solum mysterio Incarnationis exhibito, ante quod tot annorum millibus à principio vsque ad plenitudinē temporis tam in specie, quam in indiuiduis conditus præextiterat homo: si autem accipiatur ille terminus, *Homo*, pro hoc homine signante Christum, factionem, seù euasionem in Deum, non necessario præiuit nisi ad summum natura, qua de re in disputatione organizationis Corporis Christi nonnihil dixi.

49 Secundo præcognoscendum est, quid reuera in hac propositione, *Homo factus est Deus*, ille terminus, *homo*, designet. Et quidem est post Caietanum Thomistarum omnium concors opinio, hominem in ea propositione supponere pro supposito, seù pro persona. Me tamen Iudice, tum ex re ipsa, tum ex modo loquendi hallucinātur: ex re ipsa quidem, secundum quam in hoc mysterio nullum humanum adest suppositum, sed sola Verbi diuina persona in sua simul, & nostra natura subsistens. Et rursum ex communi logicorum regula, secundum quam pronomen, *Hic*, non propriè suppositum, sed singulare, vel indiuiduum demonstratiuo pronomine signatum innuit, siquidem logici indiuiduum partiuntur in vagum, vt homo, & in signatum pronomine demonstratiuo, vt hic homo, & in proprio nomine signatum, vt Franciscus, & quamuis retenta apud ipsos inter indiuiduum, & suppositum, aut paruum, aut nullum intercedat discrimen, quia naturaliter non euenit indiuiduum in substantijs dari propria personalitate destitutum, Scholasticè tamen, ac Theologicè, vt in hoc mysterio patet, discriminantur, quare ex regula logica, ille terminus *homo*, qui propriam speciem significat, dum in propositionibus subijcitur indiuidui vagi ad summum rationem subit, non autem suppositati, vel signati.

Notādū aliud.

De significato hominis.

Caietani sensus Refellitur

50 Insuper ex modo loquendi ille terminus, *homo*, nequit vsurpari pro supposito, secus propositionis huius, *homo factus est Deus*, fieret sensus: suppositum subsistens in humana natura factum est Deus; quo sensu quis non videt propositionis ineptiam magis, quam falsitatem? cum æquè sit illa propositio, ac ista. *Verbum, quod subsistit in humana natura factum est Deus*.

51 Planè non mirari non possum doctissimos viros, quo modò ad hunc sensum propositionem illam detorquere voluerint: & multò magis miror eos, qui suppositum illud esse suppositum humanæ naturæ contendunt; quod quanquā ipsi pro supposito Verbi interpretantur, non tamen tam libenter concedere debent, suppositum Verbi esse suppositum humanæ naturæ, nisi cum addito, hoc est, humanæ naturæ sustentificatiuum, nam genitiuus sine addito apud Grammaticos possessionem plerumque significat, neque in hac materia incautè loquendum est, in qua ex inordinata etiā verborum situe erroris periculum imminet, quare consequenter dicendum, terminum illum, *homo*, in propositione, de qua litem agimus, significare concretum humanæ naturæ, quod cum in supposito proprio esse nequeat in hoc mysterio, vbi nullum aliud suppositū, præter Verbi personam, nanciscimur;

Censura Auctoris

Rabit

ſtabit pro natura indiuidua, & ſingulari; non quidē ſignificante humanitatis concretum, quod facit propoſitionem indefinitam, ſed potius concretum illud, quod intelligitur accedente Verbi ſubſiſtentia perſonatum propria perſonalitate deficiente.

Regula logica.

52 Et hoc loco maximè obſeruanda eſt logicorum regula docens, ſubiecti acceptionem ex ipſa forma, & ſtructura propoſitionis, nec non, & inhæſione prædicati ſpectandam, vt ſi ſubiectum eſt indefinitum, indefinitæ propoſitionis æquipollentiam aucupemur, quoniam ſi prædicatio ſit in materie neceſſaria indefinita propoſitio æquipollet vniuerſali, vt dicendo, *homo eſt animal*, ſi ſit in cōtingenti materia æquipollet propoſitioni particulari, vt dicendo, *homo currit, homo eſt albus*, quare in hac materia, in qua prædicatum liberè, & contingenter aduenit ſubiecto, ille terminus, *homo*, ſtabit pro hoc homine, & hic homo ſtabit pro indiuiduo, non pro perſona.

53 Dixeris, ſi hic homo indiuiduum ſignificat, & hæc propoſitio, vt vera conceditur, *homo factus eſt Deus*, ſequi dilemmeris huius deductionem, quæ falſiſſima eſt, nimirū, hic homo eſt Chriſtus, hic homo factus eſt Deus, ergo Chriſtus factus eſt Deus, quod ſi vis fiat in nomine Chriſti, quod perſonam ſignificat in duplici natura, & obinde videatur argumentum non in terminis ſimplicibus conſtructum, conſtruatur hoc in modum: hic homo eſt Verbum, hic homo factus eſt Deus, ergo Verbum factum eſt Deus, concluſio falſa, ergò altera præmiſſarum, non autem maior, quia verè hic homo Verbum dicitur, ergò minor. Reſpondeo multiplicem committi in arguitione fallaciam: prima eſt, quod argumentum ex puris particularibus compaginatur, ex quibus per logicorum doctrinam nihil ſequitur: ſecundo argumentum allatum non cōcludit, quia, & ſi germanum ſignificatum huius termini, *Hic homo*, eſt indiuiduum; in maiori tamen ad hoc, vt propoſitio ſit vera per communicationem idiomatum debet ſupponere pro perſona diuina ſupplente rationē humanæ, non pro perſona humana, quæ nulla eſt in hoc myſterio; vt ſit ſenſus, hic homo, qui eſt Verbi perſona humanitatem ſuſtinens eſt Deus, vel Chriſtus, vel Verbum: ex quo per Scotum loco citato in communicatione idiomatum concrete dici debent de ſuppoſitis, ſiuè explicitè ſiuè implicitè importatis: vnde dixi rectius pronunciari Deum eſſe hominem, quam hominem eſſe Deum; licet vtraque ſit vera; at in minori terminus ille, *Hic homo*, ſumitur in proprio, & in ſuo ſignificato formali; proindeq; ex diſtractione terminorum deficit argumentum.

Tollitur tamen.

Notādū tertio

54 Tertio præcognoſcendum eſt, quod verba hæc *incarnare*, & *incarnari*, quamuis actiua, & paſſiua terminatiuè dumtaxat, non autem ſignificatiuè, quia nulla eſt realis actio in Trinitate agente, cui correſpondeat paſſio in humanis, vt alibi dixi, nihilo tamen minus verè realem effectionem paſſiuam in humanis dicunt, cui ſaltem ſecundū dici actiua reſpondet effectio nihil reale nouum dicens in Deo; etenim cum verè vnita fuerit humana natura Verbo non ex ſe vtrique vnita fuit, ſed per actionem ſtotius adorandiſſimæ Trinitatis: ipſa igitur Trinitas, quæ fuit vnionis illius effectrix, ex ipſo effectio facto dicitur faciens; huic antē actiuæ actioni Sanctiſſimæ Trinitatis duplex correſpondet paſſiua factio, altera realis, qua ſcilicet homo factus eſt Deus, & hæc fuit paſſiua vnio humanæ naturæ ad Verbum, quæ fuit in humana natura relatio, cuius terminus fuit Verbum; altera factio paſſiuè ſecundum dici non realis reſpondens verè factioni illi actiuè, qua Verbum factum eſt homo, & hæc eſt etiam relatio; cuius terminus eſt humana natura, proinde cum non niſi vnica ſit realis factio paſſiua, non duo, ſed vnus eſt terminus realis: vt vno verbo concludendum ſit, realē hîc factionē nullam, niſi paſſiuam relationis vnionis, cuius ſubiectum eſt humanæ natura, terminus Verbum; & quamquam in hac propoſitione *Verbum factum eſt homo*, Verbum videtur eſſe ſubiectum, & humana natura terminus; hoc tamen eatenus concedi, quatenus dè factione ſecundum dici loquimur, quæ eſt relatio rationis in Verbo, cuius terminus eſt humana natura: cæterum de factione ſecundum eſſe ſecus dicendum eſt.

95 Ex his proposita capitis huius dubitatio diluenda est. Asserendo, nihil obstare, quominus concedamus, hanc propositionem esse veram, *Deus factus est homo*, similiter, & eius conuersam, *Homo factus est Deus*, & de priori quidem propositione in principio quæsiti dictum est, nos veritatem eius fide doceri, quam pluribus inculcant Patres apud Recentiores legendi: interim pars illa vnico Scoti dilemmate probatur. Deus per actionem alicuius facientis est homo, & non semper fuit homo; ergo Deus factus est homo: suadetur antecedens, quia vt in superiori capite dixi, Deus est homo, & non semper fuit homo, cum solum in plenitudine temporis factus fuerit homo; ergo per alicuius effectionem factus est homo. Consecutio hæc vltima propositi argumenti probatur.

Assertio

probatur à Scoto

Quando aliqua mutuò se comitantur, si vnum est per effectionem alicuius, pariter, & reliquum: sed hæc duo necessariò se comitantur, nimirum, quod humana natura sit personaliter vnita Verbo, & quod Verbum sit homo: ergo si humana natura per alicuius effectionem vnita est Verbo, pariter per alicuius effectionem Deus factus est homo; porrò ex actione totius Trinitatis humanam naturam fuisse Verbo vnitam multoties decursum est; consequentia primi dilemmatis deducitur euidenter ex dictis, siquidem ad actionem alicuius efficientia sequitur passiua effectio, quæ nihil aliud est, nisi habitudo facti ad faciens, cum resp ctu facti ad non esse præcedens; quæ duo non desiderantur in hoc misterio, in quo vnio facta est, quæ habitudinem dicit ad agens, & ordinem ad non esse immediatè præcedens, vt habes in disputationibus meis de quidditate Incarnationis; quarè immeritò à Sancto Bonauentura, & Assectis eius hæc propositio negatur vt propria, *Deus factus est homo*, si verè, & propriè per alicuius agentis efficientiam Deus factus est homo, vt est in probatis.

96 Hoc idem argumentum vrgeri potest ad secundæ propositionis confirmationem puta, *Homo factus est Deus*, hunc in modum. Homo per alicuius efficientiam est Deus, & non semper fuit Deus, ergo homo factus est Deus: consecutio deducitur, vt supra: antecedens ex superiori capite liquescere potest, nam hæc propositio est vera, *Homo est Deus*, & per alicuius effectionem est Deus, scilicet, per effectionem totius Trinitatis, quare nihil impedit, quominus dicamus hanc propositionem esse veram, & propriam, *Homo factus est Deus*, eoque id magis, quod hæc propositio, *Homo factus est Deus* est conuersa, seù conuertens conuersione simplici illius propositionis, vt verè, & propriè concessæ, *Deus factus est homo*.

97 Caietanus *in comment. art. 7.* vniuerso huic Scotico discursui obuius occurrens ait hanc propositionem esse falsam, *homo per actionem alicuius agentis est Deus, qui prius non fuit Deus*, quia veritas eius exigit veritatem alicuius suæ singularis, scilicet quod aliquis homo per actionem agentis est Deus, qui homo prius non fuit Deus: sed nullus homo est talis Deus per actionem agentis, nam ille homo, qui est Iesus, qui solus inter homines est Deus, non est dè nouo Deus sed ab æterno; nec per actionem alicuius agentis est Deus, sed per æternam à Patre natiuitatem. Ad confirmationē dè propositione conuersa respondet Caietanus negando hanc propositionem, *Homo factus est Deus*, conuerti cum illa, *Deus factus est homo*, sed hanc esse eius conuertentem, *Qui factus est homo est Deus*: sicut ista propositio, *paries factus est albus*, non conuertitur cum illa, *Album factum est paries*, sed cum hac, *Quod factum est album, est paries*. Eodem modo conuertunt propositionem illam Franciscus Suarez *in comment. art 7.* & Conimbricenses in logica *lib. 2. priorum cap. 2. q. 1. art. 4.* Ad Scoticum verò argumentum respondet Suarez aliter illud efformando, scilicet in hunc modum: per aliquam actionem factum est, vt homo sit Deus, ergo homo factus est Deus, cuius argumenti ita efformati negat Suarez consequentiam, quia dicendo, *homo fit, seù factus est Deus*, non solum significatur per alicuius actionem factum esse, vt homo esset Deus, sed insuper illam actionem terminatam esse ad diuinitatem, & supposuisse hominem, quorum vtrumque falsum est.

Caietani responsum

Consentit Suarez

& Conimbricenses

Suarez formam argumenti mutat

98 Verum præcitati Auctores gratis omninò

Reijcitur Caietanus.

ninò loquuntur, & ex prauo Scoticæ sententiæ intellectu, voluntariè Scotum reprehendunt; Caietanus in primis æstimans in hac propositione, *Homo factus est Deus*, hominem stare pro supposito; cum tamen pro indiuidua stet humana natura in concreto, vt multis hucusque ostendimus; quare cum in responsione petit veritatem illius ea veritate alicuius singularis; occurtam ipsam esse singularem, & indiuiduam; quid enim, *homo*, ibi, nisi hunc hominem, & quid hic homo, nisi indiuiduum hominis, seu naturam hominis indiuiduam significat? quare hæc est vera, aliquis homo est Deus per actionem agentis, quia scilicet hic homo, qui est Iesus, est Deus; cum autem subdit Caietanus, illum hominem Iesum non esse de nouo Deũ; si de indiuiduo hominis loquatur, corrigendus est negans nouitatem huius mysterij, æternitatemque illius inducens; quod Catholici horrent audire, si de persona loquatur, non conuenit nobiscum, nec nostro obuiat argumento, qui & Iesus nomen ad indiuiduum hominis, non ad personam deduximus in superioribus; & huius hominis vocabulo nullum suppositum, sed indiuiduam, athomizatamquè hominis naturam intelligimus.

Conimbricēsium lapsus.

99 Quod dè propositionum conuersione cum ipso Conimbricenses inferunt falsissimum est, & contra Aristotelis doctrinam *cap. 2. primi lib. priorum* de conuersione simplici loquentis: est siquidem omnium logicorum certissimum pronunciatum, conuersionem simplicem esse, cum de subiecto fit prædicatum, de prædicato subiectum; traditquè ibi huius rei in aliquibus particularibus propositionibus Aristoteles exemplum, sicuti nos etiam dè propositionibus hìc altercamur; exemplum verò Aristotelis est de voluptate *aliqua voluptas est bonum, aliquod bonum est voluptas*. In hoc exemplo videant Conimbricenses proprium cum Caietano lapsum; nam si hæc *aliquod bonum est voluptas*, est conuersa illius, *aliqua voluptas est bonum*, planè de subiecto factum est prædicatum, de prædicato subiectum; nam *voluptas*, quę erat subiectum in conuertente facta est prædicatum in conuersa, & è contra, *bonum*, quod erat in prima prædicatũ,

Doctrina Aristotelis dè propositionibus conuersis

factum est in altera subiectum. At in re nostra consimiliter philosophatur Scotus: hæc enim est conuertenda; *Deus factus est homo*, in qua *Deus* est subiectũ, copula *factus est*, prædicatum *homo*, ergo conuersa illius debet hæc esse, in qua, *Deus* sit prædicatum, *factus est* similiter copula, *Homo* subiectum; talis est hæc *homo factus est Deus*; non autem illa, *qui factus est homo est Deus*; quia hæc non est in ijsdem terminis conuersis; sed adsunt duo termini desiderati in conuertente; scilicet *qui*, & *est*, vnde potius est propositio hypotetica, quam Cathegorica, quæ in Cathegoricam conuerti debet, non in hypoteticam. Exempla etiam Caietani, & Conimbricensium perperam feruntur, quia huius propositionis, *paries factus est albus*, conuersa est, *Album factum est paries*; quæ est Cathegorica illius in ijsdem terminis mutato prædicato in subiectum, ac subiecto in prædicatum; non autem illa Hypotetica. *Quod factum est album, est paries*, vt diximus, quod autem illa conuersa, *Album factum est paries*, non sit ita vera, vt sua conuertens, *paries factus est album* aliunde manat, quàm à conuersione.

100 Ad Suarez autem occurrendum, nusquam à Scoto hanc propositionem *Homo factus est Deus*, resolutam per impersonale, *Factum est, vt homo sit Deus*, sed potius per femininũ resolui ex eius doctrina masculinum terminum; vt sit sensus illius propositionis, *facta est in hominem vnio, per quam est Deus*, dato autem & non concesso, Scoticam propositionem posse per impersonale resolui; falsa est deductio Suarezii, nimirum per eam terminari actionem ad Deitatem, quæ terminatur, vt diximus ad vnionem, & rursum falsum est argumento nostro prosupponi hominem esse; eo enim instanti temporis, quo organizatio hominis expleta fuit, facta est Incarnatio; si autem de prioritate naturæ loquatur, non dissentimus; sed hæc nullum dicit incommodum, vt diximus in prænotabilibus huius eiusdẽ capitis. Generatim autem tam Suarez, quàm Conimbricenses cum Caietano circa exempla illa propositionum conuersarum reprehenduntur; quia hæc, *Is qui factus est homo est Deus*, est conuersa illius, *Is qui factus est*

Suarezio fit satis.

Deus eſt homo; loquendo de conuerſione ſimplici; regulantur enim particulatea propoſitiones inſtar vniuerſaliũ, tametſi ſuaptè natura à ſcientijs parum curentur, vt propterea circa earum conuerſionem parum philoſophi laborent.

Pręcipua Conimbricẽſium vo luntaria lectio

101 Quod autem aiunt Conimbricenſes damnari ab Ariſtotele hanc conuerſione, homo factus eſt albus, album factum eſt homo, *in 1. poſt cap. 18.* in meo Ariſtotelis contextu nihil tale legi, ſicubi tamen id dixerit, dixero, damnari veritatẽ conuerſæ, non autem conuerſionis modum, quia re vera hæc, *Album factum eſt homo,* non eſt ità vera, vt hæc, *Homo factus eſt albus,* eſt tamen verè conuertens hæc, illa conuerſa, nec neceſſum eſt in ſimplicibus conuerſionibus perpetuo vtráque propoſitionem eſſe veram, præcipuè quando ſubiectum primæ, ſeù conuertentis eſt ſubſtantia, prædicatum verò accidens commune, quæ, cum non dicantur ad conuertentiam, efficiunt, vt ſaltem *in* fieri non ſit vtraque propoſitio vera.

Noua ob ... io sol

102 Quod ſi dicas. Neque hæc eſt per ſe, *Deus factus eſt homo,* quare conuerti non poſſe ex dictis videtur. Occurram, quod licet hæ propoſitiones non ſint veræ per ſe, aliquo tamen modo inſtar propoſitionum per ſe conſtruuntur, cumque myſterium ipſum ſingulariſſimum ſit, ſingulariter prædicata de ſubiectis dicuntur; vt nulla ſint; vel ſaltem deficientia ſatis exempla, quæ ad illius explanationẽ, & ad modum eſſendi, & prædicandi declarandum ferentur.

Fabrĩ, au ctoritatibus occurſãt inepte Becanus & Bo

103 Veritatem etiam propoſitionis huius, *Homo factus eſt Deus,* conuincunt pleraque Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ refert Faber, quibus ſatis violenter Suarezij, & Recentiorum quadrat reſponſum de impropria vſurpatione: vide Fabrum ibi. Quod autem Becanus *cap. 7. q. 2. nu. 16.* & Bonacina, *quæſt. 6. puncto 1. num. 4.* aiunt Patres quandoque aſſerentes hominem factum eſſe Deum, eſſe ita intelligendos, eum qui factus eſt homo, eſſe Deum, omnes quaſi ab ore Caietani pendentes, qui primus propoſitionem illam vt conuerſam huius *Deus factus eſt homo,* inuexit, exploduntur, quia hoc reſponſum manifeſte Patrum aſſerta diruit, Auguſtini præſertim *1. de Trinit. cap. 13. talis fuit hæc*

Auguſt.

vnio, vt Deum faceret hominem, hominem Deum; & Damaſceni *lib. 3. cap. 11. dicentis, quod Verbum caro factum eſt, & caro Verbum, Deus homo, & homo Deus,* Quibus certè Bonacinæ, & Becani expoſitio violenter applicatur; ſiquidem Patres ad identitatem ſuppoſiti in duplici natura loquutiones illas, vt veras apponunt, declarandam; non ad ſolum verborum, & orationis apparatum, ornatum, & elegantiã, qualia inuexiſſent ſolum Patres, ſi pati poſſent Interpretationem ab ijs Recẽtibus inuectam, quod probo; quia hæc propoſitio ſi rectè ſpectetur, *Is qui factus eſt homo, eſt Deus,* eſt eadem omnino cum hac, *Deus factus eſt homo,* ob ſermonis dumtaxat ornatum, & conſtructionem grammaticam poſt poſito, quod proponendum eſſet; illa ſiquidem hunc habet ſenſum, *Deus eſt ille qui factus eſt homo,* ſed quis non videt, hanc eſſe eandem, cum hac, *Deus factus eſt homo;* mutato dumtaxat verborum apparatu; ſenſu tamen manente in vtraque eodem? è conuerſo hæc, *Homo factus eſt Deus,* facit hunc ſenſum, *Is qui factus eſt Deus, eſt homo,* quæ conſtructione Grammatica eſt eadem cum hac, *Is eſt homo qui factus eſt Deus;* quæ eſt omnino contraria illi; quam Recentes inducunt, nempè, *Is qui factus eſt homo eſt Deus,* contraria inquam, non in veritate, aut in ſignificatione, quam hic modo non petimus, ſed in conuerſione; quarè ſi Patres expoſitione iſtorum Recentium dicta intulerunt, eadem omnino nec mutata in quopiam ſententia intulerunt; quod ex eorum contextu patet eſſe falſum. Atqui hæc ad eorum reſponſa, quæ Scoti in hac re ſententiã flocci faciunt. Iam oppoſitam ſi quæ ſunt contra noſtram aſſertionem obiecta diluamus.

Damaſc.

104 Proprietatem illius aſſerti, *Deus factus eſt homo,* inducere videtur Sanctus Bonauentura ex timore, ne quæuis vel minima in Verbum Dei in humanatum mutatio inuehatur; inueheretur tamen vtique ex veritate, & proprietate obiecta illius enunciari, *Deus factus eſt Homo,* nam ſicut homo, qui factus eſt albus, mutatus eſt ad albedinem, ita Deus ſi dicatur factus homo, mutatus diceretur ad humanitatem: & confirmatur; quia mutari ex philoſophis eſt rem ali-

Obuiatur Aduerſariorum argumentis,

ter

ter nunc se habere, quam prius; at Verbum aliter se habuit cum humanitate, quam prius: quare mutatum videretur. Hoc dilemma alibi expleuimus.

S. Bonauentura ratio eneruatur

105 Vt ad rem præsentem attinet distinguo cum Scoto, aliud esse quidpiam fieri, aliud fieri tale, primum vtique mutationem indicat, secundum non semper; nisi quando illud, quod dicitur tale, est forma illius, quod fit tale; ad quod subiectum illud prius in potentia fuit; at in proposito hoc locum non habet vllum, in quo nec humanitas assumpta, nec vnio facta forma est Verbi, nec vsquam ad illã Verbum se habuit in potentia, quia nec illa fuit Verbi actus; si autem proteruies, non posse esse factionem sine aliqua mutatione, in superioribus dictum est mutationem esse in natura humana, non in Verbo. Ex his habes, quid sibi velit assertio illa philosophica, *mutari est rem aliter se nunc habere, quam prius*, est enim illius sensus, mutationem esse, quando res, quæ fuit in potentia, est postea sub actu.

Quid sit mutari

106 Caietanus, vt huius propositionis veritatem, & proprietatem *Homo factus est Deus*, destruat, supponit hominem in ea stare personaliter, quod enim genericè supponitur, & de nullo prædicatur sub illo generico, nec de omnibus, nec obinde genericè rectè enunciari potest; sed in proposito, *Homo* hìc nulla persona humana dicitur; ergo nec de omnibus simul, deberet autem cum sit propositio indefinita saltem in vna particulari verificari, non verificatur autem de aliqua particulari persona, vt patet. Hæc Caietani doctrina, cuius clypeo muniti Recentes bellarunt, in vniuersum falsa est: & primo hominem hìc prosupposito poni falsissimum esse ostẽdimus *in corpore huius capitis* docentes propriam significationem huius termini, *hic homo* indiuiduum humanæ naturæ explicare, non autem personam; præcipuè appositè in hoc mysterio, in quo proprium suppositum desideratur; manente indiuiduata humana natura. Similiter falsum est, hanc propositionẽ *homo factus est Deus*, nulli singulari æquipollere; nam ex veritate huius propositionis *humana Iesu natura vnita est Verbo* oritur veritas istius alterius *homo factus est Deus*.

Caietani expositio

Intercluditur

107 Ioannes à Lugo, & proprijs, & aliorum fulcitus argumentis in nostram sententiam inuehitur. Primo ex auctoritatibus Patrum Damascenus 3. *de fide cap. 2.* Nicetas *lib. 3. Thesauri cap. 32.* & Elias Cretensis *in orat. 1. Nazianzeni*, docent, non debere dici hominem Deitate affectum; sed Deum humanitatem assumpsisse. Petrus Diaconus *lib. de Incarnat. & gratia cap. 5.* *Deus* (inquit) *factus est Christus, non autem Christus factus est Deus.* Cyrillus Patriarca Alexandrinus *libro contra Antropomorphitas cap. 22.* omnium dilucidè ait *neque homo, vt quidam volunt, Deus est effectus vnitus Verbo; sed Verbum ipsum assumpta carne homo factus mansit.* Hæ sunt, & consimiles Sanctorum Patrum auctoritates; quas Vasquez supra citatus multis prosequitur.

Argumenta Lugo

Damascenus
Nicetas.
Elias Cretẽsis
Petrus Diaconus.
Cyrillus Alexã.

108 Prima ratio delata à Lugo desumitur à Suarezio; si hæc est vera, *Homo factus est Deus*, ergo Deus est terminus affectionis; at hoc est falsum; ergo & antecedens, sequela patet ex terminis, quibus indicarunt, factionem in homine terminatam ad Deum. Hæc ille, sed non sub hac forma, & verbis, sed idem omninò.

Ratio Suarij

109 Secunda ratio sumitur à Vasquez. Quod fit tale debet præire factionẽ ipsam saltem natura, sin tempore; at hic homo, nec natura, nec tempore vnionem præcessit, quare nec simpliciter pronunciari potest tale factum, nempè Deum; & propterea propositio falsa, *Homo factus est Deus*.

Ratio Vasquij

110 Tertia ratio sumitur ex propria Ioannis à Lugo doctrina; est tamen ferè eadem cum ratione Vasquezij, licet plus probans; scilicet debere, quod fit tale, nedum natura, sed tempore præire factionem ipsam: quoniam participium *factus* frequenter significat mutationem realem subiecti; non quidem semper intrinsecam; sed vel intrinsecã, vel extrinsecam, sed mutatio, vt verè mutatio sumitur, significat semper subiectum debere præcedere cum priuatione, vel negatione illius prædicati, quod de nouo acquiritur, quia idem est factum, & redditum. Dat Lugo exemplum de mutatione extrinseca-

Ratio Lugo

feca-

seca reali, de qua minus videbatur clarius, quod subiectum tempore præitet; nam lapis dicitur factus dexter absque mutatione intrinseca, & non præibat lapis hanc realem denominationem dexteræ, quam acquisiuit, & hunc modum retur hic auctor frequentissimum, & proprijssimum accipiendi participium illud, *factus*, iuxta illud Threnorum primo, *facta est quasi vidua Domina gentium &c.* idest reddita vidua,

Threnoru primo

Matth. 17. Vestimenta eius facta sunt alba sicut nix, & alibi in scripturis passim; quo sensu dicitur Deus factus homo, idest, redditus homo, acquirens de nouo esse hominem, qui prius non habebat prædicatum hominis; quo etiam sensu negatur homo factus Deus, quia significaretur de non Deo redditum Deum, quod est falsum, quia non existebat homo, antequam esset Deus: & confirmat hanc doctrinam vniuersam auctoritate

Matthei 17.

Damasceni *lib. 3. de fide cap. 2.* qui exinde colligit, non debere dici hominem Deitate affectum, quia caro illa non præcessit tempore, antequam esset caro Dei.

Damasc.

111 His etiam facili negotio occurrimus: Auctoritatibus primo, mox argumentis: & quidem Patres ne sibi ipsis dicantur contrarie, exponendi sunt; Damascenus præcipuè, cuius auctoritatem ad nostram sententiam tulimus. Aiunt ergo illi humanitatem non fuisse Deitate affectam, hoc est, deificatam; quod concedimus, sed nec etiam asserimus, Deitatem humanificatam, sed assumptam, non humanatam. quia Deitas. & humanitas impermixtæ, & inconfusæ persliterunt in supposito Verbi: & hoc indicant Patres, qui loquũtur in abstractis, non in concretis naturarum, de quibus in hisce prædicationibus dispar est ratio.

Exponũtur Patrum dicta.

Verum quidem est, aliquando Patres concretum pro abstracto, & abstractum pro concreto vicissim vsurpare; quomodo locutus est Cyrillus citatus hominem pro humanitate sumens, sed dum hoc accidit, interpretationem non violentam pati possunt eorum auctoritates; nisi malis dicere Cyrillum hominis vocabulum pro supposito sũpsisse, quasi diceret. Vnitus homo Deo non est effectus secundum personam Deus, quia in hoc mysterio non adfuit persona hominis; sed factus est ipse homo præcisa personalitate propria Deus; Vtcumque dicas, rectè dixeris: Primum tamen tutius, & ad Cyrilli mentem propius, cuius institutũ ibi erat, hæreticos illos refellere, qui confusionem in naturis comminiscebantur; is igitur concretum pro abstracto sumpsit.

112 Prima ratio ex Suarezio de prompta diluta est ex superioribus, nunc vberioris doctrinæ studio soluitur negata sequela, quia ex dictis hic nulla mutatio, nisi in humana natura, quæ facta fuit subiectum vnionis effectæ, & ad sequelam aio, ex forma propositionis huius, *Homo factus est Deus*, dignosci hominem fuisse subiectum mutatum, non vero Deum, qui est terminus, homo enim euasit Deus: Quod si vrgeat, ergo in conuertente, *Deus factus est homo*, Deus erit subiectum, homo terminus, & proinde Deus mutatus; nego sequelam, quia ista factio vnionis nihil reale dicit in termino, si is est Deus, sed neque in Deo; qui est subiectum propositionis illius, nisi secundum dici, vt dictum est. Adde nec esse necessarium, omne quod fit tale mutari, nisi prædeclarato modo, quando, scilicet, quod fit tale, est prius in potentia ad illud tale, & tale illud est quasi actus, vel vt forma illius, quod fit tale.

Soluitur ratio Suarij

Soluitur ratio Vasquij

113 Secunda ratio, quæ ex Vasquezio elicitur, assumit minorem probandam, siquidem hæc humanitas præsupponitur natura Incarnationi, quia in eo instanti, quo illa debuit in proprio supposito personari, ad Verbi personalitatem pertracta fuit, constat autem ex ipsa ratione personalitatis, quod hecceizata natura suppositationem saltem natura præcedit, nam si personalitas dicit negationem. vtique positiuum supponit, si quam positiuam entitatem dicit, cum illa sit tamen vltima actualitas, planè alias naturæ actualitates subsequetur, quomodo enim diceretur vltima, nisi quam aliam priorem supponeret?

114 Quod vltimo loco subdidit Ioannes à Lugo, acrius reprehenditur tamquam nimium probans, siquidem expetita naturæ prioritas in hoc mysterio tem-

Soluitur ratio Lugo

temporis prioritatem negligit: siquè is auctor Scoti textum inspexisset, percepisset vtique non esse necessario mutationem admittendam, quoties aliquid fit tale, nec necessario admittendam esse præcessionem temporis, sed vtramque contingenter, & accidentariò; datque doctor exemplum de Anima, quæ in primo suæ creationis instanti dici potest incipere animare corpus, cũ tamen nec tempore animationem præcedat, nec mutetur animare incipiens, quare minor argumenti eius falsa est; quam, & maior veritatem desiderat, quę tantum vera est, si, *factus*, absolutè prędicetur de subiecto, quod si prædicetur de subiecto cum tertio adiacente, nempè, si factum tale prædicetur de subiecto maior probanda est, ad cuius probationem satis ineptum est columnæ, seù lapidis prolatum exemplum, quoniam ex aliorum sensu non dicitur lapis mutatus in dexterum, sed ad summum terminare relationem subiecti mutati in dexterum; & ad alia scripturarum exempla facilis est responsio, contingere vtique interdum, vt subiectum, quod fit tale, præexistat, sed non necessario debere semper præire, vti probat auctoritas illa scripturæ ad immaculatam Virginis conceptionem relata ab Ecclesia, *Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus &c.* sanctificauit, hoc est, sanctum fecit, non quidem de non sancto, quia per nullum instans fuit non sanctum, sed quia, dum factum est, factum est sanctum; inque sua primæua factione sanctitatem habuit: ità in proposito hęc propositio *Homo factus est Deus*, non expetit necessario, vt is homo, qui ex vnione ad Deum Deus dicitur, ante præfuerit, quia potuit in eodem temporis instanti humanitas illa creari, seù fieri, & Deo vniri, & propterea potuit homo dici factus Deus; vnde cum aio, quod homo factus est Deus, non intelligo de non Deo factum esse Deum; sed absolutè hominem illum factum esse Deum. Et hoc est quod Damascenus indicauit negans debere dici hominem Deitate affectum, quia caro illa non præcessit tempore, scilicet, non hanc esse causam, ob quam dicitur homo factus Deus, quia scilicet præcessit caro, non enim caro præcessit, sed aliunde deducendem esse huius effectionis rationem; hoc autem fit, vt Scotus docet *littera* D, ex illa propositione prima in hac re, nempè, *Humana natura Vnita est personaliter, Verbo:* ex qua immediatè sequitur, quod Verbum sit homo, quia ex illa vnione Verbum subsistit in humana natura: & rursum ex hac, *Verbum est homo*, sequitur sua conuertens, *Homo est Verbum:* Sicut autem in facto esse, ita & in fieri: proindè ex illa propositione prima sequitur hęc immediatè, *Deus factus est homo*: hanc verò sua conuertens *Homo factus est Deus*; sed illa est immediatior, verior, proprior, quia propinquior primo axiomati: hęc autem vtiquè vera, & propria, sed non immediata, sicut illa.

Ecclesia in ant.

Nota doctrinã de Virginis immaculato conceptu.

115 Duæ supersunt obiectiones ex Scoti littera. Prima est, quod si homo concedatur factus Deus, Deus etiam concedi poterit factus Deus; consequens est falsum, ergo, & antecedens, sequela patet, quia per communicationem idiomatum in hoc mysterio, prædicata naturaliter dicuntur ad inuicem. Recentes alio modo hoc argumentum vrgent, probando sic sequelam, Homo est Verbum, Homo factus est Deus, ergo Deus factus est Verbum, conclusio falsa, ergo altera præmissarum falsa, non maior, vt patet, ergo minor.

Obiectio Scoti.

Secunda obiectio, si Deus dicitur factus homo, simpliciter dici poterit Deus factus, & sequela probatur à simili, quia sequitur, sortes est factus homo, ergo sortes est factus.

116 Vtramque diluo, primam negata sequela, quia regula communicationis idiomatum non valet in prædicatis explicantibus vnionem naturæ ad personam, cum enim illa prædicatio cõcedatur merito vnionis, vnionem profectò supponere debet. Insultat contra hanc solutionem Suarez *in commentario illius articuli*, quia per communicationem idiomatum, Deus dicitur genitus ex Virgine, & natus. Insultatio tamen leuis, nam, & hæc duo, *gigni*, & *nasci*, præsupponunt vnionem, & de natiuitate quidem id asserere non veremur, de genitione etiam patet, quia generatio denominat naturam, & suppositum, licet suppositum mediante natura ex Scoto *dist.* 11. *q.* 1. *littera F*, præintelligitur er-

Diluuntur.

Insultatio Suarij leuis.

tur ergo quoquomodo generationi. Ad formam argumenti ex Neotericis abundè in superioribus responsũ est, nisi addere mauis, peccare argumentationem ex quatuor conflatam terminis, quorũ duo sunt in maiori, nempè *homo*, & *Verbum*, tertius in minori, scilicet, *factus Deus*, quartus in conclusione, videlicet, *factum Verbum*. Vel dicas committi fallaciam diuersæ acceptionis vocabuli hominis, vt diximus.

117 Dilue secundam obiectionem negata similiter sequela, & habes ad probationem eius confringendam Scoti responsum, diuersam esse rationem in sorte, in quo esse hominem dicis primum esse eius, non sic in Deo; Vide Scotum ib.

Dubium an Deus dici queat sumpsisse hominem. 118 Quoniam toties hucusque meminimus hominem pro humanitate in hoc mysterio sumi, nec pro humanitate specificè sumpta, sed indiuiduali, & heccizata, non autem personata, non leui subrepit dubiusculum. An in rigore dici queat Deum assumpsisse hominem? Hanc dubitationem prosequitur S. Thomas q. 4. art. 3. vbi Caiet. & Thomistæ, & Recentiores cum Lugo disp. 13. sect. 2. & Vasquez. disp. 35. negatiuè conuicti auctoritate Fœlicis Papæ citata in Synodo Ephesina, qua decernitur Iesum Christum esse Dei sempiternum Filium & non hominẽ à Deo assumptum, vt alter sit præter illum. *Neque enim hominem assumpsit Dei Filius, vt alter sit præter ipsum*, &c. conuicti etiam ratione, quia nemo dicit humanitatem in supposito ex Damasceno statuente, quod sicut hoc nomen, *Deus*, dicit eum qui habet naturam diuinam, ita *homo*, eum, qui habet naturam humanam.

Opinio Recentiorum, & Sancti Thomæ.

Concilii Ephes.

Exponitur auctoritas Fœlicis PP. 119 Sed auctoritas Fœlicis Papæ ad rem non fertur, quæ non negat à Verbo assumptum hominem, sed negat assumptum hominem, vt esset alter præter Deum, hoc est, negat hominem assumptum in propria hypostasi, non autem hominis indiuiduum, seu humanam naturam athomam. Et ex hoc ruit ratio, quia propriè hominem explicuit Damascenus per habentem humanitatem, sicuti Deum per habentem Deitatem, sed Deus nedum pro supposito accipi potest, verum etiam pro Deitatis indiuiduo, ergo pariter homo ex Damasceno.

Ratio soluitur.

Opinio auctoris. 120 In hac disputatione penitus verbali præter ea, quæ in eius gratiam alias tradidi, & dicturus sum prædefinitionem Christi postulando, mihi non videtur recedendum ex communi & antiquissimo Patrum, & Conciliorũ loquendi modo, secundum quem hucusque locuti, hominem pro natura singulari vsurpauimus; sed Patres, & Concilia hominem à Deo assumptum passim concesserunt, vt videre est in Concilio Toletano 1. 6. & 11. Ephesino, & Alexandrino, Augustino *de præ destinat. sanctorum cap.* 15. & Rursum *9. de Ciuit. Dei cap.* 17. vbi Ludouicus Viues Interpres eius Scolasticos de hac re ab re verentes irridet; Hieronymo *in cap.* 26. *Matthæi*. Boetio *lib. de duabus naturis*, & alijs, ab ipsis etiam Lugo, Suarezio, & Vasquezio relatis, quibus insulsè satis respondet Lugo, humanitatis nomen tunc temporis non fuisse in vsu ad significandam humanam naturam, sed eruditionem, vt patet apud Aulum Gellium *lib.* 13. *c.* 16. sed reuera nimis egenus erat latinus sermo, si id vnum vocabulum vnum habebat significatum, & illud quidem impropriũ; immò ridiculum videtur asserere prisci temporibus, quam nunc temporis elegantiorem in vsu fuisse sermone.

Concilii Tolet. Alexãd. Ephes. Ludouic. Viues. Hyeron. Boethius. Responsio Lugo inepta, & Grammaticalis. Aulus Gellius

121 Ego igitur, vt dixi hunc loquendi modum, *Verbum assumpsit hominem*, improbare non possum nulla ratione contraria victus; immò ex logicis edoctus, hominem esse terminum concretum significantem naturam, & indiuiduum, & tertius in hoc mysterio motiuus, hominem sumi pro indiuiduo humanæ naturæ, non pro supposito humano, quod nullum est, immo, & non vereor secundum hoc significatum concedere, Verbum assumpsisse hunc hominem, nomine siquidem huius hominis, non hoc suppositum humanum, sed hoc humanæ naturæ indiuiduum, seù naturam hanc athomam intelligo. Quod si Patres aliqui id verentur concedere, factum puta, quia hoc videbatur significare suppositum, hinc Damascenus concedens Verbum assumere dici posse hominem, negat posse hunc hominem, cum tamen huius hominis

voce,

voce, non nisi hominem indiuiduum intelligamus, fortasse ita locutus est Damascenus ad ansam vitandam, ne cui videretur dicendum, hominis suppositum assumptum. Si mihi obijcias Scotum *in hoc. 3. d. 11. q. 3. litt.* D. §. *si dicas, quod iste homo, &c.* vbi confitetur, quod hic terminus *iste homo* non potest supponere, nisi pro supposito, quarè totus hucusque discursus præstitus falsus est. Respondeo Scotum ex hypotesi locutum, & ex concessis, hoc est, supponēdo, quod *iste homo* non possit supponere, nisi pro supposito diuinæ naturæ in illa propositione quæsitum, an posset etiam supponere pro supposito humano; Respondisse, quod hoc verum est, idest, quod supponit pro supposito diuino, *Scoti sensus.* quia scilicet non est ibi aliud suppositum, sed tamen potest supponere pro illo, & est suppositum cum humana natura; sed si absolutè sumatur *hic homo*, vel *ille homo*, indiuiduum magis, quem suppositum designat, licet in nobis, in quibus indiuiduum hominis, & suppositum idem sunt, idem significet. Dices adhuc Scotum *dist. 6. q. 3.* spopondisse solutionem huius postulationis, an *ille homo* possit stare pro singulari, non pro supposito Verbi, eadem *dist. 11. q. 3.* vbi apertè ait stare pro supposito.

Respondeo id verum esse, attamen non præstitisse solutionem genericè, sed solum modo explicato, fortè quia non spoponderat affirmatiuè, sed obiter; ait enim *tangetur, &c.* non autem *dicetur*.

AN CHRISTVS ABSOLVTE dici queat creatura, an saltem secundum quod homo.

CAP. IV.

122 Duplici quæsito petitiones hasce prosequitur Scotus, videlicet *q. 1. & 2. d. 11. huius 3.* Visum tamen est nobis difficultatem vtramque vnico capite complecti, vt potè alteram alterius asseclam, & in sola vocum potius varietate, quam in veræ rei dissensione positā. Agit de hac re per duos articulos Sanctus Thomas 3. *p. q. decima sexta, art. 8. & 10.* in qua quid planè sanciat, non seuties, si dissentientibus Interpretibus auditum præstes. *Dissensus in sententia Sancti Thomæ* Is profectò *art. 8.* docuit, ne cum hæreticis Arianis conueniamus, qui Christum Patre minorem, & puram creaturam iactabant, non esse concedendam absolutè hanc propositionem. *Christus est Creatura*, sed cum addito nempe *secundum Humanam naturam*, seù *Secundum, quod homo*, ita etiam iterum docuit *art. 10.* An autem hæc propositio *Christus est Creatura*, damnetur tamquam falsa tantum, an tamquam suspecta, an tamquam hæretica; An verò, licet propositio vera sit, ob solum periculum conueniendi cum hæreticis, damnetur, S. Thomas non explicat, explicant diuersimodè Thomistæ.

123 Caietanus in vtriusque articuli commentario, nec vt hæreticam, nec vt suspectam, sed neque vt falsam propositionem illam ex S. Thoma tenuit, sed vt ambiguam dumtaxat; siquidem omnis ambiguitas è medio tollenda est, dum dè diuinis affamur; nequid occasionis in Hæreticorum animos subrepat asserandi, vel putandi nos cum ipsorum erroribus conuenire. *Expositio Caietani.*

Contra Capreolus *in 3. sent. d. 11. q. 1.* & Ferrariensis *quarto contra gentes cap.* 48. propositionem illam de mente S. Thomæ vt omnino falsam iuxta sermonis proprietatem renuunt, consentitque cum ijs Malchior Canus *lib. 12. de locis cap. 11.* *Expositio Capreoli & Ferrariensi.*

Opinio Lorcæ. Opinio Vaſquezij, Suarezij, Lugo, Becani, et Bonacinæ.

124 Recentiores Thomiſtæ; ſi tamen Thomiſtarum vocabulum eis quadrat, qui ſolum Sancti Thomæ ordinem, ſententiam verò, quando ijs opus eſt tantum, inſequuntur; opinionem ſuam partiti ſunt, nam Petrus Lorca *artic.* 8. *diſp.* 64. ſubſcribit Capreolo, & eidem etiam ſubſcribere Suarezium *in Commentario art.* 8. ex parte ait Ioannes à Lugo licet immeritò, vt infra dicetur: Caietano ſubſcribunt Vaſquez *diſp.* 65. *cap.* 1. & verè Suarez *loco citato* Ioannes à Lugo *diſp.* 23. *ſect.* 4. Becanus, & Bonacina, *q.* 5. *puncto* 4. *propoſitione* 2. & videtur opinio in ſcola Sancti Thomæ receptior.

Opinio Scoti iuxta mentē Fabri & Baſſolij.

125 Scotus noſter, ſi Fabro credis, problematicus eſt, ita vt opinionem vtrāque arbitretur probabilem, immò ſi Baſſolium adeas, videbis receptam fuiſſe tunc temporis Scotiſtarum ſententiam, propoſitionem illam eſſe veram, ſed non temerè propugnandam, ne cum hæreticis conſentire videremur.

Vera Scoti opinio.

126 Mihi tamen videtur Scotus propoſitionem hanc *Chriſtus eſt creatura*, negaſſe vt falſam, vt patet *d.* 11. *q.* 1. & 2. immo *q.* 2. neque cum hoc addito illam vt veram patitur, *Chriſtus in quantum homo eſt creatura*, quam tamen ſine hæſitatione Thomiſtæ tuentur vt veram *art. illo decimo citat.*

Obſeruatio neceſſaria.

127 Ad Scoticæ ſententiæ intellectum obſerua ex ipſo *q.* 1. Creationis vocabulum, quod latè funditur, de cuius ſignificato nos etiam in ſecundi ſententiarū veſtibulo locuti ſumus, hoc loco bifariam poſſe ſpectari, latè videlicet, & preſsè. Preſſe creatio dicit vtique factionem rei, & proinde reſpectū ad cauſam effectricem, ſed cum hoc, reſpectum etiam dicit ad non eſſe immediatè præcedens, ita vt illud ſolum dicatur verè creari, quod à primo efficiente immediate producitur in eſſe, ita vt oppoſitum eius immediatè præcedens ſit contradictorium, id eſt negatio, non priuatio, quæ connotat ſubiectum: vno verbo preſsè creatio dicitur factio rei à Deo ex nihilo, quo ſenſu id creatur, quod à Deo accipit eſſe poſt purum nihil, ita res in principio temporis à Deo immediatè cōditæ creatæ dicuntur. Latius creationis vocabulum protenditur ad quamcumque effectionem rei à Deo,

Quid ſit creatio ſtrictè. Quid creatio lat.

ſiuè mediatè, ſiuè immediatè, cuius rei præextitit ſuſceptiuum, vel materies, ita effecta quæcumque dicuntur creata: immò & creaturæ. Hæ autem duæ creationis acceptiones in eo conueniunt, quod ſecundum vtramque illud, quod creatur, accipit primum ſui eſſe poſt non eſſe, cum hoc diſcrimine, quod primum non eſſe creati primo modo eſt purum nihil; non eſſe autem creati ſecundo modo non eſt purum nihil, ſed priuatio in ſubiecto, ſeu materie.

Alter. moniti.

128 Rurſum monet Scotus, cuius doctrinam refero, ac declaro, vt ex eius fundamēto ſtabili Scotica fabrica immobilis perſeueret, nec ruat, vt ludere voluit Caietanus. Monet (inquam) Scotus, adhuc bifariam intelligi poſſe primum eſſe alicuius rei, cuius ſupra meminimus, nam primo illud dicitur eſſe primum eſſe rei creatæ, quo totum eſt primo ens, & adæquatè, quo ſenſu humanitas dicitur primum eſſe corporis organici animati, quia per eam totum, quod conſurgit ex vnione partiū eſt adæquatè totum. Secundo primum eſſe alicuius dicitur, quod eſt eſſe primæ partis totius, ita ſi organizatio, ſeu corpus organicum duratione, & tempore præcederet animationem; tunc primum eſſe hominis eſſet eſſe corporis organici.

Quid ſit primum eſſe rei.

Conſtrit Suarez.

129 Hinc ipſam doctrinam; quam de diſtinctione creationis ipſemet etiam amplectitur Suarez in *commentario art. citati*, ad rem noſtram accommodantes dicimus, quod neutro modo cum veritate dici poteſt Chriſtus creatura: non equidem primo modo, quia ſi loquamur de ſuppoſito Verbi, & diuina natura euaneſcit dubitatio, cum vtrumque ab æterno, & eternum fuerit, & nuſquam creatum, ſuppoſitum enim Verbi vtique ab æterno productum confitemur, ſed creatum negamus, quod nō de nihilo, ſed de paterna manauit ſubſtantia. De humanā natura neſcio quid ſomnient Vaſquez, & Lugo illam de nihilo creatam, cum de fide ſit, humanitatem Chriſti ex puriſſimis Deiparæ Virginis ſanguinibus, vel etiam ex ſemine compaginatam, ob id rectiſſimè Dei Genitrix appellatur, cauſalitatem aliquam reſpectu illius habens.

Expoſitio Vaſquij, & Lugo falſa.

Inſuper oppoſitum illius humanitatis

tis non fuit purum nihil; cum materia ipsa corporis transmutationem habuerit à sanguine ad organici corporis formam.

Obiectio Vasquij, & Lugo 130 At (inquiunt ipsi) Anima Christi tunc ex nihilo creata fuit, materia verò in prima rerum creatione. Planè à remoto satis principio arguunt, nempe à prima materiei creatione, sed profectò prima illa Christi corporis materies ante esse Corporis organici formam habebat sanguinis, quæ forma sanguinis transmutata est in formã corporis; non *Negligitur.* ergo ibi creatio, sed transmutatio à forma opposita, & à priuatione ad formam, qualis non est in creatione priori significato accepta, quæ nullum subiectum supponit proximum, aut remotum, sed purum nihil rei creatæ.

Altera Aduersariorum obiectio. 131 Instant rursum Vasquez, & Lugo. Christus dicitur Creatura à Patribus, & non nisi sub hac acceptione creationis propria, quia dicitur Creatura, prout opponitur creatori; Deus verò dicitur Creator; non quatenus facit aliquid denuo, cuius oppositum præexistens non est purum nihil, sed subiectum cum priuatione; sed quatenus facit aliquid ex nihilo; alioquin etiam creaturas diceremus rectè creantes; quia producunt effectus ex opposito priuatiuè saltem, præsupposito subiecto. Respondeo, *Exitus* Christum dici vtroque modo creatorẽ; sed principaliter primo modo, quo est creator verè, ac strictè loquendo; nego tamen à Patribus Christum appellari creaturam strictè, prout creatori strictè opponitur; sed excessiuè loquutos creaturam secundo creationis sensu accepisse; vel si in primo sensu modo inferius explicando, dum hanc propositionem ventilabimus *Christus in quantum homo est creatura.* Quare statuendum est, creationem propriè acceptam nullo modo verificari posse de Christi humana natura, neque propterea de ipsomet Christo, qui si quam creationis acceptionem pati posset; planè ratione humanæ naturæ dumtaxat. Sed neque secunda acceptione creationis posse *Scotica probatio.* Christum dici creaturam, probatur ex Scoto. Id dicitur hoc sensu creatum, quod accipit primum sui esse post non esse, saltem in materia, suum, inquam, esse totale, vel partiale modo exposito: sed Christus neutro modo accipit primũ sui esse in Incarnatione; ergo nullatenus dicitur creatus, & creatura. Maior constituta iam fuit in superioribus. Minor probatur ex sufficienti numeratione; quia non primum esse totale, nec primum esse partiale primæ partis, ergo nullum esse primum tale, de quo quærimus. Quod non primum esse totale, patet, quia illud nullum est, cum nullum resultet ex natura diuina, & humana; alias confunderentur naturæ, nec manerẽ; ita inpermixtæ, quod renuit fides; nec primum esse partiale; quia si quid illud est, esse Verbi profectò est, hoc autem non recepit in Incarnatione Christus, quod fuit ab æterno; ergo deficiente in Christo habitudine ad oppositum immediatè præcedens vnionẽ, quæ est, quod primum esse sequatur non esse, deficit ratio creaturæ in ipso.

132 At dicet aliquis ex doctrina Aduersariorum. Ratio vniuersalis docet, prædicata propria naturæ tribui naturæ in concreto, & ipsius naturæ supposito, nisi obstet ratio specialis, vnde quia Christi humanitas affixa Cruci fuit; affixus dicitur Christus Cruci; ita in proposito, ex quo humanitas creata fuit, & creatura, rectè homo, & Christus dici poterit creatura. *Instatur pro Aduersarijs.*

Satis laborat Lorca in huius enodatione obiecti, satisque nititur Lorcæ doctrinam refellere Lugo, vt videre est apud ipsum: Scotista tamen Scoti superiori doctrina fultus, facilè rideret instantiã negata paritate de Crucifixione, & etiam de morte, de generatione, & alijs; & ex alio capite de creatione, quãuis ipsa quoque humanitas dicatur creata falsè secundo modo: quia esse primũ huius naturæ humanæ non est esse primum Christi, idcirco ea creata non dicitur Christus creatus, quamuis dicatur genitus; quia generari denominat naturam, & mediante natura suppositum, creatura autem, seu creari non primo naturam, quam suppositum; sed vtrumque propria denominatione: & cursus discrimen est inter generari, mori &c. & creari; quia generatio in Christo dicit vtique acquisitionem esse simpliciter, non tamen totius esse adequati, vel primi esse; similiter, & mori *Inanis Lorcæ & Lugo labor.*

mori

moti dicit destructionē esse Christi, quod est viuere, sed non totalis esse adequati, vel primi esse; creatio autem, vt diximus, dicit acceptionem esse post non esse, esse, inquam, vel totalis adequati, vel primi partialis; ob quam rationem ita negatur Christus creatus, sicuti negatur annihilatus.

Audacia Lugo.

133 Equidem Lugo non veretur concedere, dici posse sano sensu Christum annihilatum, non significando annihilationem suppositi, sed naturæ; sed audaciam viri temperare debet turpitudo nominis, sin minus ratio, quæ est, quod si creatio dicit acceptionem esse primi post non esse, annihilatio illi opposita dicet vtique destructionem primi esse in Christo; & sic destructionem Verbi, quod quam impiè dicatur, viderit is qui dixit: Adde de ipsa quoque humanitate annihilationis vocem perperam pronunciari; est enim annihilatio entis secundum se totum in nihilum transitio, ita vt nihil illius, nec etiam subiectiuè, & materialiter remaneat; at quis hoc sensu affirmare audebit humanitatem Christi in morte annihilatam immortali illius humanitatis extra corpus mortuum superstite animo, ipso permanente corpore sub cadauerica forma in triduo? Potiò si alio sensu annihilationis vocabulum vsurpauit, impropria significatione vsurpauit, & inde seuerius coercenda eius opinio; qui nominis significata extorquens, euidentissimum subit errata pronunciandi periculum.

Quid sit annihilatio.

Alia probatio superioris effâti.

134 Alio etiam argumento veritas eadem probari potest, itidemque ex Scoto deprōpto; estque huiusmodi. Quandocumque prædicatum natum est inesse subiecto per se, & non per aliud denominare totum, & partem; id vtique non denominat totum per partem, sed per se; sicut enim conuenit, ita denominat; sed hoc prædicatum *creatus*, *creatura* &c, natum est inesse supposito per se, & non per naturam; ergo non denominat suppositum ob naturam; sed per se; si ergo diceretur de Christo denominaret Christi suppositum per se creatum; & non secundum humanam, quam sustinet, creatam naturam: Minor patet; quia, cum creari dicat respectum ad primum efficiens cum habitudine ad non esse immediatê præcedens; hic respectus nedùm in natura, sed in supposito fundari potest; & fundatus suppositum per se denominat, nō in ordine ad naturam; seu, non quia denominat naturam: & hæc est differentia inter gigni, nasci, viuere, intelligere, commedere & c. ex vna, & creari ex alia parte, quia illa denominant suppositum ratione naturæ; creatio verò non secundum naturam; sed secundum se suppositum denominat; vnde cauendum monet Scotus *in solut. primi arg. ante litt. G, q. 1. & q. 2. litt. B, & C*, quædam esse prædicata, quæ nata sunt denominare suppositum ratione naturæ, quædam verò nō ratione naturæ, sed suopte ingenio: vel rectius, quædam nata sunt denominare totum ratione partis, quædam partem tantum, cui insunt: exempli gratia, sic homo flauus, vel crispus secundum capillos capitis, crispus, & flauus color capillis inhærens totum hominem crispum, & flauum denominat: è contra albedo inhærens solummodo dentibus hominis æthiopis non totum hominem æthiopem album, sed dentes dumtaxat hominis æthiopis albos denominat: ita in proposito prædicata quædam dicuntur de Christo, quia primo de humana natura dicuntur, mox de supposito, vt sunt ambulare, commedere, generare, nasci, mori, & similia, quæ vel sunt naturæ effecta, vel circa naturam effecta; creari verò, cum sit penitus extraneum, siquidem ab externo efficiente totaliter fit, fierique ita nedum natura, sed suppositū aptum sit natum, propterea non denominat suppositum per naturam, nec totum per partem, sed vnum quodque per se; non sic autem se habet Creatoris nomen, quia hoc etiam natum est denominare suppositum, ratione naturæ, quandoquidem ex formali infinitate diuinæ naturæ, propter quam diuina supposita infinita dicuntur, suppositis ipsis Creatoris nomen accommodatur: & ex hoc habes etiam responsum ad obiectum illud Recentiorum de Creatore, & creatura, quod alio modo supra diluimus.

Egregia Scoti admonitio.

135 Contra hanc doctrinam: quam non ex Scoto, sed ex Lorca recitat Ioannes à Lugo, cum tamen eam Lorca ex Scoto descripserit, arguit is auctor in hunc

Aggreditur Lugo.

modum. Si hæc doctrina, & distinctio vera esset, sequeretur has propositiones esse falsas, *Christus est materialis*, *Christus est corruptibilis*, consequens est falsum, quoniam ipso vsu probamus prædicata illa verè enunciari de Christo; sequela probatur, quia prædicata illa ratione sui, & nō ratione naturę supposito cōueniunt. Sed hæc noui huius auctoris instantia planè noua est apud Philosophos; nouitatemque illius ipsa etiam nomina, & prædicata *materialitatis*, & *corruptibilitatis* demonstrant; quæso enim ipsum, vnde materialis homo, nisi ex materie? Vnde corruptibilis, nisi ex corruptionis principio, quod est materies? Vt quid igitur audet negare, prædicata illa ratione naturæ enunciari de supposito? an aliquod suppositum suaptè natura materia est, vt materialitas illi, & corruptibilitas non ratione partis, aut materiæ conueniat? planè hæc prædicata Christo conueniunt, non ex ipsa ratione suppositi, sed ratione humanæ naturæ, quæ ex materia, & forma conflatur, propterea enunciare illa de Christo ratione naturæ non veremur, veremur autem prædicatum creationis enunciare, quod non ob naturam dumtaxat, sed suopte ingenio aptum natum est conuenire supposito.

Retunditur.

Altera Lugo proclamatio Inanis.

136 Rursum proclamat Ioannes á Lugo, proposita exempla crispi, & albi, nō secundum rem, secundum quam aliter esset dicendum, sed ex solo hominum vsu vera esse. Sed hæc proclamatio inanis est, preterquam quod enim exempla illa sunt, non identitates, & in exemplis quibusque dissimilitudinem similitudini coniunctam nanciscimur, adhuc nos etiam hoc loco, non tam de re ipsa loquimur, quam de propositionum veritate, quæ vt plurimum ex hominum vsu dependet, iuxta quem rectè dicimus Christum incarnatum, cum potius dicendus esset inhumanatus: sat ergo est nobis creationis vocabulum, siue ex se, siue ex vsu non conuenire supposito ratione naturæ, sed æque supposito, ac naturæ; quamuis re vera non tam ex vsu, quam ex ipsa ratione creationis creationem ipsam conuenire toti per se, non autem ob partem, neque parti ob totum patefecerimus.

Alterum effatum

137 Huic doctrinæ addendum est propositionem hanc *Christus secundum quod homo est creatura* distinguendam esse, si enim particula illa, *secundum quod homo*, se teneat ex parte subiecti, tunc facit sensum reduplicatiuum, si verò ex parte prædicati, facit sensum specificatiuum: quid vero vterque sensus sibi velit, edixerunt Logici: interim prout loci huius requirit occasio, vno verbo, vel altero explanatur. Reduplicatiuus sensus reduplicat rationem, seu formalitatem subiecti, & inhæsionis prædicati cum subiecto, & obinde sensus reduplicatiuus huius propositionis *Christus secundum quod homo est creatura*; erit *Christus quia homo est, creatura est*. Ita vt illa particula, *secundum quod homo*, sit redditiua causæ, cur prædicatum dicatur de subiecto: specificatiuus autem sensus, vt nomen ipsum sonat, specificat, siue declarat, secundum quam partem prædicatum enunciari queat de subiecto (& refert dicere secundum rationem, & secundum aliquam partem, nam ratio dicit quidditatem rei, pars vero, si intrinseca partem quidditatis, si extrinseca, non quidditatem, sed accidentarium quid dicit) fietque sensus specificatiuus propositionis huius, *Christus secundum quod homo est creatura*, idest Christus est creatura secundum humanitatem; quod est dictu *humanitas Christi est creata*, & hæc propositio vera est de creatione secundo modo sumpta; obseruandum tamen est, quod rectius propositionis illius veritas intelligitur, si specificatio ponatur ex parte prædicati, quam si ponatur ex parte subiecti, ratio est: quia specificatione posita ex parte subiecti videtur propositio facere sensum reduplicatiuum, idem enim videtur esse dicere *Christus in quantum, seu, secundum quod homo est creatura*, ac simpliciter dicere *Christus est creatura*, in vtraque enim propositione prædicatum creaturæ enunciatur de Christo, quamuis in altera absolutè, & simpliciter in altera vero assignetur ratio inhæsionis prædicati cum subiecto; at dicendo *Christus est creatura secundum humanitatem* propositio ista distrahit prædicationem creationis de Christo per illud additum, *secundum humanitatem*, facitque hunc

Quid sit sensus reduplicatiuus, quid specificatiuus.

Obseruatio pulcra.

sensum

sensum, Christi humanitas creata est.

138 Vniuersa hæc doctrina Æthiopis exemplo clarificatur à Scoto, etenim propositio hæc, *Æthiops est albus* falsa est omnino, similiter hæc propositio, *Æthiops secundum dentes est albus*, reduplicatiuè falsa est, facit enim hunc sensum *Æthiops est albus*, & ratio ob quam albus est, est quia *habet dentes*, secundũ quem sensum, quis non videt propositionis falsitatem? Specificatiuè autem propositio illa vera est, quia facit hunc sensum, *Æthiops est albus secundum dentes*, scilicet, Æthiopis dentes albi sunt, penes quos Æthiops ipse, alioquin niger, nuncupatur albus.

139 Quid contra doctrinam hanc edisserant Caietanus, & Suarez, consule responsum ex Fabro; non enim in re parui ponderis immorandum, ipsi enim contendunt specificationem non necessario se debere tenere ex parte prædicati, nos autem diximus veritatem propositionis adductæ patere lucidius specificatione posita ex parte prædicati, quam ex parte subiecti: quæ dicta, vt vides, non pugnant ad inuicem. Si qui Patrum, quorum auctoritatibus paginas suas locupletant Recentes, asserere visi sunt, Christum esse creaturam, vel saltem secundum quod homo est creaturam esse, habes responsum ex dictis eorum asserta vera esse de creatione impropriè, seu latiori sumpta vocabulo, & specificatiuo sensu, non reduplicatiuo: quoldam eorum per tropos loquutos, vt patet apud Hieronymum in *commentariis secundi capitis epistolæ ad Ephesios*, qui eo ita Christum tota specifiducia creaturam concedit, vt vermem, & maledictionem esse concedit; [illegible] autem Christum per tropum dumtaxat vermem appellari, & maledictionem non per se, aut formaliter nuncupari, sed quia maledictiones nostras ipse portauit; quosdam denique [illegible] excessisse loquutos ad humanitatẽ Filii Dei energicè explicandam, secundum quam ita se exinaniuit, vt quasi se creaturam, vel creaturam [illegible] reddiderit, quamuis propriè is Dei Filius neque creatus dici queat, neque creatura.

140 Postulabis veritatem huius propositionis, *Hic homo* (ostenso Christo) *est creatura*, vel illius, *Iesus est creatura*. Occurram ex doctrina toties tradita, secundum vim nominis propositionem vtramque posse dici veram, quia, *hic homo*, humanitatem athomam, seu in indiuiduo formaliter designat, ad quod indiuiduum explicandum nomen *Iesu* impositum fuisse in superioribus diximus, obinde, licet ostenso Christo propositiones illæ enuncientur, videntur simpliciter concedendæ, quoniam sensus prioris est, humanitas hæc creata est, sensus alterius est, humanitas Iesu creata est, non sic autem regulatur illa, *Christus est creatura*, in qua præceptore Damasceno Christi vocabulum suppositum Verbi demonstrat, vt in duplici natura subsistens. A (inquies) sensus huius propositionis est *Christus est creatura*, hoc est, Christus terminat, seu hæc Verbi persona terminat naturam creatam. Respondeo vtique sensum hunc esse verum, sed propositionis illius minimè proprium, quoniam hæc propositio, *hæc persona terminat naturam creatam*, in duas propositiones resoluitur, quarum prima est, *hæc persona est homo*: Altera propositio est. *Qui homo est creatus*.

Iesus est creatura, an propositio vera?

Respondetur obiectio.

141 Allatis propositionibus affines sunt illæ: *Christus incæpit esse*, *Christus secundum quod homo incæpit esse*, quarum veritatem prosequitur Scotus *in 3. sent. d. 11. q. 3.* vbi Scotistæ omnes, & S. Thomas *3. part. q. 16. art. 9.* vbi Thomistæ, & Suarez, & extra commentarios, Vasquez *disp. 67. cap. 2.* Petrus Lorca *d. 65.* Ioan. à Lugo *d. 23 sect. 5.* Non idem tamen de iis, ac de superioribus Iudicium ferunt Scolastici, nam Scotus, qui supra positas propositiones *Christus est creatura*, *Christus secundum quod homo est creatura*, vt falsas neglexit, has videtur concedere, vt veras, *Christus incæpit esse*. *Hic homo* (ostendendo Christum) *incæpit esse*, licet absolutè neget has esse veras, *Verbum incæpit esse, Filius Dei incæpit esse*, quare voluntariè locutus est Lorca constituens Scoti sententiam esse, hanc enunciationem esse veram, *Verbum incæpit esse*; vt simpliciter dicendum sit, vel inuisum, vel non visum in hac re fuisse Scoti textum Lorcæ. Scotum sequuntur Interpretes eius,

An hæc sit vera, Christus incæpit esse.

Scotus S. Thom. Suarez Vasquez Lorca, & Lugo.

Scotus non visus à Lorca.

& ex exteris Gabriel Vasquez *loco cit.*

142 Contra vero Sanctus Thomas, & cum eo Asseclæ, & Suarez, & Lugo; qui lubentius se in eam ire sententiam profitetur, quia communiorem, putatque nefas in modo loquendi à communi hominum sensu desistere. Hi (inquam) Auctores simpliciter negant, propositiones illas esse veras; ita vt singuli opposito modo loquantur in hac, & in superiori dubitatione, quamuis sint inuicem ambæ affines; nam qui concedunt Christum esse creaturam negant incæpisse esse: qui negant, concedunt incæpisse esse; est tamen (arbitror) lis tota in verbis; quoniam si terminus ille *esse* sumatur pro primo esse; cum acceptio primi esse sit creatio, siue propriè, siue impropriè accepta; qui concedunt Christum esse creaturam, & hanc negant, *Christus incæpit esse*, sibi ipsis contraria dicunt: similiter contradicunt sibi, qui concedunt Christum creatum, & negant secundum hunc sensum incæpisse esse. Hinc minus consequenter loquuti sunt cum eorum Magistro Thomistæ, qui in hac propositione, *Christus est creatura*, acceperunt Christum pro supposito, sicut in ista, *iste homo incæpit esse*, & hanc negarunt, illam concesserunt, licet ad euitandum cum hæreticis locutionis genus, non esse illam vsurpandam addiderint; si enim creari est accipere esse post non esse, difficilius videtur concedendum, quodquid creetur, quam quod esse incipiat, eoque id magis, si nulla adhibita distinctione in vtraque propositione loquantur.

Contradictio Thomistarũ.

143 Cautius Scoto factum est, qui distinctioné poposcit: est autem distinctio ex parte prædicati illius propositionis; quia ex parte subiecti idem secundum communem vsum videtur esse loqui de Christo, qui dicit diuinum suppositum sustentans etiam humanam naturam, ac de isto homine ostenso Christo: Dixi notanter secundum communem loquendi modum; nam iuxta nostram, quam in hisce tulimus scriptis sententiam, si hic terminus, *hic homo*, ad humanitatis indiuiduum, seu ad ipsam at homam referatur humanitatem, veritas propositionis difficultate caret: ex parte autem prædicati, nempè circa illud verbum, *Incepit esse*, distinctio est; nam incipere esse potest denotare inceptionem primi esse rei, de qua dicitur inceptio, vel inceptionem absolutè cuiusque esse. Vnde supponendum ex logicis in materia de illis effatis, *Incipit*, & *Desinit*, de quibus prolixas admodum Nominales contexunt altercationes, & præcipuè ex dictis à Scoto *quol. 12. littera M, paulo ante solutionem principalium* quod hoc Verbum, *Incipit* dupliciter exponitur, primo cum affirmatione præsentis, & negatione præteriti, vt dicendo *Franciscus incipit*, denotatur Franciscus iam esse, & prius non fuisse; secundo exponitur cum affirmatione futuri, & negatione præsentis, vt occidente sole dicimus, *noctem incipere*, quia erit nox, & ante solis occasum non fuit: Hac ergo doctrina supposita, ad distinctionem propositam reuertendo; qua nempè inceptio, vel dicit acceptionem primi esse vel acceptionem esse absolute;

Distinctio Scotica.

Quid sit Incipere esse.

Scotus quolibeto 12.

Respondet breuiter Scotus, quod si inceptio dicat inceptionem primi esse rei, de qua dicitur, hæc propositio est falsa, *Christus incepit esse*, quia nec esse totale constatum ex illis naturis, quod nullum est, hactenus diximus, nec primum esse partiale principale incepit esse; non enim Verbum incepit esse, quod ex Ioanne *cap. 1.* semper fuit ab æterno apud Deum; si inceptio dicat acceptionem cuiuscumque esse substantialis absolutè, tunc Christus dici potest incepisse esse, quia Christus absolutè incepit esse humanum, quod est etiam esse substantiale, & est esse simpliciter Christi, qui dicit suppositum in natura humana, & diuina; ita vt altera natura seiuncta non dicendus esset Christus: non sic autem effamur de Verbo, cui cum sit aduentitia natura humana, non dicitur esse humanum esse Verbi simpliciter, licet de Verbo dicatur modo capite primo exposito.

Ioannis primo.

144 Ex his ratio ad hanc assertionem conflari in hunc potest modum. Incipere esse dicit acceptionem simpliciter, & absolutè alicuius esse substantialis, siue illud sit totale esse, siue partiale, siue minus principalis, dummodo substantiale sit: Sed esse humanum est esse substantiale Christi, licet nec totale, nec primum; ergo incipere illud esse rectè enunciari poterit de Christo, &

rectè dici poterit Christus incœpisse esse.

Quid intersit inter esse creaturã, & incipere esse. 144 Atqui ex hac distinctione Scotica videbis distinctionem inter esse creaturam, & incipere esse; nam hoc absolutè dicit acceptionem alicuius esse substantialis; illud verò prædicatum, *Creatura*, dicit acceptionem primi esse, sin minus totalis, post non esse; vt supra dicebamus; quod si creatio latè pro quacumque entis acceptione sumatur, verbo tenus discriminarentur: Verum ex Scoti doctrina, cum creari dicat accipere esse post non esse, debeatque esse acceptum esse primum siu totale, saltem partiale, cum respectu ad non esse immediatè præcedens; distinctio euidens apparet inter creari, & incipere esse ex eiusdem doctrina. Quocirca cum argumentatur Medina *in expos. art. 9. q. 16. Christus incipit esse*, ergo est creatura, con sequentia voluntaria est iuxta principia Scoti; iuxta autem doctrinam eius, & aliorum Thomistarum, ipsi viderint; certè cum per ipsos idem sit incipere esse; & esse creaturam, vt arguit Medina, nescio, quo casu negent Christum incœpisse esse, quem esse creaturam affirmarant *art. 8.*

Obiectio Medinæ.

Reijcitur

Responsio Lugo. 146 Verum huic Scotico dilemmati, seu huic argumento ex Scoti principijs hausto occurrit Ioann. à Lugo, per hãc vocem, *incipere esse*, designari subiectum debere simpliciter, & absolutè incipere esse, quod autem antea erat, non simpliciter incipit esse; nec satis est, quod esse acceptum denuo sit substantiale; cum requiratur subiectum absolutè incipere debere esse. Sed hæc doctrina confundit creationem cum inceptione esse simpliciter, proinde reuerberatur; nam si non debuit esse ante, quod incipit esse, ergo debet creari, quodcumque esse incipit; è contra igitur cum Christus dicatur ab eo creatus, consequenter concedi debet esse incœpisse.

Confutatur.

Lapsus Lugo. 147 Sed is auctor decipitur in nominum significato; in quo nisi conueniant disputantes, erit disputatio verbalis dũtaxat non realis; nisi ergo termini pro eodem significato sumantur, ridiculè disceptabitur. Cæterum nec etiam, *Incipere esse*, accipiendum esse, vt Lugo æstimat, probatur ex Scoto, quia quodcumque esse quis aggrediatur post non esse, non inquam post non esse aggredientis; sed post non esse illius, quod accipitur, is dicitur *Incipere esse* illud, quod prius non babuit, hoc est incipere habere aliquod esse, quod non habebat prius; dum ergo Christus dicitur incœpisse esse, intelligitur incœpisse habere aliquod esse, quod non habebat prius; vnde ad inceptionem in genere non expetitur necessitatio, quod subiectum vel præsit, vel absolutè non præsit; vtrumque enim accidere potest, vt videre poterit lector apud Scotum *in 3. d. 7. q. 2. lit. C.*

148 Dices ex hac doctrina sequi concedi etiam posse Verbum incœpisse esse; quia licet Verbum in se ab æterno præextiterit, cœpit tamen habere nouum esse, nempe humanum in vnitate hypostasis. Nego sequelam; quoniam, quamuis esse humanum sit substantiale, respectu tamẽ Verbi est aduentitiũ; & vt Scoticis vtar verb s, est quasi esse accidentis respectu subiecti; non potest autem subiectum dici incipere esse; nisi saltem recipiat aliquod esse substantiale; quod non sit illi subiecto aduentitium, vt in proposi o esse humanum non est aduentitium Christo, sed Verbo; quod dicit suppositum, secundum in diuinis, Christus autem suppositum illud idem, sed vt subsistens in humana etiam cum diuine natura. *Obiectum* *Retunditur.*

149 Contra hæc, quæ dix mus longo sermone effatur Caietanus, & post ipsum Medina, & præcipuè arguunt ex illo Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret ego sum*; sed hoc leue est, nec verbo quidem officit; cum ibi Seruator de se Verbo, & Deo loquatur; non de suo esse humano, quod incœpit ex Virgine. Rursum arguunt ex illo Pau'i Hæb. 13. *Iesus Christus heri, & hodie ipse, & in sæcula.* Sed præterquamquod hæc etiam auctoritas de Verbi æternitate vrgeri posset, adhuc, & illa ab ipsis ridetur Aduersarijs nam illa particula, *heri*, non æternitatem à parte ante demonstrat, sed innuit eumdem Christum, qui heri, seù paulò ante, quam illa Paulus scriberet, astitit Apostolis, adesse hodie, & ad futurum in sæcula electie. *Opponuntur Caiet. & Medina. Ioann. 8* *Hæb. 13. sed inaniter.*

150 Rursum arguunt: Dum nomen Christi ponitur pro subiecto propositionis, sub-

supponit semper pro supposito Verbi, vnde per Christum dicuntur in scripturis omnia creata, nec tamen per Christum, prout supponit pro creato supposito, sed vt supponit pro supposito diuino creare sunt omnia. Respondeo id verum esse, sed quandoque supponere posse pro illa persona, prout est suppositum, non inquam humanæ naturæ, sed in humana natura, vt euenit in proposito.

151 Iterum arguit Medina, *Christus incepit esse, Christus est filius Dei, ergo Filius Dei incepit esse*, conclusio falsa, ergo altera præmissarũ: non minor; ergo maior. Respondeo maiorem, & minorem esse veram, conclusionem esse falsam, ratio falsitatis est deceptio Syllogismi, qui diuersimodè sumit Christum in maiori, & minori; in minori quidem pro supposito diuino, præscindendo à sustentificatione humanæ naturæ, in maiori autem pro eodem supposito, quatenus stet pro supposito in humana natura, ideo syllogismus est deceptorius, & falsigrafus.

Eluditur Medinæ ratio

152 Rursum arguit Suarez; non dicitur aliquis absolutè, & simpliciter incipere esse, nisi denuò acquirat præcipuum, & principale suum esse, quod non euenit in præsentia. Sed ex dictis habes assumptæ propositionis Suarezianæ falsitatem: Itidem cum Suarezio repetit Joannes à Lugo, qui illud Suarezij pronunciatum hoc exemplo firmauit; licet Petrus incipiat de nouo esse Episcopus, ideoque verè possimus concedere, quod hoc, vel illo anno Petrus incepit esse Episcopus; non tamen dicere fas est, quod Petrus hoc anno incæpit esse, quia per hoc significamus Petrum antea non habuisse esse. Exemplum hoc, vt vides, ineptissimum est, quoniam Episcopatus accidentarie dicitur de Petro, estque illi esse aduenticium, & accidentarium omninò, non sic esse hominem Christo, idcirco paritas nulla.

Argumentum Suarij euertitur.

Exemplum Lugo.

Ineptissimum.

153 Contendit demùm Joannes à Lugo discrimen esse inter has propositiones, *Christus incæpit*, seu, *hic homo incæpit*, & has alias, *Christus incæpit esse*, seu *hic homo incæpit esse*, nam primæ sunt veræ, secundæ falsæ: cuius rei diuersitatem exẽplo demonstrat; nam, dum Petrus fit gubernator, rectè enunciamus hunc gubernatorem tali anno incæpisse, quo loquendi genere solummodo muneris gubernandi inceptionem denotamus, non verò dicimus hunc gubernatorem incæpisse esse tali anno, hoc enim loquendi modo nouam existentiam ipsius Petri, non verò officij solum designaremus; ex his concludit, quod quãquam locutiones hasce admittimus; *Christus incæpit; hic homo incæpit*: istas tamen admittere non possumus, *hic homo, vel Christus incæpit esse*.

Oppositio noua Lugo.

Verum hæc speculatio vana penitus est, & sine fundamento; quia illæ propositiones mutilatæ, & mancæ à scholis refelluntur, vt nullo sensu philosophico præditæ, scilicet, *hic homo incæpit, Petrus incæpit &c.* Quid enim incæpit hic homo, vel Petrus, vel Christus? nec plene de secundo adiecto aggressionem, seu inceptionem prædicant, atque adeo inexplicata re eggressa, vel re incepta, redditur earumdem propositionum sensus mutilus, & mancus; & si quid significant propositiones illæ, vel eundem habent cum ijs, de quibus altercamur, sensum resolutæ videlicet, per esse; vel plus probant, quam probare intendant, nempè absolutam subiecti inceptionem; ex quo enim absolutè inceptio de subiecto enunciatur, designatur plane subiectum ipsum incipere absolutè, sed hoc sensu in re nostra recè conuerso se habet, quia Christus negatur incæpisse, similiter, & hic homo, ostenso Christo, qui tamen ex dictis quoquo modo conceditur incæpisse esse; nec exemplum allatum ad rem facit, quoniam Gubernatoris nomen est officij, non personæ, quale est nomen Christi, idcirco dum dicimus, quod Gubernator incæpit, tunc temporis officiũ illius incæpisse monstramus, quod si diceretur incæpisse Christus persona ipsa incæpisse intelligeretur, quod est falsum.

Vana speculatio.

154 Immò Auctoris huius argumentum reuerberatur. Hanc propositionem ipse concedit. Gubernator incæpit, quia verè officium Gubernatoris incæpit, si tamen is Gubernator diceretur Petrus, nequiret effari sic. Petrus incæpit: ergo ex ipso Aduersario pronũciari nequibit, quod Christus incæpit, quia Christi nomen non est officij, sed personæ; si quod

Reuerberatur Lugo argumentum

autem officium Christus sicut homo habuit, id enunciari poterit incæpisse, non Christus simpliciter, qui dicit suppositum Verbi subsistens in humana natura diuinā habens, pugnantia igitur simul concessit Ioann. à Lugo, nam qui concessit istam, *Christus incæpit*, negauit istam, *Petrus incæpit*, cum tamen vtrobique prædicetur inceptio de subiecto, quod est suppositum, & rursus confert istam propositionem, *Christus incæpit*, cum illa, *Gubernator incæpit*, cum tamen Gubernatoris nomen sit accidentarium indicans officium accidentariè denominans personam, Christi verò nomen sit personæ, & suppositi, non officij. Hæc de altercatione vniuersa, à qua prolixitatem eliminauimus, quippequæ in vniuersum Rethorum, vel dialecticorum leges, & loquendi modum non excedit.

Obseruatio Scoti,

155 Adnotatim tamen cum Scoto in calce *quæst. 3.* toties recitatæ, quamquam hæc sit vera, *Christus incæpit esse*, quatenus nouum esse habuit in tempore, non tamen sequi, Christum dici verè creaturā, ad cuius rationem exposcitur, quod vel illud esse acceptum sit totale adæquatum, vel quod sit pars principalis, quorum neutrum euenit in Incarnatione, quoniam licet verè humanum esse incæperit esse in Christo, quia dum facta fuit hæc Incarnatio verum fuit dicere, nunc incæpit esse homo illa persona, quæ opus ipsum terminauit, & prius non erat homo, nefas tamen est etiam, quod tunc Christus incæpit esse, & antea non fuit.

Altera obseruatio.

156 Adnoterim insuper cum eodem Scoto, quamquam illa pronunciatio conceditur, vt vera, non tamen esse passim ea vtendum absque maxima cautela, ne ansam porrigamus hæreticis extorquendi inceptionem ad esse simpliciter, & ad dicendum, Christum esse puram creaturam, vt somniabant Arriani, quam ob causam propositionem hanc, *Christus incæpit esse*, Patres nonnulli negauerunt, ne viderentur cum hæreticis concedere, Christum simpliciter incæpisse.

Vno Verbo resoluitur petitio.

Vno Verbo in hisce pronunciatis non decipi: sensu inceptionis nomen à capio, ut sit idem incipere, ac in se accipere, & capere, & sic absque hæsitate concesseris Christum incæpisse esse, quia in se humanum esse accepit.

Nouum quæsitū proponitur, de vnitate Christi.

157 Huiusce capitis doctrinam non facilè percipies; nisi explicato de Christi vnitate alterius difficultatis nodo: nam ex quo cōstituimus Christū habere plura esse, humanum incæpisse in Incarnatione firma Deitatis entitate, & essentia, quam habuit ab æterno; perinde concessimus dici potuisse incæpisse esse, quæ constitutio planè supponit plura esse, & exinde postulationem exigit. An Christus sit vnus, an plures, vnum, an plura; ex quo plures habet entitates, & plura esse.

Tituli declaratio.

158 Non autem hic petimus, an esse existentiæ humanæ naturæ differat ab esse existentiæ Verbi, quam difficultatem prosequitur Scotus, *dist. 6. q. 1. sed 2. q.* Scoti *in eadem dist.* præcisè enodamus, & quidem breuiter cum adhuc litem de modo loquendi agamus; ac quapropterea Durandus *dist. 6. q. 1.* laborem Scholasticorum ridet, qui cum grammaticè loquantur, nullum disputationi locum dare debebant, siquidem petentium, & cum errore grammaticæ, Christus, qui est masculini generis, pati potest prædicatum neutri generis & dici vnum, & multominus plura, ex hac ergo parte disceptationem Durandus ridet pollu atione concessa. An Christus dicendus sit vnus vel plures.

Durandi censura.

Euertitur

159 Meminisse tamen Durandus debuit, non ita hic Theologos grammatizare, vt Theologos exuant, sed Theologicè disceptantes, aliqua etiam ex Grammaticis mutuare, ex quo scientiæ singulæ huic facultati ancillantur, porrò aliquē dici posse vnum in neutro genere, patet Ioann. 10. Vbi Christus de se, & Patre loquens, *Ego (inquit) & Pater vnū sumus*, neque apud Grammaticos is loquendi modus ineptus cēsendus est, quē contineuerunt interdum adiectiua substātiuate, vt videre est apud ipsos, qui accipientes adiectiuum in neutro genere subintelligunt substantiuum, vt dicendo, *lupus in stabulis triste, & malum* idest res tristis, & admodum mala, quomodo adiectiuum, vt vides, substantiuatur.

Ioan. 10.

160 Petitione igitur concessa sicuti in vniuersum concesserit illā S. Thomas *q. 17. art. 1. 3. p.* vbi Caietanus, Medina,

&

& Thomistæ reliqui, & Suarez in comm. illius art. Vasquez disp. 70. cap. 4. P. Lugo disp. 24. sect. vnica, concordant duo Scholasticæ doctrinæ capita Scotus, & Sanctus Thomas, hic locis citatis; Scotus autem d. 6. q. 2. Christum non posse dici plures masculinè, sed nec duo, vel plura neutraliter, conuenit etiam Gabriel eadem dist. q. 2. licet aliqui Nominales, quorum doctrinā interdum post Ocham prosequitur Gabriel, ausi fuerint concedere Christum dici posse duo complexiuè; cum sit diuinitas, & humanitas simul, quomodo videtur loqui Gregorius de Arimino in 1. dist. 28. quæst. 2. Aliqui etiam, & si Christum vnum masculinè fateantur, nec posse duos, vel plures masculinè dici; plura tamen, vel duo enunciarunt Christum: ex quo duas habet naturas, non tamen plures dicitur Christus, quia non est in eo suppositorū pluralitas: ita videntur loqui Patres aliqui, vt patet in 6. Synodo act. 11. vbi Sophronij epistola recitatur, in qua hæc habentur verba, est vnum, & duo hoc ipsum agnoscibile, vnum secundum personam, duo secundum naturas, & Augustinus tract. 78. in Ioannem, & in Enchirid. cap. 35. Christum vocat vtrumque, quod & alijs Patribus in vsu fuit, immò Nazianzenus Epistola prima ad Cledoniū aliud, & aliud vocat ea, ex quibus Saluator constat, & Cyrillus in Scholijs de Incarnatione cap. 27. Cyrillus, inquam, Alexandrinus secundum aliud, & aliud Christum dicit Vnigenitum, & primogenitum. Ex quibus Patrum loquutionibus occasionē nactus est Vasquez, contendendi loc. c. Christum dici posse aliud & aliud, seu hoc, & illud, licet non sit duo, vel plures masculinè, nec duo vel plures neutraliter.

Opinio S. Thomæ. Caietani, Medinæ Vasquij, Suarij, Lugo, Scoti, Scotistarū, & Gabrielis

Opinio Gregorij de Arimino.

Verba sexta Synodi.

Augustinus. Nazianzenus. Cyrillus.

Opinio Vasquij.

161 Ob Conciliorum, & Patrum auctoritates, non est à communi modo loquendi discedendum in hoc dubio; cum ergo illi, Damascenus præcipuè lib. 3. cap. 7. distinguant vnum, & plura in masculinum, & neutrum ex grammaticis; & vnum, & plura neutraliter ad significandum vnitatem, vel pluralitatem naturarum, vnum autem, & plures masculinè ad pluralitatem, vel vnitatem suppositi deuoluant: pendente lite de modo loquendi, non est cur ab eorum locutione discedamus, quamuis speculatio aliò nos duceret.

162 Supposita igitur distinctione illa, breuiter dicendum, Christum, nec esse plures masculinè, nec plura neutraliter; sed vnum masculinè, & vnum neutraliter. Quod sit Christus vnus tantum masculinè plura diffinijsse Concilia visa sunt, præsertim Calcedonense act. 4. circa medium, vbi Patres subscribunt Epistolæ Leonis Papæ, vnum tantum decernenti esse Christum Dominum nostrum, & Concilium Constantinopolit. 5. in anathematismis propè finem Synodi. Hoc idem statuisse Nicenum docet Lugo per illa verba, & in Vnum Dominum Iesum Christum &c. sed hæc interpretatio satis voluntaria est, quia Niceni Concilij Patres ibi quasi interpretes se Symboli Apostolorum fecerunt constituentis, Iesum Christum vnicum esse Dominum nostrum; non ita quidem, vt cæteræ personæ non sint æquè Dominus, vt filius, edisserente Athanasio in Symbolo, Dominum esse Patrem, Dominum filium, Dominum Spiritum Sanctum, sed vnicum Dominum dici Christum specificè ob eas, quas alibi tradidimus rationes, Christi Regnum declarantes Concione prima Dominicæ Aduentus.

Assertio ad petitionem.

Concilij Calcedon.

Concil. Constant. quintum. Interpret. Lugo Voluntaria.

Auctor in Concione impressa Dom. primæ Adu.

163 Vnitatem hanc Christi, masculinè sumendo vnum, dilucidè præstitit Athanasius ibi, Non duo tamen, sed vnus est Christus, &c. & inde, Vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate personæ; quibus non tam vnitatem Christi propugnat masculinè: quam dualitatē impugnet masculinè, quia dualitatem vnitati opposuit, & de vnitate personali locutionem exponit; quā per vnum masculinè declarari, Anselmus lib. de Incarnatione cap. 5. secutus Damascenum loco cit. exposuit, Ratio huius veritatis ex ea doctrina præcipuè hauritur, qua alias constituimus ad numerationem, siue pluralitatem suppositi non sufficere numerationem, ac pluralitatem formæ, seu naturæ habitæ, nam sicuti duas habens scientias non dicitur duo scientes, sic neque duas habens naturas dicitur plures; sola ergo naturæ numeratio, vel pluritas vnitatem masculinè non refellit, quia masculinè vnitas ad personam refertur, eaque eius numeratione numeratur, quare

Athanasius.

Anselm. Damasc.

cum

cum fides doceat, vnicum eſſe in hoc myſterio Verbi ſuppoſitum, id nullo modo dici poterit numeratum, & pluꝛificatum, licet ſub pluralitate naturarum, & ex hoc cum Chriſtus ſit illud ſuppoſitum, nequibit Chriſtus dici plures maſculinè, ſed vnus ſolum.

Chriſtus non duo neutraliter.

164 Sed quod nec etiam neutraliter poſſit dici duo, vel plura probatur; quia & ſi Chriſtus ſit ſuppoſitum in duplici natura, & nedum natura diuina ſuum eſſe habeat, & exiſtere iuxta ſui exigentiam infinitũ ſimpliciter, ſed & humana ſuo prædita ſit eſſe, & exiſtere re ipſa diſtincto ab natura diuina, non tamen poteſt humana natura in abſtracto de Verbo enunciari, aut de Chriſto, ſi quidem hæc propoſitio falſa eſt *Chriſtus eſt humanitas*, licet identicè concedatur, *Verbum eſt diuinitas; Chriſtus eſt diuinitas:* ex huius autem prædicationis defectu fit, vt Chriſtus non ſit duo neutraliter; quia humana natura de ipſo non enunciatur in abſtracto; ſi autem humanitas in recto enunciari poſſet de Chriſto, vitari non poſſet, quin diceretur duo neutraliter; quia re vera ſunt in eo duæ eſſentiæ, & duæ eſſentiæ dicuntur ex impoſitione, ſeu receptione Patrum, & Scolaſticorum duo neutraliter, quia tamen is non eſt illæ duæ naturæ; quæ ad inuicē diſtinguuntur manentes incō fuſæ, & impermixtæ, & natura humana non dicitur identice de eo; ob id Chriſtus non dicitur duo neutraliter; ſed dicitur ſolummodo continere duo; quia duas naturas, datque huius rei exemplum Scotus de compoſito; quod licet contineat duo, ſcilicet, materiam, & formam, non tamen dicitur duo, ſed vnum.

Aduertētia in exemplo Scoti.

165 Sed in hoc exemplo, caue putes ſimilitudinem ad omnia in hoc myſterio; quia non in compoſitione, quia Chriſtus non eſt ita conſtans ex diuina, & humana natura, vt compoſitum ex materia, & forma; ſed aduerte penes hoc ſimilitudinem tantum, quod ſicuti compoſitum non dicitur duo, ſed vnum neutraliter, quamuis duas habeat naturas diſtinctas, materiam videlicet, & formam; ita nec Chriſtus, quamuis duas contineat naturas, non dicitur duo, ſed vnum impermixtis, ac diſtinctis remanentibus naturis.

166 Atqui ex hoc loco Scoti perbelle etiam diſtinctionem totius à partibus haurire poteris contra Fabrum; Hinc etiam leuitatem fundamenti Recentiorum adhoc aſſertum elicies conſtitutі ex ſimilitudine compoſitionis hominis ex anima, & corpore, quam ad hoc myſterium elucidandum tulit Athanaſius in *Symbolo*, ex quo, aiunt iſti, ſicuti partes hominis, licet ad inuicem realiter diſtinctæ non tollunt, quin homo ſit vnus; ſic duæ naturæ exiſtentes in Chriſto non tollunt vnitatem ſimpliciter à Chriſto, quia ſic arguit Athanaſius. *Nam ſicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus.*

Argutia Recentiorum venæ.

167 Hæc inquam argutio leuis eſt ab vnitate maſculinè ſumpta tranſiens ad vnitatem neutraliter probandam; leuis eſt etiam in ſimilitudine deſumpta; quæ non eſt detorquenda ad modum compoſitionis in Chriſto ex modo compoſitionis hominis ex partibus, ſicuti diximus doctrinam, & exemplum Athanaſij cribrantes peculiari quæſito: ſimilitudo potius attendenda eſt ex continentia, fierique poteſt argumentum per regulam logicam. Si de quo magis ineſſe videtur, & non ineſt, ergo multo minus ei de quo minus; at magis videtur dicendum duo compoſitum ex diuerſis partibus, quarum neutra eſt altera, quam Chriſtus, qui non eſt verè compoſitus, ſed eſt perſona ſimplex; & tamen compoſitum verè eſt vnum; quare vnum eſt Chriſtus; quæ argutio eſt perſuaſiua tantum ab exemplo, vt dixi, ſimilitudine ſumpta. Ratio potior eſt, quam ex Scoto tulimus; quia ob plurium continentiam non dicitur ſubiectum plura, niſi illa plura in abſtracto, & in recto dicantur de ſubiecto; quod non euenit in humana natura reſpectu Verbi, & Chriſti.

Corrigitur Vaſquez.

168 Ex quo fundamento ruit fabrica Vaſquezij concedentis Chriſtum eſſe aliud, & aliud, quia ſicut iſtud aliud, quod ipſe vocat humanam naturam, non dicitur de Chriſto, quia Chriſtus non eſt humanitas; ita nec dici poteſt Chriſtus eſſe aliud, & aliud; nam licet contineat vtrumque, non eſt facilè admittendus tranſitus à continentia ad prædicationem; & hoc mihi videtur innuere

nuere

Approbatur Ariminensis locutio, quam perperã corrigit Medina. nuere voluisse Gregorius Ariminensis in principio dubij citatus, dum Christum vocat duo complexiuè; hoc est complectentem duo; quod assertum verum est; nec distat à nostro; vt obinde futilis censenda sit acrie illa censura; qua Gregorii præfati dictum plectit Medina 3.p.q.2.*in comm.art.*4. siens illud esse erroneum, & damnatum inter Hussitarum errores in Concilio Constantiensi.

169 Quod si Patres quandoque concedere visi sunt Christum esse aliud, intellige eo modo, quo aliqui Christum dixere duo; quia scilicet continet duo, continet aliud, & aliud; itaut non de prædicatione, sed de continentia dicantur loquuti, & hæc responsio generica singulis Patrum, & Conciliorum locutionibus faciliè potest facere satis.

Argumẽta Scoti. 170 Supersunt argumenta Scoti principalia ad hoc dubium, quę ferre decreuimus vtpotè difficilia, & in quorum solutione satis profunditur Doctor.

Primum est. Christus secundum, quod homo est aliquid, & secundum quod Deus est aliquid; ergo vel secundum quod homo est idem aliquid, quod est Deus, vel est aliquid aliud.

Et similiter secundum quod Christus est Deus, vel est idem aliquid, quod homo, vel aliquid aliud; non primum, quia tunc Christus humanitate esset Deus; ergò secundum, & sic, cum sit aliquid aliud, erit Christus duo; quia aliud, & aliud sunt duo.

171 Côcedit Scotus Christũ esse aliquid secundũ ꝙ Deus, & aliquid secundũ ꝙ homo; negat tamen esse idem aliquid quod est Deus, quatenus homo est, & similiter aliud aliquid, & responsum multis prosequitur, summa est, Christũ in quantum hominem, nec esse idem aliquid, quod Deus, nec esse aliud, ratio est, quia reduplicatio, vt alias diximus, dicit rationem formalem inhærẽtiæ prædicati cum subiecto; at nunc verò humanitas nec est ratio identitatis cum Deo, nec diuersitatis; non quidem identitatis, alioquin omnis homo esset Deus, nec diuersitatis, quia sic homo iste, qui est Christus, nõ esset Deus.

Occurritur instã. 172 Si instes; quod idem, & diuersum diuidunt ens. Concedo, sed non cum hac reduplicatione, *inquantum*, sed absoluté; vnde reduplicando non valet, Petrus, in quantum doctor, est non visibilis, an non visibilis, quia neutrũ est, quatenus doctor, sed alterum illorum, quatenus homo est, sed si ly, *inquantum* sumatur specificatiuè propositio hæc, *Christus secundum quod homo*, *est idem aliquid quod est Deus* facit hunc sensum, Christus, qui est homo, est idem aliquid, quod est Deus, & tunc concedi potest, neque tunc sequitur quod humanitate esset Deus; quia fit transitus à sensu specificatiuo ad reduplicatiuum, ille enim conceditur, hic negatur in proposito.

173 Secundum Scoti argumentum. Christus non est tantum Deus; ergo Deus, & aliquid aliud, quam Deus: ergo duo: antecedens est Damasceni *lib. 7. cap. 7. non totum autem Deus, non solum enim est Deus*; sequela prima patet, quia à simili, si homo currit, & non tantum homo currit, ergo aliud ab homine currit. *Damascenus.* Huic argumento responsurus Doctor, vt veritatem antecedentis ostendat, ostendit falsitatem oppositæ propositionis scilicet, *est tantum Deus*, ait enim hanc esse fallam; sicut & hanc, *Christus est solũ homo*, cuius falsitatem ostensurus prænotat: quod particula exclusiue, *solum*, vel *tantum*, aliud excludit si ponetur ex parte subiecti, aliud si ponatur ex parte prædicati; nam posita ex parte subiecti excludit à prædicato quidquid nõ côuenit subiecto vel per se, vel saltem per accidens, vt si dicatur *solum album currit*, non excluditur à cursu Franciscus, vel Petrus; quamuis non per se dicãtur de albo, sed per accidens, excluditur autem nigrum à cursu, quia nigrum nec per accidens conuenit albo; posita verò particula exclusiua ex parte prædicati excludit à subiecto quidquid prædicato essentialiter non conuenit, vt dicendo *Petrus est solum albus*, excluditur omnis alius color à Petro, in hac ergo propositione *Christus est solum homo*, vel *Christus est solum Deus*, dictio exclusiua ponitur ex parte prædicati, obinde excludere debet à subiecto, quod est *Christus*, omne aliud, quod non est dictum essentialiter de Deo, vel de homine; de homine quidẽ in illa, *Christus est tantum homo*, de Deo *Adnota particulam solũ, vel tantũ*

autem

autem in ista, *Christus est tantum Deus*; quod est falsum, quia homo dicitur de Christo, & tamen homo non est essentieliter Deus; similiter Deus dicitur de Christo, nec tamen Deus est essentialiter, & formaliter homo: hæ igitur propositiones sunt falsæ, ergo oppositæ veræ scilicet, *Christus non est tantum Deus; Christus non est tantum homo*, sed prima consequentia est falsa; quia est vtrique Deus, & homo; sed homo suppositaliter in eo non est aliud aliquid, quam Deus, quia solum in diuina persona subsistit, licet homo non sit formaliter, aut essentieliter Deus: neque probatio sequelæ ad rem pertinet, quoniam illa ponit exclusiuam dictionem ex parte subiecti, non ex parte prædicati; in antecedenti verò è conuerso particula exclusiua ponitur ex parte prædicati nō ex parte subiecti.

Solutio secundi argumenti Scoti.

Damascenus explicitus.

174 Ad illud Damasceni Respondet Scotus, quod totum ab eo sumitur syncategorematicè, vt sit sensus, non totum est Deus; idest non vnaquæque nā est Deus; qui sensus verus est: quia humanitas non est Deus; vel sumi potest totum formaliter, vt sit sensus, *non totum est Deus*, idest non est Deus per vtrumque, quod est in eo, quia non per humanitatem, qui sensus verissimus est.

Tertium argumentum.

175 Tertium Scoti argumentum. Differentiæ specifica infert differentiam numericam, sicut generica specificam, sed istæ duæ naturæ, diuina scilicet, & humana differunt quasi specie, ergo & numero; sunt ergo duo neutraliter. Confirmatur primo, quia si ob vnitatem suppositi Christus dicitur vnus masculinè, pari ratione ob duas naturas diceretur duo neutraliter; quia sicut masculinum ex dictis Damasceni, & Anselmi respicit suppositum, ita neutrum respicit naturae. Confirmatur secundo à simili. Diuinæ personæ dicuntur tres ratione personarum, & vnum ratione naturæ, ergo hîc, vbi vna est Persona, & duæ naturæ, Christus diceretur vnus masculinè, & duo neutraliter.

Dissolutio.

176 Pro responsione conceditur totum argumentum, negata dumtaxat vltima sequela; quoniam ex dualitate naturarum non dicitur Christus duo, ex quo altera illarum, nempe humana natura non prædicatur de Christo in recto; & per hoc satisfit primæ confirmationi dicendo, naturarum numerationem haud planè satis esse, ad numerandum supposita; sed requiri, vt vtraque natura enuncietur in recto de subiecto, vt subiectum neutraliter dicatur duo, quod, vti toties dictum est, non euenit in re nostra.

177 Ad secundam confirmationem ex eodem principio concedimus diuinas personas dici tres masculinè; quoniam verè sunt tria supposita, & dici vnum neutraliter, quia de omnibus, & singulis diuinis Personis diuina natura in recto pronunciatur; idcirco ex vnitate eius vnitas neutraliter conuenit suppositis, sed in hoc mysterio non ita, in quo sola Deitas de Verbo prædicatur identicè, dicendo, *Verbum est Deitas*, humanitas non item. Cæterum paritas, si vera esset immaginatio Auerrois de vnitate intellectus agentis in pluribus hominibus, qui dicerentur continere vnum, non verò dicerentur esse vnum aliquid ex vnitate illius intellectus; ita in hoc mysterio per oppositum vna persona continere dicitur duo neutraliter, quia duas naturas, non tamen ipsa persona dicitur duo. Hactenus dubitationes singulæ in præsenti capite inuolutæ.

Immaginatio Auerrois.

DE FILIATIONE IESVS CHRISTI,

An in Christo sint duæ filiationes

CAP. V.

178 AD perfectam communicationis Idiomatum intelligentiam petitiones singulæ de adoptione Christi, si qua est, deque ipsius prædestinatione spectare videntur: sed quoniam petitiones illæ hanc, quam proposuimus, disceptationem supponunt, ne quid intactum in hac re relinquatur, proposita dubitatio ad hunc locum redacta est, quam ipse etiã sententiarum Magister ad materiam de idiomatibus reuocauit.

179 Petimus igitur, an Christus duplicem habens naturam, neque tamen duo dici potens, habeat duas reales filiationes, alteram æternam à Patre, alteram temporaneam ex Matre.

180 Prosequitur disputationem hanc Scotus in 3. *d.* 8. *q. vnica*, vbi Scolastici omnes, & S. Thomas 3. *p. q.* 35. *art.* 5. vbi Thomistæ omnes. Vtraque tamen Scola non inuicem conuenit, nam Scotistæ, (ductore Scoto) *loco citato* duas filiationes reales in Christo agnoscunt; alteram, qua æternaliter refertur ad Patrem, alteram, qua ex tempore refertur ad Matrem; è contra Thomistæ cum Caietano, Medina, & cæteris è Diui Thomæ familia vnicam relationem realem in Christo agnoscunt; quæ ab æterno refertur ad Patrem, ex tempore autem adueniêtem relationem ad Matrem non realem, sed rationis esse aiunt.

Opinio Scoti & S. Thomæ.

181 In explicanda autem hac eorum sententia non conueniunt; nam quidam absolutè illam rationis ex vtroque extremo iudicant cum Caietano: quidam rationis ex parte Christi, realem ex parte Matris, & proinde non mutuam cum Medina; quidam eadem relatione reali æterna, qua ad Patrem refertur Filius, referri Christum ad Matrem iudicant cum Henrico. Quidam denique ratione conuicti Sancti Thomæ placitum relinquentes in hoc quæsito Scoto adhærent cum Suarezio 3. *p. tom. 2. disp.* 12. *sect.* 1. *& sequentibus*, quẽ sequitur Bonacina *disp.* 1. *q.* 4. *puncto* 3. *num.* 2.

Thomistarum dissensus Caietani opinio Medinæ. Henrici.

Suarius Scoto adheret.

182 Plenè de æterna Verbi filiatione nullus hic scrupulus, immò nec vllus sermo; nam in *primo sent.* disputando de productione Filii quidditatẽ illius filiationis, quãtum exigebat loci necessitas, explanauimus, constituentes illam esse relationem realem à Paternitate, et processione Sancti Spiritus realiter distinctam; de Temporanea igitur controuertimur.

183 Vt Scoti sententiam cãpiamus, prænosse debemus, ipsam filiationis quidditatem, et vocabulum, ne in æquiuoco laborantes, & ne quidditate ignorata rei decipiamur. Finitur ergo à Scoto *loc. cit.* Filiatio, in hunc modum. *Filiatio est habitudo, hoc est, relatio producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali.* Rectitudo, & sufficientia huius diffinitionis patet, ex quo aliquid in ea inuoluitur vt genus, aliquid vt differentia; quæ duo ad plenam rei diffinitionem Methaphisicam cõspirant; & vt genus quidem in ea conuenit habitudo, seù respectus; quæ ratio ex Aristotele conuincitur *lib. de prædicam. cap. de ad aliquid*; quo de relationibus in terminis loquens, sæpius Paternitatis, Filiationis, Domini, & serui meminit; vtrobique enim eadem ratio, nam sicuti Dominus ad seruum, ita Pater ad Filium refertur. Habitudinem primo, seù relationem ipsam genus esse ad Filiationem, nulli est dubium; et quoniam non est hæc filiatio habitudo quæuis; hinc additæ sunt particulæ aliæ differentiarum vicariæ, quæ relationis genus ad hanc speciem contrahunt modo suo; sunt autem conditiones illæ *producti, naturaliter similis producenti, in natura intellectuali, vel etiam sensitiua.*

Obserua pro Scoto quid sit filiatio.

Aristoteles.

184 Hæ singulæ particulæ declarantur; ponitur primo terminus ille *producti*, quia, cum filiatio sit relatio, & accidẽs, nec accidens sine subiecto rectè finiri queat, nec percipi rectè relationis quidditas inexplicato fundamento, seu subiecto; iure factum est optimo, vt cuius sit illa habitudo explicaretur per ly *producti*. Subditur, *naturaliter similis pro*

ducenti; & quidem producens exponitur, cum relatio termino, & fundamento ignorato ignorari debeat; additur, *naturaliter ſimilis* ad diſtinguēdā æternam Spiritus Sācti emanationem, qui etſi producatur vt ſimilis, non autem, vt naturaliter ſimilis ex vi originis, proinde non generatio eius productio, nec eius proprietas conſtitutiua filiatio, ſed illa ſpiratio, ſeu proceſſio actiua, hæc paſſiua ſpiratio, vel proceſſio nuncupatur; additur etiam particula illamet ad diſtinguendum productiones æquiuocas, quales ſunt ranarum ex putri, vel vermium à ſole: quorum nullū dici poteſt, aut putris, aut ſolis Filius.

Additur deinde particula illa *in natura intellectuali*, ad diſtinguendas productiones elementorum ex ſe inuicem, vel ex alterutris: hinc nec ignis dicitur ignis filius, nec aeris, quamuis ex igne gignatur, ab aere tranſmutetur, & inſuper animatorum vegetantium dumtaxat; quomodo nulla planta alterius plantæ filia nuncupatur.

Poſtrema demum particula eſt illa, *vel in natura ſenſitiua*, quam addit Scotus ad aliorum obiectis occurrendum, ſi qui namque proterui contendere vellent, animalia ſenſu prædita à parentibus ſuis genita verè filias nuncupari, vt vitulus bouis, & equus equi, particula vltima diffinitionis differta facit diffinitum à quocunque, quod non eſt ipſum.

185 Diximus in hac filiationis diffinitione ipſam utique, & verè habitudinem eſſe; at cum habitudo, & relatio nedum ſubiecto ignoto, ſed & fundamento non cognito nequeat perfectè, & adamuſſim percipi, & cognoſci, operæ pretium propterea duximus ex doctrina Scoti venari, in quo hæc filiatio fundetur: Is igitur *loco citato lit. D.* triplicem recenſet reſpondendi modum: poteſt enim primo dici, filiationem eſſe relationem fundatam ſuper generationem paſſiuam, quæ exacto actu generationis expleta fuit, & amplius non eſt; neque obinde realiter amplius eſt Filiatio; ſed is dicitur Filius, qui aliquando fuit genitus, ita vt nihil de eo nunc realiter vt præſens prædicetur, ſed vt præteritum ſolum, itaut hæc propoſitio *Petrus eſt Filius*, æquiualeat huic, *Petrus fuit genitus*. Secundus modus dicendi eſt, quod relatio filiationis fundetur in exiſtentia actuali naturæ acceptæ per generationem, & nunquam interrupta. Tertius demum, quod relatio hæc fundatur ſuper exiſtentiam actualem naturæ acceptæ per generationē, ſeu ſuper ipſam naturam acceptam per generationem, & exiſtentem, ſiue interruptioni ſubdita ſit, ſiue non.

In quo fundetur filiatio.

Hoc tertio modo filiatio vere eſt relatio realis, & ſecundum hunc modū poſt reſurrectionem dicimur filij noſtrorum parentum; quia accidit exiſtentiæ huic; quæ eſt filiationis fundamentum interruptio; ſecundo vero modo eſſet vtique relatio realis, ſed interrupta exiſtentia illa, quæ ſtatuitur pro fundamēto, & ipſam relationem in nihilum abire neceſſum eſſet; & propterea in reſurrectione ſecundum hunc modum nullus eſſet alterius filius; quia interrupta entitate per mortem; & iterum accepta per reſurrectionem, in nihilum abijſſet relatio illa prima ſuper primām exiſtentiam fundata. Primo modo filiatio diceret quidem relationem realem, ſed impropriè, & fortè ſecundum quid realem tantum, quia filius diceretur poſt natiuitatem filius, non ſecundum illud eſſe, quod haberet: ſed ſecundum eſſe præteritum, quod cum euanuerit, miſera relatio, quæ fuerat in ortu realis, in conſeruatione exiſtentiæ potius in relationem rationis euadit; ſiqua realis appellatur, eſt illius relationis inſtar, quā habet potentia realis ad actum ante actū, licet hæc ſit è conuerſo rei ad actū poſt actū, & ſecundū hunc modum qui fuit aliquando filius, non poteſt non fuiſſe filius; quia ad præteritum nulla poteſtas; quamquam generationis actu completo actualis in eo nulla relatio ad producens permaneat.

Explicantur tres modi fundandi relationem filiationis

186 Quinam horum modorum Scoto arrideat, non euidenter explicat ibi; ſolius ſecundi modi reprehenſionem faciens; quia ex eo ſequeretur poſt reſurrectionem Chriſtum non fuiſſe filium Mariæ, neque nos reſurgentes futuros filios parentum noſtrorum, quod vt abſurdum negligit Scotus; in ſolutione tamen argumentorum tertium dicendo modum approbat; negligendum

Ex tribus modis qui verior?

Molina.

autem primum modum à Thomistis propugnatum 1.*p.q.*41.*art.* 4. cum Molina, & alijs Recentioribus, diximus in *primo* loquentes de potentia generandi in diuinis, ex eo capite potissimum, quod filiatio non esset in nobis relatio realis; sed tantum realis fuisset in ipso generationis actu, quo expleto, quod est fundamentum, per assertores huius opinionis relationis, & ipsam destrui relationem necessum est; quæ per phisicos nusquam esse potest sine fundamento; dicendum ergo relationem filiationis fundari in existentia naturæ acceptæ per generationem; siue illa existentia interrumpatur, siue non, secundum quam assertionem & Christus resurgens verè filius Mariæ dicitur, & nos etiam nostrorum parentum post resurrectionem, & eadem filiatione is filius Mariæ, que fuit viuens in carne mortali; quia eadem actione, qua existentia ille rediit eadem resurgendo, eadem rediit filiationis relatio, & quamuis Christus resurgens alia productione acceperit esse, non tamen hæc productio tollit filiationem; quæ fundatur in illo esse primo accepto per generationem, quo redeunte eodem, eadem relatio redit.

Christus quomodo Mariæ filius post resurrectionem.

Obserua. 187 Nec tamen putes velim ex hoc, filiationis relationem istam realiter eamdem esse cum suo fundamento; sicuti relatio creaturæ ad Deum realiter eadem est cum suo fundamento; quia dispar est in vtreque ratio, illa enim ex summa necessitate dependentiæ naturæ ad primum efficiens, ipsimet naturæ identificatur; hæc verò cum non arguat tantum necessitatem dependentiæ naturæ ad secundum efficiens, non est eadem cum natura effecta: Quod verò hæc non arguat tantam dependentiæ necessitatẽ patet, quia hæc natura genita, *exempli gratia*, posset manere eadẽ, sine vlla habitudine ad creatum, seu ad secundum efficiens, sic enim in Adamo fuit eadem natura absque vlla relatione filiationis pendentis per generationem: est ergo hæc relatio fundata in natura accepta per generationem, & terminata ad secundum efficiens, quod est Pater, vel Mater.

Alia difficultas nobilis.

188 An autem hæc relatio ex fundamento, an ex termino seiunctim, an verò ex vtrorumque coniunctim multiplicitate multiplicetur, maximam habet difficultatem; pendet autem eius notitia ex alterius dubij enodatione, an scilicet plures formæ possint esse in eodem subiecto numero; de quo vide Scotistas in 5. *Methaph.* & præcipuè Antonium Tubetam *q.* 7. Vt autem ad rem attinet de accidentibus respectiuis, è quorum numero est filiatio, & Paternitas, dicendum simpliciter cum Scoto in hac quæstione plures relationes tales esse posse in vno, eodemque subiecto, quia Pater vnus plures habens filios plures habet relationes paternitatis; similiter & filius non vnam, sed duplicem habet relationem filiationis, alteram ad Patrem, ad Matrem alterā. Hęc omnia supponenda hic sunt potius, quam probanda, cum non admodum doctrinale sit in quauis re suppositum probare, sed præstet potius disquirere primum veritatem illius, quod supponendum est, & mox ad ulteriora procedere.

Antonius Tubeta.

189 Vt ergo locus hic expetit, plures relationes reales eiusdem rationis esse posse in eodem subiecto, duplici via probatur: Primo ad hominem contra Thomistas, secundo ex proprijs. Ad hominem *sic.* Sicut filiatio fundatur super genitum esse, ita paternitas super genuisse, sed genitionis actus, seu ipsum genuisse ad multiplicationem filiorum multiplicatur, & vnumquodque genuisse respicit suum genitum esse; ergo vnius cuiusque filij nouam Pater relationem habet; & identidem de genito esse discurre; quoniam si super genitum esse fundatur filiatio, multiplicato genitū esse, multiplicatur filiatio. Hæc, inquam, ratio est ad hominem; supposito ex aduersarijs Paternitatem fundari super genuisse, & filiationem super genitum esse; quod & si prima via recenset Scotus supra citatus; tertio tamen illo modo adhæsit constituenti filiationem fundari super existentiam naturæ acceptæ per generationem; ita vt genuisse, & genitum esse sint causæ potius; ob quas relationes illæ paternitatis, & filiationis fundentur.

Pluritas formarū suadetur primo.

Respondet ergo Caietanus argumento concedendo, Paternitatem fundari super genuisse; negando tamen plura

Respondet Caietanus.

genuisse plures fundare relationes, quamuis plures insurgant termini, quia ad multiplicitatem relationis censet necessarium plurificari subiectum, non solum terminum, eodem igitur vno remanente Patre, quamquam habeat plures filios, vnica censetur relatio, siquę illum vrgeas inintelligibile esse, quomodo plures vnius relationis queant esse termini: occurrit hoc non esse intelligibile, si illi termini fiant adæquati, vt in proposito, plures nemque filij essent tamquam termini inadæquati relationis paternitatis.

Atqui ex hac distinctione de terminis inadæquatis, & de impossibilitate plurificationis respectus, absque pluralitate subiecti vniuersam construit molem opinionis suæ Caietanus; seque satis putat Scoticis argumentis fecisse.

Arguitur Caietanus.

190 Verum & moles ipsius facilè ruit, & inconcussa manet Scoti sententia; ruit autem doctrina Caietani transiens à subiecto ad fundamentum, certum est enim correlatiua, quæ sunt inuicem relatiue, esse dumtaxat fundamentum, & terminum; ijs ergo multiplicatis relationem plurificari oportet, quæ extremorum sequitur naturam; quales sunt relationes Paternitatis, & filiationis, quæ sunt reales, & intrinsecè aduenientes, hoc est internam fundamenti, & termini consequentes naturam: si ergo in eodem subiecto plurificatur fundamentum, quod secundum ipsum est genuisse, & multiplicantur termini, pluralitate succedente filiorum, ex pluralitate geniti esse, impossibile est non plurificari relationes, quas petimus.

Distinctio Caietani deceptoria.

Et distinctio de terminis inadæquatis, captiosa est; nam filius dicitur dupliciter terminus, primo potentiæ generatiuæ, secundo relationis Paternitatis: & sane concedi posset filium vnum, vel duos non esse adæquatos terminos potentiæ generandi Patris, quippequæ ob illorum duorum genitionem non exhauritur; superstite fecunditate ad plures gignendos; Cæterum non hoc sensu terminum spectamus; sed pro altero correlatiuo relationis Paternitatis, & hic profectò vnus vniuscuiusque relationis adæquatus est, quia exhaurita est vis relationis ex solo fundamento, & termino; è quorum positione ponitur nihil expectes vltra. Si verò adæquatio deesset his terminis hoc sumptis modo, singuli essemus inadæquati, neque planè perfecti filij nostrorum parentum; quod ioco non vacat.

Vrgetur ratio.

191 Hoc argumentum, quod ad hominem formatum diximus, vrgetur ex proprijs in hunc modum. Relatiuorum est proprium, vt sint simul natura ex Aristotele nedum 5. *Meth. cap. de relatiuis* sed *in lib. prædicamentorum cap. de ad aliquid*; at Pater, & filius sunt relatiuè ex eodem Aristotele *præcitatis locis*; ergo sunt simul natura; sub infero, sed esse simul natura est posito vno poni reliquū, ablato auferri ex eodem Aristotele *ibidem*; ergo idem eueniet in Patre, & filio, ut posito filio consurgat relatio ad Patrem, & rursum Patris relatio ad filium, & alio filio posita alia relatio ad patrem, cui alia respondere debet relatio Paternitatis in Patre: similiter destructo vno ex pluribus filijs destruitur vna filiationis relatio, & necessario opposita illi paternitatis relatio in Patre deficere debet; quia sicut posita ponitur, ita ablata aufertur; alioquin eadem numero relatio immutata omnino esset, & non esset; esset quidem viuente filio, deesset sine sui alteratione deficiente filio, quod intellectus non capit.

Occurrit Caietanus.

192 Respondet Caietanus concedendo, destructo vno correlatiuo destrui & reliquum, nisi per accidens contingat illud remanere, vt in proposito, in quo ex identitate subiecti contingit remanere eandem relationem Paternitatis mortuis filijs, dummodo supersit vnus, prælato exemplo de albo, cui similia sunt alia alba; quorum aliquibus destructis non destruitur relatio similitudinis in albo illo primo ad illa destructa, nisi tot comminiscamur relationes similitudinum in albo, quot sunt alba, quod ait Caietanus ridiculum, absurdum, & superfluum.

Non auditur Caietani fuga.

193 Hæc responsio fugam petit, euertenda est ne fugiat; Aristoteles absolutè monet, correlatiuo vno destructo destrui reliquum: appendicem somniat Caietanus, nisi contingat per accidens remanere: at si contingere posset per accidens remanere, nonnè appendicem

tradidisset Aristoteles, qui rigorose docuit relatiue esse simul natura? est ergo insuenta appendix ad necessitatem Caietani: sed & ipsa per se planè principiũ petit: quia hoc propugnat, quod ratio expugnet: transit etiam à fundamento ad subiectum; quid autem relationi cũ subiecto in pluralitate, vel identitate? Responsio probat plurificari ex fundamentis relationes, Caietanus ad subiectũ confugit; non coheret. Exemplum quoque Caieteni, secundum quod ei visum est superfluum, absurdum, ridiculum multiplicare similitudines in albo ad alia alba: ipsum per se ridiculum est, & absurdum, cum directo contra Aristotelem pugnet 2. Phisic. cont. 10. vbi probans non esse motum ad Cathegoriam ad aliquid, habet hæc verba: *fieri enim potest, vt altero mutato, alterum*

Aristoteles.

verè dicatur nihil mutatum, &c. Hæc ille in quibus obseruet Caietanus particulam verè; quem textum Interpretes omnes exponunt exemplo albi, vt si Petrus e. g. sit albus, Ioannes niger; & postmodum idem Ioannes mutatus albescat; vtique Petrus immutatus similis fiet verè Ioanni noua ecce iente similitudinis relatione, quam non habebat prius, accidentibus ergò nouis albis album primum nouam subit similitudinis relationem, & si infinita succrescerent alba; si absurdum, superfluum, ac ridiculum videtur Caietano assentire Aristoteli, & Interpretibus singulis; superfluum, ridiculum, & absurdum dicat infinitas emergere in albo primo similitudinis relationes.

194 Hanc eandem Scoti sententiam Scotistæ verij alijs argumentis confirment, Mihi maximè probare videtur ratio ex distinctione prioris sumpta, hoc modo. Multiplicato priori posterius, quod in priori inest, multiplicari necessum est; sed fundamentum respectu relationis prius est, & id multiplicatur in subiecto eodem; ergo relatio quoque debet plurificari, quæ posterior est, & in ipso fundamento hæret. Maior videtur mihi euidenter ex terminis probata; siquidem implicat prius esse plura, & posterius inhærens illi necessario esse vnum; alias vnum idemque accidens esset in pluribus fundamentis naturaliter, quod implicat. Minor probationem respuit, declarationem patitur; in Patre siquidem fundamentum Paternitatis per Aduersarios est, genuisse, per nos est actus oppositus illi, qui est in filio; quem nos diximus esse actualem existentiam naturæ acceptæ per generationem, cui in Patre respondet communicatio illius existentiæ naturæ per generationem: isti autem actus, qui fundamenta statuuntur relationum, in Patre multiplicantur tam secundum Aduersantium; quam secundum nostram opinionem, quia nec vno actu communicatiuo existentiæ naturæ per generationem, nec in vno genuisse Pater plures dicitur habere filios; illis ergo fundamentis plurificatis, quæ naturaliter priora sunt respectibus, respectus quoque plurificari oportere necessariũ mihi dicendum videtur.

Ratio ea...

195 Huic dilemmati nescio quo iure Caietanus inficiatur maiorem constituens multiplicari generationes actiuas in Patre, non tamen relationes per identitatem subiecti non compatientis plures relationes in se vno, Quæ responsio quam voluntariè feratur, gnarus quisque viderit; nec enim vel apicem argumenti eripit, aut illius maioris dirimit, & peterem à Caietano, qua Philosophorum doctrina imbutus concedat fundamenta plura in vno subiecto relationis vnius? quo naturæ miraculo eadem relatio fundetur in pluribus; si plures fundari in vno subiecto posse irridet Caietanus; en hoc est impossibilius illo? Certè fundamẽtum relationis est, quod refertur; seu, vt loquar aptius, est id, ex cuius positione cum termino oritur relatio, non autem subiectum; ad quod transiens perpetuò Caietanus in hac cõcertatione perpetua argumentorum vi pressus fugam petit; Porrò si ex positione fundamenti, & termini gignitur relatio; ex eorum pariter pluralitate trahit pluralitatem, quia dat esse dat consequentia ad esse, & à quo quippiã entitatem trahit, vnitatem, vel pluralitatem trahit; cum vnitas, & pluritas sint passiones entis. In vniuersum ergo concludendum est, multiplicari relationes ad multiplicationem fundamentorum, & terminorum, non autem ex pluritate subiecti, nisi consecutiuè; hoc est, vtique cum pluritate subiecto-

Responsio Caietani.

Nulla.

rum

tum stat pluritas relationum necessario, quia necessario multiplicatis subiectis, multiplicantur fundamenta, at non è conuerso, quia plura fundamenta in eodem subiecto repetire est, vt ostendimus ex Aristotele *quint. Phisic.* & rationibus probauimus. Hisce igitur decursis.

196 *Assertio* Asserendum in Christo realiter duas esse filiationes reales; quarum vna ad Patrem æternaliter refertur; altera ex tempore ad Matrem. Notanter dixi, esse, vt eandem in Christo relationem ad Matrem iam nunc etiam in dextera Patris fateamur, quam in generatione à Matre sumpsisse probabo; quod quidem probare, aut fateri non potest secundus dicendi modus de fundamento relationis filiationis, ex quo existentia naturæ per generationem acceptæ interrupta fuit per mortem. *Probatur* Assertio probatur. Quicunque naturaliter producitur in natura Intellectuali similis producenti is verè filius est; & filiationis relationem habet; at Christus à Matre Virgine naturaliter productus est similis producenti, estque productio in natura intellectuali; ergo verè filius est; & filiationis relationem habet. Maior patet ex diffinitione filiationis, quam hucusque præstitimus; illaquè ex peripatetica finitione generationis elicitur; qua generatio dicitur origo viuentis à viuente in similitudinem naturæ principio viræ coniuncto; vt de filij æterna originatione ostendimus *in primo sentent.* Minor probatur, quia verè Christum à Matre Virgine genitum, & natum, atque ab ea originem duxisse, fides docet in vtroque Symbolo Niceno, & Apostolorum, & in Concilio Calcedon. *in anathematismis anat. 6.* decernitur, nedum Virginem esse Christi Matrem, aut hominis illius, sed Dei. Nosque de hac veritate, loquuti fuimus *propria disputatione in superioribus.* Insuper naturaliter Christũ à Virgine productũ docuimus ibi; fuisseq; originẽ eius è Matre in natura intellectuali, & in similitudinem naturæ tam liquet, vt turpe sit probare.

197 *Responsio Caietani principium petit.* At inquit Caietanus ex S. Thoma, Christus verè Matris fuit Filius; non tamen filiationem habuit realem. Responsio petit principium, quid enim est vltra esse filium, nisi filiationem habere, ex quo concretum à forma denominante dicitur tale, si ergo est filius filiationem habet; eodemque modo, quo est Filius, filiationem habet, est autem verè, ac realiter filius, ergo verè, & realiter filiationem habet, namquemadmodum Pater paternitate est Pater, ita Filius filiatione est Filius.

At, inquiunt Thomistæ ex eodem S. Thoma, utique filiatione est Filius, non est tamen necessum filiationem esse realem, quamuis realiter sit Filius; quia reipsa Deus dicitur Dominus creaturarum adueniente relatione Domini, quæ tamen rationis est, non realis; denominatio tamen realis est in Deo, quia ex parte creaturę relatio subiectionis est realis. Contra: denominatio realis intrinseca non fit in aliquo per formam realem in altero quopiã existentem, sed per formam in se ipso manentem: implicat enim intelligere, me realiter ab intrinseca ratione dici talem, & te formam illam denominantem habere; esset siquidem forma denominans intrinseca simul, & extrinseca, at relatio filiationis est intrinseca Filio, eo modo quo respectus dici possunt intrinseci, hoc est ab interno prouenientes, est enim ratio formalis denominandi filium; ergo verè, & realiter filius non potest ab aliena reali relatione denominari; ergo nec Christus dicitur Mariæ filius ob relationem realem in Matre, nisi & ipse relationem realem habeat ad Matrem, quandoquidem solus rationis respectus non est satis ad realiter denominandum intrinsecè subiectum; Et quod fertur de respectu creaturarum ad Deum, reuerberatur à Scoto, quia non sic Christus dicitur Filius Mariæ, sicuti Deus dicitur Dominus creaturæ, quæ nihil noui realis dicit in Deo, sed in Christo ex reali generatione passiua habetur illa natura actualiter existens; ex cuius acceptione sequitur ipsum realiter esse Filium.

199 Vnde sic posset retundi responsio. Non eodem modo se habet fundamentum in relatione Dominij Dei ad creaturas, & in Christo ad Matrem; ergo nec relatio; sequela patet; quia relationes huius generis extremorum posi-

tio-

tionem sequuntur, vt sæpius dictum est; antecedens probatur, quia in Christo ex generatione reali passiua te ipsa accipitur natura actualiter existens, quæ est relationis fundamentum, in Deo nihil reale denuò acquiritur, quare fundamento nouo reali deficiente realis deficiat Dominij relatio necesse est.

Adest etiam, & aliud discrimen; cuius merito os aduersarijs occluditur in paritate, estq; illud, non esse parem rationem de Deo, & Christo, quia hoc loco Christus non pro nuda secunda persona Sanctissimæ Trinitatis sumendus est; sed pro ea vt subsistente in humana natura, cui relatio filiationis repugnare nequit; cum non repugnet fundamentum, quod est acceptio existentiæ humanæ naturæ per generationem. At in Deo non ita, spectatur enim ibi simplicissima essentia; cuius gratia diuina illa supposita Dominij denominationem recipiunt ex subiectione creaturarum, nullo nouo in Deum, vel personas diuinas conspirante reali illius relationis fundamento.

Conuincitur responsio Caietani 199 Præterea illa eadem responsio ad primum argumentum refellitur ex ratione relationis mutuæ: Mutua relatio hoc ex sui natura postulat; vt sit ex parte vtriusque extremi realis; sed huius generis est relatio filiationis; ergo ex vtrasque erit parte realis; ergo cum realis sit relatio Maternitatis in Beatissima Virgine ad Christum, realis pariformiter erit relatio filiationis Christi ad Virginem Matrem; Minor est Aristotelis, tum in *prædicamentis cap. de ad aliquid*, vbi docet Patrem esse filij Patrē; & è contra; tum ex 5. *Methap. cap. de relatiuis*; vbi huiusmodi relationes, non ad tertium genus, sed ad secundum reuocat, quæ omnes mutuæ sunt. Maior patet quia appositè loquimur de relationibus mutuis realibus, hoc loco quia reuera Maternitatis relatio in Virgine ad Christum realis est; ergo cum sit mutua habitudo filij ad Matrem, realis erit illa filij ad Virginem. *Ex Arist.* Et confirmatur ex ipsa ratione relationis realis, poteritque confirmatio tertium argumentum præstolari principalis ad assertum.

3. ad assertum. 200 Illa est relatio realis, quæ extrema realia consequitur ex extremorum natura nullo intellectu considerante; sed Christi ad Virginem, Virginis ad Christum relatio sequitur extrema realia ex natura extremorum nullo intellectu cogitante: ergo verè vtraque est realis. Maior patet ex ratione relationis internè aduenientis; cuius vis est insurgere extremis positis, absque vllo externo adiutorio; quæ ob id realis nuncupatur internè adueniens; quoniam, vt nomen sonat, internam extremorum naturam sequitur; non externam alterius opem. Minor probatur, etenim posita Virgine gignente, & Christo accipiente existentiam actualem humanæ naturæ per generationem passiuam, ex interna vi extremorum habitudo oritur Matris ad Filium, cui, cum sit mutua ex probatis, respondere debet in filio habitudo ad Matrem.

Respondet Caietanus; addendum maiori, si alterum extremum sit capax illius relationis, quod in re nostra desideratur, in qua, & si Mater, quæ est alterum extremum, sit Maternitatis capax; non tamen Christus, qui est alterum extremum, qui cum sit persona secunda Sanctissimæ Trinitatis, nouæ relationis realis omnino est incapax. *Responsio Caietani.*

Hæc doctrina Caietani, non tam responsionem commodat argumento, quam doctrinam, & fundamentum responsionis. *Euellitur*

Responsio est, maiorē deficere ex defectu vnius particulæ quæ est si ambo extrema sint capacia relationis; doctrina autem, & fundamentum responsionis est, Verbum vt purè personam diuinam, quæ est eadem cum Christo, qui dicit Verbi personam subsistentem in duplici natura, non esse nouæ relationis realis aliquo modo capax. Refellitur responsio, vt principium petens; quid enim aliud conuincit ratio, nisi extremis positis necessario relationem insurgere? porrò si id ratio formalis relationis internè aduenientis, & mutuæ postulat, quæcumque sint illa extrema consurget: & dicere dari extremum non capax, est simul asserere illud esse extremum illius relationis, & non esse extremum; extremum quidem, quia correlatiuum, non autem extremum, quia non relatiuum; quod rectè philosophia non

non patitur, fundamentum autem, & directima ipsa Caietaniei responsi enerwatur, quia Christus est capax noui fundamenti huius relationis, estque fundamentum reale, cum realiter acceperit per generationem passiuam existentiam naturæ illius humanæ à Matre: insuper est capax causæ istius relationis, quæ secundum ipsum est fundamentum relationis, nempè capax est passiuæ generationis, & natiuitatis; cur ergo non item relationis filiationis, quę per ipsum in genito esse fundatur? Vno verbo: est Christus bis genitus, cur non bis filius?

201 Præterea, & est confirmatio eiusdem. Si quid obstaret, quo minus multiplicato fundamento in eodem subiecto multiplicari relatio posset, id profectò esset, vel quia relationi repugnat multiplicari, vel quia repugnat relationi tali, nempè originis, vel quia repugnat subiecto: at nullum horum: non primū, quia si repugnaret multiplicari relationes in eodem subiecto, sequeretur Christum non fuisse similem alijs albis aduenientibus, neque æqualem in quantitate alijs quantis; cū tamen relationes similitudinis, & æqualitatis reales sint: similiter dicendum de creatis, Sortem non acquirere nouam relationem similitudinis in albedine albo nouiter producto, quod est contra Aristotelem *5. Physic. loco citato*: nec subterfugium ab humanis ad Christum validum est, quia quod secundum suam formalem rationem pugnat, vbique pugnat; atqui id prima pars, quam probamus, suadet, puta non pugnare ex interna relationis ratione multiplicari in eodē subiecto; alioquin in quocumque subiecto pugnaret: Sed nec pugnare multiplicari talem relationem, scilicet originis, suadetur; quia non magis repugnat multiplicari relationes originis in eodem, quam originationes ipsas; sed multiplicari originationes non repugnat; quare nec relationes originis. Maior huius dilemmatis probatur, quia originationes vel sunt fundamenta relationum, vel sunt causæ proximæ fundandi has relationes, multiplicatis autem fundamentis, vel causis proximis fundandi implicat non multiplicari relationes, quia hæ causæ proximæ non essent causæ proximæ, nisi ex ijs fundatio illius relationis immediatè sequeretur: insuper non se haberent ad modum causarum internarum, ex quibus necessariò consurgit effectus.

A tal argumentū.

202 Audio Caietanum, repugnare ex vnitate subiecti, quod necessariò debet esse suppositum: sed hæc omnia allatus hucusque discursus iouchit, nempe nihil vnitatem subiecti habere partis ad pluritatem relationum, quæ proximè à fundamento, & termino pendent. Rursum necessariò debere relationem hanc fundari in supposito, quod est Thomistarum Achilles, falsum esse ostenditur primo ex diffinitate filiationis allata, in qua particulæ singulæ ad naturam magis, quam ad suppositum referuntur, nam productio naturalis ad naturam spectat: similitudo in natura intellectuali, ad naturam attinet; in qua sumus similes, non in suppositatione: sola particula prima, quæ est producti, ad suppositum pertinere videtur; sed ea eatenus ponitur, quatenus filiatio originatur à generatione passiua; cuius terminus est suppositum; quod est subiectum, non fundamentum relationis. *Intercluditur responsio Caiet.*

203 Secundo probatur argumento Scoti. Non magis relatio respicit suppositum, quam operatio; sed Christus habuit duas operationes, ergo & duas relationes. Minor est Damasceni, quē citat Scotus in littera. Maior est ex illo communi pronunciato euidens, cōstituente ex doctrina Aristotelis *in prob. Meth.* suppositi esse operari. Negat paritatem Caietanus, quia actiones (inquit) sunt immediatè à natura, deinde suppositi, è contra filiatio immediatè suppositi, non naturæ; quæ non dicitur filia, quamuis dicatur genita. *Scoti ratio.* *Damascenus.* *Responsio Caietani.*

Contra Christus dicitur filius Mariæ, quia ex ea accepit humanam naturam per generationem, ergo non immediatè inest illi filiatio, sed mediante acceptione naturæ, & proinde paritas in argumento Scotico adducta non est ex Caietanica responsione conuulsa: denominatur vtique filius suppositum, nō natura, quia etiam actiones denomināt suppositum, vndè non natura Christi comedit, & bibit, passa, vel mortua est, sed Christus ipse, & mortuus, & passus *Nihil fit.*

passus, & bibisse, & comedisse denominatur ex illo generico pronunciato, quod actiones denominatiuè sunt suppositi, quare eodem modo de relationibus effamur.

Fundamentum duplex Thomistarum nullius ponderis. 204 Tota dissensionis Thomistarum ratio ex duplici capite hauritur; Primo quidem, quoniam statuunt filiationem immediatè esse suppositi; secundo autem, quod impossibile arbitrantur Christi suppositum reali relatione temporanea affectum; vtrumque tamen caput decidit; primum ex probatis, quia denominatio non facit, vt suppositum sit immediatè fundamentum relationis, cum sat sit esse subiectum; secundum, quia Christi personam hoc loco non absolutè, & nudè pro Verbi persona accipimus, sed pro ea vt subsistente in humana natura, secundum quam subsistentiam si Christus realiter dicitur mortuus, & passus, natus ex Virgine, & genitus, cur non realiter filius? planè confugium illud ad relationem rationis inane est, quæ ad relationem realem mutua non est in generatione: Matre igitur relationem realem habente ad Christum, realem relationem ad Matrē habuisse Christus dicendus est; cumque eadem Christi persona in humana natura subsistens plurium fundamentorū capax sit, immò, & plurium relationum realium, similitudinis, æqualitatis, & similium, incapacem illam asserere istius dumtaxat relationis realis filiationis non nisi voluntariè dicetur.

Preoccupatio leuis. 205 Quod si contendere vellent Aduersarij, diuinam personam plurium relationum realium non esse capacem, conuincuntur falsitatis exemplo Patris æterni, in quo duæ collocantur reales relationes, actiuæ scilicet generationis, & actiuæ spirationis; de quarum distinctione reali abundè satis in 1. *sent.* disceptauimus. Si rursum contendant de relatione Creaturæ ad Deum reali, cui nulla ex parte Dei respondet relatio realis; habent disparitatem ex dictis, quia relatio illa est eadem cum Creatura realiter, estq; illi substantialis, vt in 1. *sentent.* loquendo de creatione diximus; Hæc autem non ita. Rursum relationes illæ creaturæ ad Deum transcendentales potius sunt, quam prædicamentales, hæc verò prædicamentalis potius de genere ad aliquid.

Alia preoccupatio parui ponderis.

206 Si ex hac relatione reali mutationē realem in Deo asignant, habent responsum ex dictis, quod ad aliquid non est motus, & immutatum idem subiectum nouo albo accedente nouam adipiscitur similitudinem, ex Aristotele toties citato; ipsa ergo humana natura mutata, & relatione in eius acceptione per passiuam generationem fundata; immutatum omninò Verbum, & Christus denominatur realis filius Virginis, modo supradicto; & planè si sola rationis relatione Christus referretur ad Matrem, nullo iure realiter filius Matris dici posset, quia in Matre etiam deberet esse relatio rationis ad ipsum, siquidem in relationibus mutuis, quales sunt secundi generis ab Aristotele enumeratæ 5. *meth.* relatio rationis non respondet reali. *3. praeoccupatio tollitur.*

207 Mitto rationes alias ad hoc assertum, quas Scotus congerit, & egregiè ab aduersariorum cauillis eruit Faber *disp. 25. per quinque cap.* & hoc dilemmate sermonem huius asserti sigillo. Actio, & causalitas Mariæ Virginis erga filium consimilis fuit omnino actionibus aliarum genitricum erga filios suos (coitione excepta) sed aliæ Matres nullam habent ad suppositum filij sub ratione suppositi, hoc est circa subsistentiam, actionem, attamen veræ, & realiter denominantur Matres, & nati verè dicuntur filij, reali in ipsis ad Matrem filiationis relatione consurgente: aut igitur Christus non erit Mariæ filius, vt cæteri sunt suarum genitricum filij, aut consimilem habebit ad Matrem realem filiationis respectum, quem cæteri filij habent ad Matres. Maiorem expressimus, dum Mariæ Maternitatem præstolatemur; dempto namque humano adiutorio, quo Virgo Maria non indiguit Spiritu Sancto cooperante, & rursum præcisa successione rantitemporis in efformatione Corpusculi, consimiliter se gessit Maria, ac cæteræ Matres ad concipiendum filios. Minor est euidens ex Medicis, & Philosophis, qui Matris actionem ad prolem constituunt in vnione materiæ ad formam, dispositionibus præuijs, vnde Maternitas per ipsos non circa subsistentiam, sed primo circa naturam versatur; pari er- *Vide Fabrum in 3. disput. 25.*

go ratione filiatio circa naturam primo, mox circa suppositum versabitur, & proinde non in supposito, sed in natura fundabitur, quod est præcipuum præsentis controuersiæ fundamentum.

Assertio secunda.

208 Asserendum secundo pro superioris asserti Appendice, realem hanc relationem, qua Christus refertur ad Matrem non esse eandem cum relatione, qua refertur ad Patrem, qam etiam realem esse confitentur Thomistæ, satque constitutum est *in primo sent.* Hæc assertio, qoamuis ex superiori probationem trahat, adhuc probatur, primo ex Scoto *quæst. cit. litt.C.* eadem relatio duos nequit habere terminos, nequit igitur Verbi filiatio respicere simul Matrem in tempore, & Patrem ab æterno, & sequela deducitur, quia hi statuuntur termini relationis filiationis, nimirum Pater, & Mater. Antecedens probatur, Primo, quoniam pluritas, & distinctio relationum æquè pendet à fundamentis, & terminis, etenim, vt probauimus, à quo res habet esse, habet vnitatem, & pluritatem, quæ sunt passiones entis, sed relatio aucupatur esse ex natura fundamenti, & termini, fundamento igitur, ac termino multiplicatis multiplicari relationem necessum est.

Probatur primo ex Scoto.

Quod autem ex vtroque esse habeat relatio probatur; non enim vno dumtaxat extremo posito consurgit, sed vtroque simul, & propterea relatiua dicuntur simul natura, hinc ponas Petrũ Ioannis Patrem, nisi Ioannẽ simul cum eo ponas, relatio Petri, seu Paternitatis in Petro nulla est, quæ doctrina tam clara est, quam quod clarissimum quodque apud Aristotelẽ locis sæpè citatis: pendet igitur relatio in esse à fundamento, & termino, loquendo potissimum de relationibus prædicamentalibus, non autem á subiecto præcisè, quia Petrus, qui statuitur subiectum filiationis ad Ioannem, non esset verè Pater, si non genuisset Ioannem, hoc est nisi habuisset fundamentum relationis Paternitatis. Quare Caietani suppositio, quod termini nihil agant ad distinctionem relationum falsissima est, eoque id magis, quod & ipsi termini sunt fundamenta relationis oppositæ, nam filius, qui est terminus relationis Patris, est fundamentum relationis filiationis, vel saltem est subiectum, in quo est fundamentum illius relationis, ex vtraque igitur parte vnitas, vel pluritas relationum accipitur, ex qua esse accipitur.

Caietani opinio falsa.

Alia Scoti probatio.

209 Probatur secondo Antecedens illud primum argumento Scoti. Idem simul, & semel nequit esse, & non esse: At si relatio eadem filiationis in Christo respiceret vna Patrem æternum, ac Matrem, idem omnino simul diceretur esse, & non esse, quæ pugnant, cũ sint contradictoria: deductio probatur, quia viuente Maria eadem relatio filiationis in Christo respexisset *Mariam*, & Patrem æternum, si autem fuisset destructa Maria, vtique destructa fuisset in ea relatio Maternitatis, & proinde in filio relatio filiationis, & è contra manente æterno Patre, non fuisset destructa.

Replica Caietani friuola.

Nec valet concedere cum Caietano posse idem dici destructum, & non destructum penes diuersos terminos, præcipuè cum eadem relatio inadequatè respiciat terminos; non valet, inquam, quia inadæquationem hanc in superioribus refutauimus, & hoc argumẽto refutatur magis.

Confutatur Caietani doctrina.

Adæquatè relatio nihil expetit vltra nisi fundamentum, ac terminum; at hic sunt duo fundamenta, & duo termini, ergo duæ relationes adæquatæ. Maior patet ex ipsa ratione relationis; quæ nihil prætérea expetit, nisi duo illa extrema, è quorum positione ponitur. Minor probatur etiam per ipsum Caietanũ; quia in Christo est esse genitum æternum, quod est fundamentum æternæ relationis filiationis, & est esse genitum temporale, quod est fundamentum relationis filiationis in tempore, duo igitur fundamenta relationis filiationis, & vtrumque adæquatũ, quia sicut verè est filius Dei, ita verè est filius hominis: his duobus fundamentis ecce duo respondent termini; Pater ab æterno, Mater in tempore, ergo vtraque relatio adæquata est.

Rursum idem posse dici destructum, & non destructum penes terminos, falsissimum est in relationibus, quæ cum sint formæ simplices, non possunt dici ex parte esse, & ex parte non esse; sed vel sunt, vel non sunt, & destructio funda-

menti, à quo æqualiter pendet relatio, seu vtriusque, seu alterius destructio, relationem secundum se totam destruit.

Secunda probatio Assert.

210 Præterea principaliter ad effectum. Non potest æternæ Paternitas, qua primum illud diuinum suppositum æternaliter refertur ad Verbum, esse relatio, qua Pater æternus dicatur Pater in tempore; ergo nec æterna filiatio potest esse relatio, qua filius æternus dicatur filius in tempore: consequentia dilucida est, cum non videatur ratio maior esse de vna, quam de alia, præcipuè ad ea, quæ fiunt in tempore, ad quæ æqualiter se habent diuinæ personæ omnes. Probo antecedens ex illo communi Theologorum pronunciato, quo statuitur nullam proprietatem personalem diuinam respicere aliquid creatum pro termino; cum sit omnibus diuinis personalitatibus commune non habere quid creatum pro termino.

Deductio Fabri voluntaria.

211 Ex hoc argumento Scotico colligit hanc conclusionem Faber, ergo sicut Paternitas diuina non est relatio, qua Pater æternus dicatur Filius temporaliter, si ipsa humanam assumpsisset naturam, ita nec filiatio est relatio qua filius dicetur filius temporaliter. Verum non id ex argumento colligit Scotus, sed non posse filium dici filium temporaliter ex filiatione æterna, quemadmodum nec Pater potest dici Pater temporaliter ex Paternitate æterna, alia ergo est Scoti conclusio in hoc argumento admodum à Fabri conclusione diuersa; quæ potius reuocanda est ad dubitationem illam de æterno Patre, numquid si carnem sumpsisset, dicendus erat Matris filius, quem dirimit Scotus *hac ipsa quæst. in solutione secundi litera F*, dicendo, quod vtique dicendus fuisset filius, Matris hypothesi concesse, sed future fuisse confusio, quia suppositum idem dicendum fuisset Pater, & filius, Pater æterna productione, filius temporali filiatione, quæ confusio in Incarnatione iam facta ablata est, quia dum filium ais, quò cumque illum referas; siue ad Patrem ab æterno; siue ad Matrem in tempore, filium vocabis, & ignarus quisquam dummodo fide præditus capiet filij nomine intelligi Verbum, quod est filius Patris, idemque Verbum carne indutum, quod est filius Matris; At si Pater fuisset incarnatus, nec ipsi gneri sine distinctione nouissent, vnem eandemque demonstrare personam duplici vocabulo insignitam; immò resi. Ait argumentum Scotus, potest que esse tertium ad assertionem propositam.

Tertium argumentum ad assertionem.

212 Si Pater æternus carnem sumpsisset ex Virgine aliqua relatione filiationis diceretur Virginis filius, & non relatione sua æterna, quia illa est Paternitas, non filiatio, & hæ duæ relationes, filiatio scilicet, & Paternitas, cum sint oppositæ, non possunt esse vna simul, & eadem relatio, ergo & filius qui carnem sumpsit aliqua filiatione dicetur Mariæ filius, & non sua æterna.

Plura alia congerunt Scotus, & Scotistæ in hac disceptatione ad probandum contra Thomistas, plures formas etiam absolutas posse esse simul in eodem subiecto, sed quia res penitus metaphysica est, hæc dixi: iam ad solutionem argumentorum descensurus.

Argumenta Scoti in oppositum.

213 Ex Scoto pro sententia opposita hæc habes argumenta. Primum: filiatio constituit filium, ergo duæ filiationes duos filios, sed Christus non est duo filij, ergo neque duæ filiationes in eo reales.

Secundum argumentum est de confusione personæ, si Pater assumpsisset carnem, quod paulò superius solutum est.

Tertium ast de Christo mortuo, qui filiationem ad Mariam amisit, & obinde resurgens, ex quo alio modo accepit esse, non videtur amplius Mariæ filius.

Quartum: ponitur relatio filiationis in Christo ad Matrem, vt cum veritate asseratur filius Matris; sed ad hanc veritatem adstruendam satis est relatio rationis, quia sic etiam Deus dicitur Creator realiter, & Dominus, nec tamen relatione reali, sed rationis: Et confirmatur, quia Deus Creaturas produxit quatenus artifex, idest quatenus solam relationem rationis habet: etenim eadem scientia Dei dicitur ars, quatenus causet per actum rationis Ideas in se; si ergo dicitur Creans, & potens creare per relationem rationis, quanto magis relatione rationis poterit dici

Confirmatio.

Mariæ filius, cum illa habitudo supponetur ad esse rei, & ob id magis necessariò videatur debere esse realis, quam ista, quæ sequitur esse rei.

Demum si esset realiter filius, esset realiter Matri æqualis, at hoc est falsum, quoniam æqualitas fundatur super vnitatem vnionis, quæ nulla est ibi ad Matrem. Hæc sunt Scotica argumenta, quæ dedita opera attulimus, vt sexcentas in eis difficultates emergentes enucleemus.

Argumenta Aduersariorum, primum. 214 Aduersarij autem multiplici ratione contra primum assertum nostrum. ferunt. Et primo ex ratione filiationis: filiatio est suppositi non naturæ; sed Christi suppositum est æternum, ergo non habet filiationem temporalē. Probatur maior, quoniam suppositum dumtaxat denominetur filius, non natura.

Secundū Secundo. Relatio nequit multiplicari non multiplicato subiecto, sed relationis huius subiectum est vna, & eadē Christi persona, ergo inmultiplicata persona inmultiplicari relationem dicendum est; erit igitur vna filiatio in Christo. Maior probatur: nam alias idem Pater, si plures haberet filios, esset plures Patres, ex quo haberet relationes Paternitatis plures.

Tertium Tertio. Christus non est filius Dei adoptiuus ex communi Theologorum confessione, nec planè aliam ob causam, nisi quia relationis illius nouæ realis adoptionis Christi persona capax non est; hæc igitur ratio pariformiter militat ad inficiendam realem relationem filiationis in Christo temporaneam ad Matrem.

Argumēta Medinæ. Quarto Medina tres, vel quatuor cōgerit rationes, quæ tamen omnes pari nituntur fundamento, quod filiatio sit personæ, & proinde videntur reincidere in primum argumentum allatum, est enim prima ratio illius. Quæ sunt personæ non multiplicantur in Christo ex Damasceno *lib. 3. cap. 3.* sed filiatio est personæ, ergo non multiplicatur in Christo. Secunda ratio: supposito æterno non potest aduenire aliqua relatio realis ex tempore, sed Christus est suppositum æternum, ergo noua relatio realis filiationis ex tempore illi aduenire non potest. Tertia: si deberet hæc relatio esse realis, certè non ob aliam causam, nisi, vt Christus diceretur realiter filius Virginis, sed hæc nulla est, nam Deus est realiter Dominus sine vlla relatione reali Dominij. Quarta: Quæ geminantur in Christo conueniūt personæ, & naturæ; vt nasci, generari, agere, & pati; sed filiatio nullo modo conuenit naturæ, ergo non geminatur, quia natura non dicitur filie. Hæc sunt Mediaæ argumenta, quæ, vt vides in Scoti argumentis, & littera continētur omnia, nem primum, & vltimum habetur, soluitur, & refutatur à Scoto *quæst. citata §. hic dicitur quod non sunt, &c.* secundum, & tertium continentur in quarto, & quinto argumento Scoti principali, *in vestibulo quæstionis*, propterea nihil noui fecisse negotij *Medina*. Diluamus igitur alia.

215 Primum ex Scoto, negata sequela; negationis ratio alibi præstita est, non plurificari concretum formæ dumtaxat plurificate, sed expeti etiam plurificationē suppositi, quod maximè verum est, quando formæ sunt eiusdem rationis, quales sunt relationes istæ duę filiationis, quae si proterui a non essent eiusdem rationis, ex quo vna æterna est, altera temporanea, vtramque tamen consimili nomine appellabis; est igitur argumenti consequentia nulla, estque fallacia consequentis, transeundo à multiplicitate formę ad multiplicitatem suppositi. *Solutio primi.*

Secundum argumentum de confusione personæ paulò antè eneruatū est, cessat enim ratio dubitandi, ex quo eadem persona, quæ est filius æternus, est filius temporalis; cæterū si Pater fuisset Incarnatus, vitari non posset, quominus simul diceretur Pater, & Filius secundum diuersas habitudines. *Solutio secundi.*

Tertium argumentum incommodo esse potest ijs, qui fundamentum relationis huius constituunt genitum esse, quo eo pertranseunte relatio nulla, nisi vocetis, & in ijs esse filium nihil prædicat realiter de præsenti, nisi nomen tantum, sed de præterito; & rursū incommodo esse potest ijs quibus videtur, non debere interrumpi existentiam naturæ acceptæ per generationem, ad hoc vt suppositum illam recipiens semper sit filius. *Solutio tertij.*

At

At nobis id curæ non est, qui interruptionē illam accidere diximus, sicut & non interruptionem ipsi naturæ sic acceptæ, secundum quem modum respondemus argumento; Christum post resurrectionem, & nunc quoque in cœlis verè, ac realiter esse Mariæ filium, & eadem filiatione, qua prius, quæ, cum consequatur extrema, iisdē omnino redeūtibus extremis, eadem redit, & eadem actione redit, qua redit fundamentum, qua de re in quarto in materia de resurrectione. Ad id, quod assumit argumentum, quod Christus alia noua productione accepit esse in sua resurrectione ait Scotus id ad summum conuincere nouem etiam relationem aduenire Christo consequentem aliam productionem passiuam, sed ex hac non tolli relationem illam fillationis, quæ fundata super illud esse acceptum primò per generationem, illo eodem redeunte, redit.

Solutio quarti.

Quarti argumenti maior declaranda est, nam si quis putet præcisè relationē illam filiationis, à nobis inuehi, vt Christum dicamus Mariæ filium, hallucinabitur. Nos enim illam admittimus, quoniam ex natura rei relatio ipsa fundamentum, ac terminum sequitur, estque mutua ad Maternitatem; & si hoc sibi velit illa maior, conceditur; sed falsa est minor, nam, quidquid sit de denominatione extrinseca reali, secundū quam ex relationibus in creaturis Deus denominatur creans, & Dominus, non est hic parratio, vbi relationes non possunt non esse mutuæ, cum sint prædicamentales, & secundi ordinis; ad quem relationem filiationis, & Paternitatis reuocauit Aristoteles 5. *Methaph.* Adde, quod hic est in subiecto fundamentum reale, nempe genitum esse ex Thomistarum, Acceptio naturæ humanæ, eiusque existentiæ per generationem passiuam, ex nostra sententia; verùm in Deo, vt Creatore, & vt Domino nullum fundamentum nouum reale.

An esse producēs & productiuū sint idem creans, et creatiuū.

216 In solutione confirmationis satis profunditur Doctor, ex cuius fonte breuiter responde negando, Deum esse productiuum per relationem rationis, & obserua, aliud esse Deum esse producens, aliud esse productiuum, hunc dicit potentiam, illud actum; idem puta de Creatore; aliud est enim esse creantem, seu Creatorem, aliud esse creatiuum. Ad formam igitur, Deus est productiuus vt artifex, non quatenus respectus in scientia fundatus sit illi ratio ad producendum; sed quatenus habet scientiam, quæ est quid absolutum in Deo, quod nuncupant artem in Deo; Vnde si arguis. Deus, vt artifex est productiuus, Artifex dicit relationem rationis, ergo &c. Committis falleciam transeundo à fundamento relationis ad relationem, nam in maiori sumis artificem pro absoluto scientiæ, in minori pro relatione.

Vltimi argumenti negatur falsitas, verè enim Christus est Matri secundum humanam naturam vel æqualis, vel excellentior; nec probatio est valida assumens æqualitatē debere fundari super vnitate vnionis, quod falsum est, nā & ipsa vnio est relatio; An ergo eadem cum relatione æqualitatis, an diuersa? Si eadem, ergo idem in se ipso fundabitur: si diuersa, an fundetur super vnū, an nō; si super vnū; quæro de ista vltima vnitate, quæ est relatio, super quid fundatur? & sic in infinitum: si non fundatur super vnitate vnionis; ergo nec illa prima relatio equalitatis, vt quid enim hæc, non illa? dicendum ergo equalitatem fundari super vnitatē non vnionis, quę etiam est relatio, nec super vnitatem numeralem, quę est personę, sed super vnitatem minorem vnitate numerali, quę est vnitas naturę. Ad huius doctrinæ elucidationem Scoti argumenta philosophica libuit in medium adducere, & soluere, iam ad Thomistarum fundamenta diruenda descendamus.

Vnitas multiplex

Occurritur argumentis Aduersariorum.

217 Primum aduersariorum argumentum toties solutum est ex dictis, negando, filiationem esse immediatè suppositi, cum sit immediatè naturæ, ob cuius meritum, & suppositi; nec probatio valida est, cum adduxerimus rationem, cur natura non dicetur filia, quia nō est ipsa, vel pars eius plenum, & adæquatum filiationis subiectum, sed ipsa cum supposito; vt patet ex diffinitione filiationis, in qua particulæ naturam, & suppositum inuoluunt; sed naturam, & per naturam suppositum. Reflectitur autem argumentum, nam si denominationem attendant Thomistæ, cum natura

tura non sit nata, nec dicatur nata, vel mortua, vel passa, sed suppositum, deberent concedere illas actiones, aut passiones nullo modo in natura, sed in supposito fundari, quod falsum est, quia in supposito mediante natura.

Secundi argumenti maior falsa est; quia vt diximus ex enumeratione fundamenti ac termini numeratur relatio; non ex numeratione subiecti, nisi accidentario, quatenus fundata sunt in pluribus subiectis; & ad probationem maioris sequela negatur, ob rationem à Scoto adductam, quia ex formæ multiplicatione non numeratur concretum.

Diluitur rationes Medinæ

218 Prima ratio Medinæ assumit minorem falsam, hactenus decursam; secunda maiorem dubiam, nam si loquamur de supposito æterno nudè, vt suppositum tale est, vera est maior, sed falsa minor; cum Christus dicat suppositum vt in humana natura subsistens, si maior accipiat suppositum hoc modo pro subsistenti etiam in humanitate, minor est vera, sed falsa maior, vt habes ex dictis.

Tertia ratio Medinæ est eadem cum quarto argumento principaliter à Scoto soluto, & à nobis supra decurso. Vltimum denique argumentum eius soluitur negata minori, cuius falsitatem supra ostendimus, nec plura repetenda inutiliter duximus.

219 Vltimum principale Thomistarum argumentum petit solutionem bonæ difficultatis de adoptione Christi. An scilicet Christus sit filius Dei adoptiuus; de qua in sequenti capite: interim negandum, ex eo Christum non dici adoptiuum, quia relationis realis pręcise capax non est, sed ex eo quod non potest ab æterna hereditate dici extraneus; qua de re vberius capite sequenti in cuius gratiã libuit parumper ordinẽ immutando Medinæ argumenta prius dissoluere, licet vltimo loco proposita, vt fieret huius cum sequenti capite connexio ex solutione tertij argumenti, quod hoc loco vltimum vocauimus.

AN CHRISTVS SIT FILIVS DEI adoptiuus, secundum quod homo, an naturalis.

CAP. VI.

110 Tractationem de Adoptione Christi prosequuntur Scolastici cum Scoto d. 10. 3. sent. & cum S. Thoma 3. p. q. 23 art. 4. In qua negant omnes vno ore Theologi, Christum; etiam secundum quod homo est, esse filium Dei adoptiuum, cum sit filius naturalis. *Communis opinio negat.*

Vnus Durandus in 3. sent. d. 4. q. 1. concedere ausus est, Christum secundum quod homo est, esse filium Dei adoptiuum, & in eãdem sententiam valdè propensum fuisse Scotum in 3. loco cit. sensit Bartolomæus Medina 3. p. q. 24. art. 1. aiens ex Scoto naturam humanam in Christo fuisse adoptatam, & prædistinatam ad filiationem adoptiuam, ex quo (inquit Medina) videtur concedere Scotus hanc propositionem, *Christus est filius Dei adoptiuus*. Suarez etiam d. 49. sect. 2. propè finem, ait Scotum tandem consiteri, Christum non esse adoptiuum, quo dicendi genere haud dubiè innuit Suarez Scotum in hac quæstione quasi inuitum consensisse cum cæteris Scolasticis. Accedunt Scoti discipuli, præcipuè Bassolius Scoti viuentis Auditor, d. 10. q. vnica artic. 2. qui palam concedere non veretur Christum secundum quod homo est, dici posse filium Dei adoptiuum, quod argumentum est Scotum etiam præceptorẽ eius, cui ferè semper Bassolius adhæret, ita sensisse. *Affirmat Durandus. Scotum in sententiam Durandi. Perperã citant aduersarij. Opinio Bassolij.*

Accedit textus Scoti in *reportatis parisiensibus dist. 10.* vbi docet Christum posse dici filium Dei adoptiuum secundum humanitatem; Sanctos autem Patres huiusmodi dicendi genus neglexisse ne cum hereticis Arrianis, vel duplicantibus Christi personam, vel absolutè concedentibus Christum esse creatu *Scotus in reportat. dist. 10. 3. sent.*

ram

ram viderentur conuenire.

Enim uero, si Bassolio standum sit; dissentiret Scotus à Durando, Bassolius enim omnino probabilem iudicat sententiam constituentem, Christū posse dici adoptiuum secundum humanam naturam, quod & trifariam probat, vt infra videbitur. Sed re uera hanc sententiam Scotus non sequitur *in scripto Oxoniensi*, quod præmanibus habemus, nam *d. 10. in solut. argumentorū quæst. vnica* pro certo constituit Scotus Christum secundum quod homo est non esse filium Dei adoptiuum, ex eo quod Christus non est ab hæreditate extraneus; ansām verò dubitandi de eius sententia præstitit ibi, quoniam ante solutionem argumentorum principalium, & in fine illius quæstionis duo mouet dubia contra communem sententiam hunc adoptionis titulum negligentem, quæ tamen Scotus non diluit, sed absolutè ait, *responsionem quære*, In scripto etiam Parisiensi, quod Reportatum dicitur idem omnino sensit, sed quia oppositam sententiam ex instituto non persequitur, occasionem dedit Medinæ, & Vasquezio *disp. 83. cap. 5.* trahendi Scotum in sententiam Durandi, & Suarezio *loco citato* saltem de Scoti in hac re sententia dubitandi.

Occasio Medinæ, & Vasquij dubitādi de sententia Scoti.

222 Reuera tamen adoptiuam in Christo filiationem, secundum quod homo est, neglexit Scotus, immò & fundamentum negandi hanc adoptionem præstitit, quo deinde vsi sunt Recentes, qui Scoti doctrinam arripiendo, loco gratiarum actionis, ipsum in oppositam opinionem trahunt; vt nescio quā illi censuram ingerant. Est autem fundamentum Scoti, quod si hucusque in materia de cōmunicatione Idiomatum cum logicis, & grammaticis res nobis fuit; nunc terminos mutuare debemus à Iureconsultis, quorum vocabulum est adoptio.

Quid sit adoptio.

223 Est ergo apud Iuristas adoptio gratuita quædam electio, qua quis eligitur in filium; quam quidem electionem, vt plurimum faciunt ij, qui filios habere non possunt naturales; vnde ad proprium solatium adoptant alios, secundum quam adoptionis descriptionem potius, quam diffinitionem; is dicitur filius adoptiuus, qui non est naturalis ab aliquo naturaliter genitus, nec ex naturali generatione ius habet in hæreditatem, sed ex gratia adoptantis præordinatur ad iura hæreditatis: & rursum ex illa descriptione elicitur ad veram adoptionē expetitia, nimirum extraneitatem ab hæreditate ex vi originis, gratiosam adoptantis voluntatem, & hæreditatem, quæ est bonum, ad quod adoptatus ex vi adoptionis ius acquirit.

224 Ex hac doctrina infert Scotus; Christum non esse filium Dei adoptiuum, & de Christo secundum æternam generationem non est dubium, de humana id probat, quia non fuit ab hæreditate gloriæ extraneus. Quomodo autem intelligatur non fuisse extraneus, declarat ex triplici via, seu modo respondendi. Potest primo dici, quod cum fuerit perpetuò innocens, non fuit extraneus ab hæreditate. Hanc viam improbat, nam & Virgo sine originali peccato concepta innocens fuit, & tamen extranea, quia filia Dei adoptiua. Rursum Angeli, & Adam fuerunt creati innocentes; attamen adoptiuos fuisse Dei filios negauerit nemo. Iterum ex nobis nullus adoptatur, qui fuerit vel secundum se, vel secundum parentes suos adoptantes inimicus, immò è conuerso adoptio sequitur dilectionem, non inimicitiam; nihil ergo innocentiæ ad extraneitatem, cum & innocens etiam sit extraneus.

Scoti sententia.

Triplex Respondendi modus. primus non placet.

225 Secundo dici potest, quod extraneitas hæc debet esse talis, vt adoptatus in instanti naturalis generationis non habeat ius ad hæreditatem, præintelligitur enim esse naturaliter, mox extraneitas; quare cum Christus pro nullo instanti fuerit sine gratia, pro nullo fuit extraneus.

Secundus modus.

Non probatur.

Hæc autem via Scoto displicet, quia secundum certiorem sententiam Angeli fuerunt creati in gratia, nec tamen dicendi sunt non adoptiui filij; quia instans naturæ sat esse videtur ad extraneitatem; ita vt si quis pro primo instanti naturæ intelligatur esse, & pro secundo in gratia; tunc in illo primo dicetur extraneus.

226 Tertio dici potest, quod si in primo instanti concomitetur generationem realem aliqua dispositio de congruo

Tertius modus dicendi.

gtuo

gruo conferens ius ad hæreditatem, non erit extraneitas; ita euenit in generatione Temporanea Chriſti, quem concomitabatur gratia, ob quam anima Chriſti habuit ius ad hæreditatem, nec obinde fuit extranea ab hæreditate.

Arridere videtur Scoto. Obiectio à Scoto propoſita ſed non eruta.

227 Quod ſi obijcies; quod hæc concomitantia fuit in ſecundo inſtanti naturæ; ergo in Chriſto fuit extraneitas. Scotus huic dubitationi non reſpondet. Reſpondent Marginiſtæ, ſeu additionum auctores; quibus Noſtrates ſubſcribunt, quod utique in ſecundo inſtanti datur ius hæreditatis, ſed in primo adeſt neceſſario diſpoſitio conſequens naturam iſtam humanam, & generationem eius; ſed hæc reſponſio pugnantia dicit; aſſerit in primo inſtanti eſſe diſpoſitionem, & hanc diſpoſitionem ait conſequi generationem. At peto, quomodo in eodem inſtanti primo naturæ, ſi naturam ipſam, & generationem conſequitur? Certè, quæ cõſequuntur aliquid, non ſunt cum eo ſimul in primo naturæ inſtanti.

Reſpõdẽt Scotiſtæ, ſed perperam

Hæc ergo mihi naturæ inſtantia nihil ad extraneitatem facere videntur, ſed temporis inſtãtia requiri; cum ergo pro nullo Temporis inſtanti anima Chriſti caruerit gratia, nuſquam fuit extranea; proinde ſecunda via arridet; & ad obiecta de Angelis aio, non ita certũ Angelos in gratia habituali creatos; ſed ſi vt certum ex Scoti ſententia id ſupponamus; diſpar eſt ratio de anima Chriſti, cui de congruo debebatur gratia in primo inſtanti, vt vniendæ Verbo, Angelis autem ex liberalitate mera largitoris data eſt gratia.

Reſpõſio Auctoris cui ſecundus dicendi modus placet.

228 Hactenus Scoti declarationem accommodauimus, vt liqueat Scotum de modo extraneitatis dubitaſſe, nec vnũ magis, quam alium modum extraneitatis euellendæ à Chriſto approbaſſe; Cæterum de ipſamet aſſertione principali conſtituente, Chriſtum non eſſe filium adoptiuum Dei, vt homo eſt, ne latum quidem vnguem diſſerre.

229 An autem hæc communis ſententia negans tam certa ſit, vt oppoſita censuram patiatur, non eſt vna omnium opinio. Turrianus *cenſ. Theol. cent. 7. dub. 32.* eam falſam retur, & improbabilem. Suarez *loco cit.* hanc propoſitionem; *Chriſtus eſt filius Dei adoptiuus, ſecundum quod homo eſt;* falſam quidem omnino retur, non tamen hæreticam; quamuis videatur damnata in Concilio Francfordienſi celebrato tempore Adriani Papæ primi, & Caroli Magni Imperatoris contra duos Hiſpaniarum Epiſcopos Fælicem Vrgellitanum; & Elidum, ſeu Elipandum Toletanum, conſtituentes Chriſtum eſſe verè Dei filium adoptiuum, quatenus homo eſt; quorum errores ipſemet etiam Adrianus refutat *in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ;* & liber Sacroſyllabus approbatus in eodem Concilio; quibus decretis Reſpondet Suarez, Concilium, & Adrianũ damnare hanc propoſitionem, *Chriſtus ſecundum quod homo eſt filius adoptiuus,* ſumendo ly, *ſecundum quod homo*, reduplicatiue; quaſi verò partirentur ij Epiſcopi Chriſtum in duas perſonas, quarum vna eſt filia Dei naturalis, nempè æterna, altera adoptiua, nempe humana, ac temporalis. Quod verò id ſenſerint illi, oſtendit Suarez ex modo loquendi Adriani, & Concilij, quod videtur Epiſcopus illos reducere ad errorem Neſtorij, qui duas in Chriſto perſonas inuexit.

Cenſura Turriani & Suarij

230 Medina *quæſt. 23. art. Vltimo extremis commentarij verbis*, opinionem Durandi cenſet non eſſe probabilem, nec licere eam in hac parte ſequi; quia contra eam eſt Concilium Francfordienſe, citatum à Petro de Palude *diſt. 4. quæſt. 3. 3. ſent.* cuius acta approbauit Adrianus Papa; *in comment. autem artic. 1 quæſt. 24.* opinionem Durandi non eſſe hæreticam cenſet, propterea quod Scotus etiam ante Durandum illam propugnauit. Qua in re bene actum eſt Durando in gratiam Scoti. Contra verò Gabriel Vaſquez *diſp. 89. cit.* hanc propoſitionem *Chriſtus ſecundum quod homo eſt filius Dei adoptiuus,* damnatam ſimpliciter in eo Concilio monet; proinde oppoſitum eſſe omnino de fide; ſubſcribit Faber in *3. diſp. 23. cap. 2.* quamuis proteſtetur, ſe nondum, cum ſcriberet, Vaſquezij cenſuram vidiſſe, ſed poſtquam ſcripſerat, incidiſſe fortuito in opinionem Vaſquezij.

Cenſura Medinæ, Paludanus.

Cenſura Vaſquezij, et Fabri.

231 Pater Lugo *diſp. 31. ſect. 1.* & ipſe cenſet hanc propoſitionem, *Chriſtus ſecundum quod homo* reduplicatiuè eſt fi-

Cenſura Lugo.

lius

lis Dei adoptiuus, debere negari secundum mentem Concilij, & Adriani; ex quo Christus secundum illam non est persona extranea; qualem autem Censuram patiatur propositio non explicat.

232 Tota lis est de validitate, & Decreto illius Concilij: quod si autenticum est, & vniuersale, impium est de eius decretis ambigere. Verum suppositum difficultatem patitur pergrandem. Tũ quia Concilium illud ante tempora Paludani fuit omnino ignotum apud Scolasticos; cuius testimonio est; quod nec illius Sanctus Thomas perfectissimus summæ compilator *art. illo* de hac re proprio, nec S. Bonauentura, nec Scotus præcipua Theologorum capita meminerunt; factum puta quia decreta illius Concilij in Gymnasia aditum non habuerant. Rursum Conciliorum Thomi Concilium illud non referunt apud me; sed in vita Adriani paulo ante Concilium Nicenum secundum, facta mentione de hac Synodo habetur, *hanc Francfordi habitam ex relatione Historiarum; nam ipsius acta an supersint nescitur*. Hoc ibi, & subditur in ea Synodum septimam à græcis appellatam quæ fuit Ephesina Hichonomachorum, & Hæresim Fœlicianam de tollendis imaginibus abrogatam esse. Nec etiam summæ Conciliorum Francfordiensis Synodi memoriam faciunt, vt patet apud Carranzam, & alios Summatores post Concilium Tridentinum: Argumento maximo; non multi ponderis illam Synodum fuisse, cuius acta an asseruata essent, ignorabatur; puta fortè quia Synodus Nationalis fuit Germanorum, non Vniuersalis totius Ecclesiæ.

Verba Sumistarum Conciliorum.

Carraza.

233 Adde, quod quamquam P. Lugo partem illius Synodi in lucem emissam viderit; an tamen verè illa acta sint in ea Synodo, & Identitatem illorum actorum, credam, dum Ecclesia iubet. Hoc mihi planè constat, nec Eminentissimos, & nunquam satis laudatos viros, Cardinalem Baronium, & Bellarminium multi Concilium illud fecisse, vt videre est apud eum *in annalibus ad annum* 794. & apud hunc *libro de Imaginibus, cap.* 14. & *lib.* 2. *de Concil. auctoribus*; & *lib.* 1. *de Concilijs*, & *Ecclesia*, vbi tradit Bellarminius Concilium illud partim confirmatum, partim reprobatum ab Adriano: Confirmatum in ea parte, qua diffinit Christum non esse filium Dei adoptiuum: reprobatum ex errore damnans septimam Synodum. Vnde Vetustatores Scriptores sibi de eo Concilio non constare concludit Bellarminius, in ijs præcipuè, quæ spectant ad Imagines.

Cardinales Baronius, & Bellarminus.

234 In re igitur tam incerta hoc vnum certum est, Concilium illud Scholasticis, aut ignotum fuisse ante tempora Paludani, aut non multi factum; quamuis autem eius meminerint D. Antoninus 2. *p. tit.* 14 *cap.* 1. & postea Paulus Aemilius *lib.* 2. S. bellicus *lib.* 8. *Aeneade octaua*, & Nauclerus *generat.* 27. & Philippus Bergomas, *in supplemento ad annum* 794. Baronius, & Bellarminius *locis citatis*, & Platina *in vita Adriani Papa Primi*, & Ciacconus *in eadem vita* sustinens cum Platina, hæresim Felicianam in eo damnatam; licet Platina velit Felicis hæresim fuisse de Imaginibus, Ciacconus verò de adoptione Christi; Ciaccono subscribit Andreas Victorellus *in additionibus ad Ciacconum in vita Adriani.*

Antoninus. Paulus Aemilius Sabellicus. Nauclerus. Philippus. Bergomas. Bellarm. Baronius Platina. Ciacconus Victor ellus.

235 Quidquid autem de eo sit: Concessa Bellarmini sententia, confirmatum in ea Synodo ab Adriano statutum, quod Christus non sit filius Dei adoptiuus secundum quod homo est: Adhuc aio, non videri mihi de fide, asserere Christum secundum quod homo est non esse filium Dei adoptiuum; quod nouit egregiè Suarez, & Medina, qui propterea nulla censura opinionem Durãdi plectendam iudicant; nisi quod, vel falsa sit illa opinio, vt dicit Suarez, vel non probabilis, vt ait Medina; nec vereor istorum duorum assertis assentire absque excusatione Fabri, quasi verò fortè fortuna in eorum sententiam inciderem; dum non ex capite in re tanti momenti; sed ex strato per Scolasticos non infimis nominis itinere incedendo lapsum non vereor.

235 Miror vtique Fabrum; qui audeat illam propositionem mordicus de fide esse contendere; cum tamen in reportatis *loc. cit.* sin minus illam sequitur, non improbabilem censeat Scotus; immò, ex quo illam Bassolius non spernendæ au-

Carpitur Faber.

Bassolius non infimus Scotista.

auctoritatis Scotistæ, & Durandus vir quidem paruum suâq; in sententijs, Catholicus tamen auctor, nec ab Ecclesia in hac parte damnatus sequitur.

Opinio auctoris.

236 Arbitror igitur, non esse articulum fidei asserere, Christum non esse filium Dei adoptiuum, ita vt non sit hæresis asserere *Christum secundum quod homo est* (ita enim perpetuò hic loquimur) *esse adoptiuum filium Dei*, quamuis falsum sit id asserere. Non esse hæresim: probo; quia vbi non constat de decreto Ecclesiæ, cuius est diffinire de singulis, non est facilè imponenda lex de fide; sed nullibi expressè diffinitur, Christum secundum quod homo est, non esse filium Dei adoptiuum; non ergo statim constituendus est hic articulus fidei; Maiorem declaratione ostẽdo. Nomine decreti Ecclesiæ diffinitiones Pontificũ, vel Conciliorum, vel apertissimæ scripturarum, & Patrum locutiones, vel traditiones Ecclesiæ vetustissimæ, quæ omnia fidei articulum faciunt, intelligendæ sunt; nihil vltra ad legem condendam, cui de fide subscribendum sit, expeti censeo. Minor probatur; quoniam nullus Pontifex id in primis decreuit, vnum excipe Adrianũ, de quo dicemus statim; nullũ Conciliũ, excepto Francfordiense, de quo difficultates hucusq; recensuimus: quod si à Bellarmino asseritur confirmatum in litteris Adriani, præcognita Adriani mente, dignoscetur Concilii finis; apertissimæ scripturæ id minimè innuunt; vt videbimus; quia eæ ad summum constituunt, Christum non esse filium adoptiuum Dei, quod sic simpliciter probatum, non specificando humanam naturam, verum est, & de fide, ex quo Christus dicit personam in duplici natura subsistentem, personam inquam diuinam, quæ non fuit vsquam, nec esse potuit ab hæreditate extranea.

Probatur

Si qui Patres id statuunt, non desunt in oppositum alii: præterquam quod & illi de Christo absolutè loquuti sunt, vt patet apud Isidorum citatum in Decretis *causa* 24. *q.* 3. recensentem inter hæreses Bonosianum dictum, quod Christus sit filius Dei adoptiuus. Neq; etiã Ecclesiæ traditio vetustissima id ingerit; cum plurimi Doctores cum Durando, & Bassolio oppositum senserint.

Isidorus.

237 At Faber, & Vasquez uim valuerilam ad auctoritatem Concilij, & Adriani referunt. Adrianus post Conciliũ multas affert auctoritates, quibus probat Christum esse filium Dei non adoptiuum. Ioannis 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* & 17. *Pater clarifica filium tuum*; Quibus si respondeas loqui de diuinitate filii Dei, insultat Adrianus alias auctoritates ferens ad probandum ex scriptura, dum Christus dicitur filius Dei, intelligendum esse secundum hominem, non secundum diuinitatem; vnde Rom. 8. *proprio filio suo non pepercit, &c.* ex qua colligit Christum filium Dei dici secundum humanitatem, quia non fuit traditus secundum Deitatem.

Fabri, & Vasquezij resp.

Ioan 5.

Ioan. 17.

Rom. 8

237 Huic tamen Adriani discursui dici posset; probari quidem Christum non esse filium Dei adoptiuum; at non diffiniri de fide, si secundum quod homo sumatur Christus; quia fortè Pontifex vt priuatus Doctor contra inuehentes adoptionem Christi se inuehit, & veram probat sententiam scripturarum testimonia ferens, haud quaquam tamen sub anathemate decernit, vt Pontifex ita esse credendum. Vel dicendum quod particula *secundum quod*, vel *in quantum*, quando se tenet ex parte prædicati post ponenda est ad tollendum ambiguitatem, vt sensus specificatiuus elucescat magis: refert autem dicere, *Christus secundum quod homo est, est filius Dei adoptiuus*, ac dicere, *Christus est filius* Dei *adoptiuus secundum humanitatem*, quia prima propositio videtur facere sensum reduplicatiuum, qui falsus, & hæreticus modo in superioribus explicato de significato sensus reduplicatiui; quia sicut fide certum est Christi personam nõ esse adoptatam; ita de fide est, humanitatem non fuisse rationem formalem adoptandi diuinam personam; secunda autem propositio facit sensum specificatiuum declarans, quid in Christo sit adoptiuum, persona ne, an natura humana, vnde dicendo *Christus est filius Dei adoptiuus secundum humanitatem*; asseritur ipsa Christi humanitas adoptata, non persona; an autem humanitati, siue naturæ adoptatio conuenire possit, itane Thomistæ inficias, qui filiationem fundari in supposito fatentur cum

Adria. explic posset.

San-

S. Thoma *loco supra citato*, & secundum Scotistas; qui relationem filiationis in natura assumpta fundant, vt dictum est, concedendum est, naturam adoptari, si sit extranea; cum autem Christi humana natura nusquam fuerit extranea; adoptari non potuit, vt diximus. Ex quo igitur propositio illa, *Christus secundum, vel inquantum homo est filius Dei adoptiuus*, sensum reduplicatiuum fecere videtur ab Adriano, & à Concilio damnatur.

Adhuc Adriani mens aperitur.

339 Tertiò responderi potest ex Suarezio Felicem illum parem à Nestorio distasse, qui duas in Christo personas constituebat; itidem dicere visus est ille Felix asserens Christum esse filium Dei adoptiuum, vt homo est, naturalem vt Deus; Pontifex ergo, & Concilium vnicam decernendo in Christo personam, consecutiuè inferunt non esse adoptatam.

Responsio Fabri.

340 Sed respondet Faber, Concilium assumere pro principio; quod Christus sit vna persona ad probandum non esse adoptiuum; si id ergo diffiniret principium diffiniret, non conclusionem; quod ineptè dicitur. Ad redarguenda Fabri dicta, dicta Concilij feramus. *Dei ergo filius* (en verba Concilij, seu libri sacrosillabi à Fabro relata, & concessa) *qua ratione potest credi adoptiuus, qui inseparabiliter assumpto homine in vna persona coeunte vtraque natura non duo filij, alius Dei, & alius hominis, vt sicut illi errando æstimant, adoptiuus sit hominis filius, & sine adoptione Dei filius, &c.* Hæc ibi; obseruet Faber particulam illam, *vt sicut illi errando æstimant, &c.* æstimabant ergo Felix, & ille Elipandus, duos esse in Christo filios; ex qua æstimatione inferebant, alium esse naturalem, alium adoptiuum; vtrumque confutat Adrianus, & liber Sacrosyllabi; neque diffinit principium, vt ait Faber, sed diffinito, Christum esse vnam personam ex ijs auctoritatibus Ioannis, quibus idem suppositum dicitur filius Dei, qui & homo erat, & qui loquebatur vt homo, non erat alius filius à Verbo; ex hoc principio colligit non esse adoptiuum; quia non duæ personæ, vt illi putabant, sed vna est in Christo persona; quare ex ipsis libelli illius litteris, ac verbis ab ipsomet Fabro relatis, post Vasquezium liquet voluntariè vtrumque loqui putantem, non hanc fuisse illorum Episcoporum Hispaniæ hæresim de duplici persona in Christo, sed de adoptione in Christo, quoniam ex ijs vidimus, eos vtrumque induxisse errorem, primum scilicet, duas esse in Christo personas; secundum, alteram illarum esse naturalem, alteram adoptiuam. Concludendum igitur ex dictis non esse errorem in fide asserere, Christum filium Dei adoptiuum secundum quod homo est, seu secundum humanitatem in sensu specificatiuo; atque ita à censura vindicatur Durandi, & Bassolij opinio. Cæterum opinionem id asserentem falsam esse; & satis periculosam.

Comminiscitur ex verbis Concilij.

Vindicatur à censura opinio Durandi, & Bassolij.

341 Probatur primo falsitas, deinde periculositas, vt hoc termino vtar; Christus secundum Damascenum dicit suppositum æternum Verbi subsistens in diuina, & humana natura; nec quid vltra; sed nec Verbi persona, nec diuina, nec humana illa singularis natura vsquam fuit ab hæreditate extranea; nec nouo velle Dei adoptata ad gloriam; nec vnquam sine gloria; ergo nec secundum personam, nec secundum humanam naturã Christus dici potest filius Dei adoptiuus; nihil enim vltra expetitur ad adoptionem præter extraneitatem in adoptato, velle gratiosum nouum adoptantis, & ipsius hæreditatis ius, vt ex iuristis vidimus. Minor de supposito diuino, ac diuina natura probationem respuit, constito ex fide Dei filium æquè potentem, æquè Deum cum Patre, & Spiritu Sancto, nec aliam esse hæreditatem vnius, quam aliarum personarum; sed nec dependenter vnam ab altera hæreditatem accipere. De humana verò natura supra dictum est, illam non fuisse extraneam, ne dum, quia nusquã Deo fuit non amica; sed quia in primo illo generationis, & vnionis ad corpus, & ad suppositum diuinum instanti habuit gratiam, & gloriam, vniuersaque prædita fuit hæreditate æterna; à qua proinde numquam fuit extranea; sed ius habuit illa natura, ne dum ex illa gratia habituali, sed ex vnione personali; quia enim vniri debebat diuino supposito congruitatem habuit, ac dispositionem ad illam; quod non accidit in Bea-

Probatur opinio negans.

æterna loquutus est, nec aliam visus est in Christo ad Deum nouam filiationis relationem agnoscere; Sed ad Matrem solum in tempore, & eandem rationis dumtaxat, non realem, nulla facta de naturali filiatione humanitatis Christi memoria; posterioris autem classis Auctores eodem modo philosophantes nullam aliam filiationem in Christo homine ex tempore illi aduenientem, ad Deum inuenientes solum probare nisi sunt, ex quo Spiritus Sanctus appropriatè hanc vnionem fecisse dictus est; non esse credendum propterea Spiritum ipsum diuinum dici posse Christi patrem, nisi abusiuè, cæterum de filiatione hac naturali, quem petimus, distinctè neutiquam effati sunt.

Vniuersalis cum Recētibus

246 Litem ergo vniuersam agitant Recentes; quibus, vt cognita sunt Concilij Francfordiensis acta, & Adriani Pontificis decreta, constituentia Christum non esse filium Dei adoptiuum, vt homo est, ita consequenter dicendum videtur, Christum secundum quod homo est verè esse filium Dei naturalem; ita Franciscus Suarez *disp. 49. sect. 1.* Gabriel Vasquez *disp. 169. cap. 14.* Ioannes à Lugo *disp. 31. sect. 3.* Petrus Lorca *disp. 34.* Basilius Legionensis, à Lugo citatus *tomo 1. variarum disp. select. 4.* & alij ab ipso suppresso nomine relati; aperto autem nomine Becanus *cap. 18. q. 5.* Bonacina *disp. 2. q. 16. punct. 3. num. 5. & sequent.*

Suarez Vasquez Lugo Lorca Legionēsis, Becanus, Bonacina.

248 Hi omnes Auctores in conclusione conueniunt constituendo Christum, vt hominem esse verè filium Dei naturalē. Verum in fundamento afferri diffidere penduluum visi sunt. Suarez ideirco id tenet; quia sicuti ille homo, qui dicitur Christus in quantum homo, est Sanctus, ac summè gratus Deo, ita ex ratione eiusdem vnionis ad Verbum habet ius proprium, & intrinsecum ad hæreditatem æternam, vt propterea ex vi vnionis illius fiat Dei filius per naturā. Vasquez hoc fundamento ductus eam propugnauit sententiam. Filius naturalis dicitur nedum is, qui ab alio per generationem naturaliter producitur, sed qui alteri in substantia vnitur, Christus autem secundum quod homo Deo in substantia vnitur, quare rectè filius Dei naturalis appellari potest; sed hoc

Recentiorum dissensus.

fundamentum parum à Suarezio distat. Bonacine ex sufficienti, vt putat, diuisione concludit Christum vt hominem esse filium Dei naturalem; quia scilicet non est filius Dei adoptiuus: sed si petas, cur non sit filius adoptiuus, is pariter ad vnionem recurrens coincidere videtur cum Vasquezio, & Suarezio filiationem naturalem in homine Christo ab ipsa deifice vnione inhærentibus. Non multum ergo penes hoc differunt; sed certè de qualitate huius filiationis discrepant; quia Suarez hanc filiationem analogicè, quod nos æquiuocè diceremus, ait cum vera filiatione conuenire, quæ habetur ex generatione naturali; quem sequentes in r. sent. nos cum vniuersa philosophorum, & scolasticorum sententia diximus esse originem viuentis à viuente in similitudinem naturæ principio vitæ coniuncto. Alij autem Recentes præfatam generationis diffinitionem applicantes huc loco putant verè secundum hanc generationem Christum hominem esse filium Dei naturalem vniuocè.

249 Quomodo autem diffinitio generationis Christo homini erga Deum conueniet; adhuc explicantes diffident; quidam arbitrantibus illam plenè, ac verè intercedere in hoc casu, in quo Christus homo procedit à Deo, vt viuens à viuente, in similitudinem naturæ; quia homo, vt homo habet naturam Deo similem, sin minus in specie specialissime, saltem alio modo sufficienti, quia factus est ad similitudinē Dei, & à principio coniuncto, quod est Verbi substantia. Quæ omnia veram rationem generationis naturalis complent, super quam filiatio naturalis fundatur. Quibusdem alio modo diffinitionem prædictam interpretantibus, dicendo, esse in eo casu, *originationem viuentis a viuente*; dum homo viuens à Deo viuente procedit; *esse similitudinem naturæ*, non ratione humanitatis, sed Deitatis: à qua etiam habetur, quod fit *à principio vitæ coniuncto*. Alijs demùm vocantibus Christum hominem præcisè filium naturalem ex vi generationis æternæ, qua à Patre processit, quæ generatio æterna vnita humanitati reddit filium naturalem.

Varietas opinionū.

250 Ex hac tanta diuersitate explica-

An Christus sit filius totius Trinitatis. tionum orta est varietas in asserendo, vel negando Christum, vt hominem esse filium Patris solum; vel solius Spiritus sancti, vel totius Trinitatis; hinc Suarez, & Vasquez totius Trinitatis, Christum hominem filium naturalem dicendum esse constituunt; Basilius Legionensis solius Patris, vel sui ipsius Verbi; Lugo non sui ipsius, sed Patris tantummodo naturalem filium Christum hominem esse contendit. Sed hæc sunt consequentia; inspiciamus primo veritatem positionis.

251 In hanc dicendi formam veniend Ansa fuit Recentibus Adrianus *Epistola citata*, & libri sacrosyllabus in Francfordiensi Synodo approbatus, quibus nō tam filiatio adoptiua euehitur à Christo homine; quam naturalis inuehitur; ibi namque Adrianus ex sexcentis sacræ paginæ testimonijs conuincit Christum verum esse Dei filium, quæ nos supra retulimus, quæ, ne ad suppositum diuinum, vel ad Deitatis naturā detorquere quispiam possit, affert Pontifex præclarum Pauli Apostoli Rom. 8. testimonium. *Rom. 8.* *Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis tradidit illum*; quod eludi de Deitate, & supposito Verbi non posse, hisce verbis ostendit Adrianus. *Adriani verba.* *Scimus enim, quod non est traditus secundum Deitatem, sed secundum id, quod verus homo erat; illum nimirum filium vocat Apostolus proprium Dei filium, qui traditus est.* Hæc ibi, & hæc auctoritas tanti facta est à Recentibus; vt etiam nolentes in contradictionē reuocauerit.

252 P. Lugo *disp. 31 sect. 1. num. 4.* vt certum supponit in eo Concilio damnatam hanc propositionem, *Contradictio Lugo.* *Christus homo non est filius naturalis Dei*, qui deinde *sect. 3. eiusdem disp. dicto 2. & 3*, negat diffinitum ab illo Concilio, *Christum secundum quod homo est esse filium Dei naturalem*; sed aliquo modo hanc propositionem esse concedendam; is ergo, qui dixerat, negat, quid diffinitam constituerat propositionem, non vt diffinitam, sed vtramque concedendam concludit.

Contradictio Fabri. 253 Noster Faber *disp. 23. cap. 2. num. 15.* verè, ac propriè secundum humanitatem ex illo Concilio colligit, Christum dicendum esse filium Dei; postea *num. 19.* simpliciter asserit, hanc propositionem, *Christus secundum quod homo est filius Dei*, esse falsam; neque planè vindicari à contradictione possunt ex distinctione sensus specificatiui, & reduplicatiui, quasi verò id concesserint in vno, quod in alio sensu negarant; nam & Faber apposite de sensu specificatiuo id negat, quod concesserat, & Lugo de sensu reduplicatiuo, id quod diffinitum supponit, non diffinitum colligit.

254 Nobis tamen, qui de eo Concilio nostrum in superioribus sensum aperuimus, non multum illa facessit negotij, vt ex dicendis patebit. *Auctoris mens.* Recolimus interim distinctionem toties acceptam de sensu reduplicatiuo, & specificatiuo, quæ perperam à Recentibus vel confunduntur, vel diuersa significatione explicantur, hæc ergo propositio in sensu reduplicatiuo, *Christus secundum quod homo est, est filius Dei naturalis*, facit hunc sensum, *Ratio ob quam Christus est filius Dei naturalis, est humanitas, seu, quia homo est*, & hic sensus falsus est; vt sine probatione patet; quia antè quā Christus nostrā mortalitatē indueret, filius Dei naturalis erat; erat enim illud idem Verbi suppositum, quod ab æterno è patris fœcundo intellectu manauit; neque illi humanitas filiationem aliquam naturalem ad Deū acquirendi ratio esse potuit; in sensu autem specificatiuo addenda est clausula humanitatis ex parte prædicati; facitque hunc sensum *Christus est filius Dei naturalis secundum humanitatem*, & in hoc sensu adhuc propositio mihi falsa videtur secundum suum rigorem. Ratio potissima est, quia Christus non duo, sed vnus est filius; licet duas habens filiationes dicatur & Patris æterni, & Matris in tempore filius; ille igitur idem filius, qui est naturalis Dei per generationem æternam, est naturalis Virginis per generationem temporalem, & in tempore à nullo alio originem trahit naturalem, quam à Matre, quæ ideo Mater dicitur; quia omnia ad temporaneum filij ortum accommodauit, quæ cæteræ Matres; & quia suppositum sustinens naturam illam à Matre acceptam per generationem erat diuinum, terminata ad illum generatione, modo suo loco exposito, Dei naturalis mater dicenda fuit; Ad Deum ergo nullam

nouam filiationis relationem habuit Christus, qua homo, seu secundum humanitatem: etenim quamuis vniuersum Incarnationis mysterium à singulis effectiuè diuinis personis dependeat, appropriatè autem Spiritui Sancto accommodetur opus, vt potè gratuitum, supposito gratiarum elargitori appropriatum; quamuis etiam terminatiuè ad Verbum mysterium hoc ipsum referatur; haud quaquam tamen humanitas illa à Verbo accepta à singulis, aut ab omnibus per generationem naturalem diuinis personis accepta est, vtpotè è solo Virginis fabrefacta sanguine, vel semine, actione superuenientis Spiritus, qui Pater nullo modo illius dici potest deficientibus singulis conditionibus ad originationem inuehendam expetitis: Vbi enim in hoc opere in ordine ad Deum est similitudo naturæ acceptæ ad dantem? hæc enim similitudo requiritur, vt sciunt philosophi, non quæuis, vt volunt auctores supra memorati. Vbi est principium vitæ coniunctum?

Occursus Recentiorum leuis.

255 At, inquiunt, est homo factus ad Dei similitudinem: leuis instantia, quã si quid pendas, dicendum tibi erit, nos quoque filios Dei naturales esse, qui in similitudinẽ Dei facti sumus: hæc planè similitudo non est in natura vniuoca, sed est in vestigio, vel imagine per creationem, non per generationem à Deo habita. Rursum, inquiunt, est ibi principium coniunctum, quia Verbi personalitas, quam ipsi substantiam vocant: at quomodo personalitas substantia dicatur, alibi dictum est: certè in diuinis personalitas formaliter relationem dicit; sed & hæc personalitas principium vitæ coniunctum esse non potest, prout principium hoc in diffinitione generationis vsurpatur, nimirum pro substantia geniti ex generante accepta: quarè quicumque hoc modo Christum, secundum quod homo est, filium Dei naturalem vocant, non benè philosophantur; siquidem accepta humanitas, quæ viuens est, non ab alio viuente per generationem accipitur, quam à matre; nec alius similitudinem naturæ refert, quam matris gignentis, seu humanitatis; neque ex alio principio vitæ coniuncto, quam è Virginis sanguine: est ergo illa naturalis filia matris, non Dei; & quia filiatio, quæ super naturam acceptam fundatur denominat suppositum, hinc Christus ipse qui est in hac humanitate suppositum, naturalis Virginis filius nuncupatur; qui, cum nõ sint duo filij, sed vnus, ille vnus erit Dei Patris naturalis filius per generationem æternam vt Deus, qui est naturalis filius per generationem temporaneam matris, vt homo: & hoc fortasse indicare voluit cum Francfordiense Concilio Adrianus enixè contendens, secundum quod homo est, Christum esse filium verum Dei, ac proprium; hoc est, nõ esse alium filium Christum vt Deum, & vt hominem; quia vnus filius; quamuis vt homo sit filius naturalis matris, vt Deus Dei; vocatque Christum, vt homo est, filium Dei modo exposito.

Quid dixerit Adrianus dubium.

256 Nisi mauis excessiue locutum Adrianum ibi, vt diximus, docendo potius, quam diffiniendo; vnde & quid dicit; quod explicatione indiget, ne communi sensui Ecclesiæ videatur refragari. Ait enim, vt ostendat verba illa in Iordane è Cælo audita. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, ad Christum hominem referenda *si secundũ diuinitatem dixisset, nequaquam diceret, in quo mihi bene complacui; sed dum dicit complacui: totam simul Trinitatem comprehendit; quia in homine Christo tota complacuit Trinitas.* Hæc ibi, sed si hisce, verba illa ad totam Trinitatem deferat Adrianus, nõ bene interpretaremur Patres vnanimi ore illa ad solum æternum Patrem reuocantes, quibus subscribit Ecclesia in officio Epiphaniæ, *In columba specie Spiritus Sanctus visus est, paterna Vox audita est &c.* Vt ergo in hac interpretatione, ita & in reliquis probationibus excessiuè dici potest loqui Adrianus; nisi alio sensu Adriani sententiam interpreteris violento.

Ecclesia in officio.

257 Ex his coercenda arbitror placita Recentiorum concedere nõ verentium, filium Dei, & Christum, secundum quod homo est; esse naturalem filium totius Trinitatis, vel Spiritus Sancti, vel sui etiam ipsius; qui enim ita putant filiationis naturalis naturam spernunt; & diffinitionem originis naturalis vel ignorant, vel parui pendunt, totaque deceptionis ratio ex efficiẽtia hujus mysterij dimanat; quod

cum

cum à tribus perſonis fiat, viſum eſt Recentibus à tribus filiationem Dei naturalem habere Chriſtum, vt hominem: quaſi vero idem eſſe apud philoſophos efficere, & gignere; fit ergo vnio hæc à tribus, nec tamen trium eſt filius naturalis Verbum.

Vaſquij philoſophia noua.

257 Quod etiam ſubdit Vaſquez, filium naturalem nedum dici eum, qui per originem naturalem producitur, ſed qui alteri vnitur in ſubſtantia; voluntarium eſt, & nouam redolens Philoſophiam; cui planè hæc filiatio ignota eſt; quod ſi dicat, non habere hanc filiationem exemplum in creatis; propterea eſſe Philoſophiæ ignotam. Non diſſentio, ſi ex capite filiationem metitur; etenim, quamuis hoc myſterium humano nequeat adamuſſim explicari exemplo; non obinde tamen filiationis relationē alio, quam philoſophico modo accepere Scolaſtici, qui ex phyſicis principia venati diuina pro captu exponunt; quare ſi hoc ſenſu filiationem vocet, ex cerebro vocabit, & voluntariè verba ad non germanum ſignificatum detorquens, voluntariè eludetur.

Arguitur Vaſquez

258 Præterea; peto in quo fundatur hæc noua filiationis relatio, in Verbo ne, an in humana, an in diuina natura, an in vnione ipſa? nihil certè præter hæc in Verbo agnoſcimus; at non in Verbo, in quo duas dumtaxat ex ipſis etiā Aduerſarijs reperimus filiationes, alteram ad Patrem, ad Matrem alteram; immò harum alteram ipſorum aliqui verentur concedere realem; nec in diuina natura, quia hæc nullius eſt filia, ſolummodo per generationem æternam communicata filio à Patre; nec in humana, quia hæc refertur ad Matrem, à qua per generationem naturalem accepta eſt, ergo in vnione. Sed contra arguit Faber.

Fabri error.

Vnio eſt relatio, ad relationem non eſt relatio; ergo in vnione non fundatur hæc filiatio. Sed bifariam labitur Faber, primo tranſiens à fundamento relationis ad terminum, dum enim ait, ad relationem non eſſe relationem, loquitur de termino, dum inde colligit in vnione non eſſe fundatā hanc filiationē; loquitur de fundamento. Secundo ad relationem non eſſe relationem; falſum eſt, niſi loquamur de relatione interna aduenientе: relationem etiam poſſe alterius relationis fundamentum eſſe, docet Scotus *in 4, d. 10. q. 2. litera R, in ſolutione p. principalis*, & *in eodem 4.* loquendo de charactere, *q. 2, & in 1. d. 9. q. 1. & alibi*.

259 In vnione ergo relationem hanc filiationis non fundari probatur; quia relatio filiationis denominat fundamentum, in quo eſt, vt patet de natura accepta per generationem, quæ denominatur genita, & filia; licet denominatione completa ſuppoſitum denominetur melius: at vnio nullo modo denominari poteſt filia, nec remotè, nec cōpletè, vt patet, nullo ergo modo filiationem fundat.

Satis Suario fit.

260 Ad fundamentum Suarezij occurrendum ex ſupradictis, vtique illum hominem, qui dicitur Chriſtus, eſſe ſummè gratum, & charum Deo; non tamen neceſſario ex vi vnionis habere eſſe gratum, ſed ex gratia habituali, quæ non fuit medium vnionis neceſſarium, ſed congruitatis ſolum; ſimiliter ex vi vnionis habendæ congruitatem ſolum, ac quandam latiori vocabulo diſpoſitionem ſumptam habuiſſe dicimus humanitatem Chriſti ad illam gratiam, & gloriam; ne fuerit vnquam ab hæreditate extranea: nec tamen obinde colligi poteſt: ergo ex vi vnionis illa fuit filia Dei naturalis; quia ſola non extraneitas ab hæreditate non facit filiationem naturalem; alioquin ex oppoſito ſola extraneitas faceret filium adoptiuum; quod falſum eſſe patet in filijs illegitimis, qui naturales vtique ſunt, & tamen ius non habent ad hæreditatem, ſed ſunt extranei. Ad filiationem ergo naturalem vltra eam extraneitatem aliquid præterea expetitur, & præcipuè, quod filius à viuente ſit viuens in ſimilitudinem naturæ principio vitæ coniuncto.

Filius legitimus, ac naturalis an oppoſitus adoptiuo.

261 Atqui ex hoc etiam monito parui pendendum eſt commune dilemma, quo infertur, Chriſtum eſſe vt hominē filium naturalem, quia non adoptiuum; conſequentia enim nulla eſt, loquendo de Chriſto ſecundum humanitatem ſpecificatiuè; non enim illi duo termini ſunt immediati, *naturale*, & *adoptiuum*, ſicuti non ſola extraneitatis carentia facit filium naturalem: ſed iſti ſunt immediatè oppoſiti, naturalis filius,

non

non naturalis, adoptiuus non adoptiuus.

Christus vt homo specificatiuè pro humanitate nec naturalis nec adoptiuus filius.

261 Et si de his petas, est ne Christus, secundum quod homo, specificatiuè filius naturalis, an verò non est filius naturalis Dei. Respondeo, quod non est filius Dei naturalis in hoc sensu specificatiuo, quia humanitas à Virgine genita est, non à Deo: si petas est ne vt homo specificatiuè filius Dei adoptiuus? Respondeo, quod si illa humanitas nõ est filia Dei per generationem habita, nec est filius naturalis, nec adoptiuus ille homo, quia non refertur ad Deũ per relationem filiationis temporaneæ, sed ad Matrem, cuius est filius naturalis; sed dici potest filius Dei præscindendo ab vtroque, scilicet, à naturali, & adoptiuo, quatenus humanitas illa Dei ope cõpaginata est, & ex Deo immediatè creante animã Christi esse habuit; & in primo instanti sui esse habuit gratiam, & gloriam.

Opinio Durandi quomodo vera.

262 Secundum hunc modum dicendi, Durandus *in 3. d. 4.* supra citatus asseruisse visus est Christum esse filium Dei per creationem, vt homo est, & per adoptionem quomodo homo, licet illi cautius loquendum fuisset, quia neque Christum vt hominem creatum, neque adoptatum concedimus, sed humanitatem iure dicimus creatam, quia effectam, latè creationem sumendo, ad concreta autem ab abstractis arguere non licet, *humanitas Christi est creata*, ergo *Christus homo est creatus*, vt loco suo diximus, adoptionem autem etiam ab abstracto negamus; dum nullam extraneitatem in eo nanciscimur.

263 Denum hæc propositio *Christus in quantum homo est filius Dei naturalis*, non sumendo sensum reduplicatiuum, quatenus rationem reddere videtur inhæsionis prædicati cum subiecto; sed absolutè, quatenus facere videtur sensum expositorium non ex parte prædicati, quia tunc esset sensus specificatiuus, sed ex parte subiecti, vt sensum faciat, *Christus quatenus in humanitate subsistit, est filius Dei naturalis* concedenda est, quia Christus dicit suppositum Verbi, & ille terminus; *quatenus*, in hoc nostro sensu expositorio æquipollet termino, *qui*, & sic propositio est verissima, quia Christus, qui est suppositũ Verbi in humanitate subsistens est filius Dei naturalis. & ex his habes solutionem vtriusque dubij in hoc capite propositi, & elicies Recentiorum dicta non admodum siue uehere in speculationes.

Sensus expositiuus quis

AN CHRISTVS SIT MINOR Patre, subiectus Patri seruus Patris.

CAPVT VII.

264 EX-ctam de filiationibus Christi, eiusque adoptione disquisitionem petitiones aliæ insequuntur, quas Sanctus Thomas *q. 20. 3. p. primo, & subsequentibus* prosequitur *articulis*: eæ autem sunt, an Christus, quem filium Dei adoptiuum negauimus: concedi queat esse Patre minor; an Patri subiectus; an Patris seruus. De quibus nullibi vrique ex instituto Scotus noster; quamuis ex eius doctrina non sit difficile mentem eius assequi; sed & nos etiam de ijs, quantum pro facultate licebit, quam breuissimè. Et quidem de veritate prioris loquutionis (scilicet) *Christus est minor patre*, superesse non potest dubitandi locus; vtpotè quã ipsemet Saluator *Ioan. 14.* nos docuit (aiens) *Pater maior me est*.

S. Thom.

Postulatur an Christus sit minor Patre.

265 An verò absolute concedi queat vt vera; an cum addito (scilicet) *Secundum quod homo*, dissident Interpretes; affirmante Vasquezio, *disp. 80.* illam absolute, & absque vllo addito concedendã; quemadmodum absque vllo illam addito protulit Christus *loco citato*; renitentibus è contra Suarezio *disp. 42.* & Lugo *disp. 28. sect. 1.* locutionem illam absolute, & simpliciter non esse admittendam; nisi ex aliis verbis constet sensus formalis, & reduplicatiuus. Ratio Vasquij est quoniam Christus simpliciter, & absolute illam proferens omnem à nobis in prolatione illius absolutè timorem excutere, visus est. Ratio

Quid sentiat Vasquez.

Quid Suarez, & Lugo.

Xx Suarij

Suarez. Lugo. Suarij, & Lugo est; quia ille terminus *minor*, qui opponitur *maiori* ex suo opposito mensuram trahit, *maior* autem videtur dicere excessum æqualitatis, ergo *minor* videbitur dicere defectum æqualitatis; quare sicut absolute affirmari non potest, quod Christus non sit æqualis Patri, ita nec absolute quod sit minor Patre.

Scotus minoritatis huius meminit. 247 Meminit huius minoritatis Scotus in 3. *d.* 16. *in productione argumentorum pro* 2. *quæstione*, vbi proponens probandum, fuisse in potestate Christi ponere, vel non ponere animam suam, assumpsit pro principio Christum accepisse mandatum à Patre, de ponendo animam suã, & mandatum illud accepisse quatenus homo, & minor erat Patre; non quatenus Deus; quia in diuinitate æqualis erat Patri; in solutione autem illius argumenti hoc ipsum principium non euellit, videturque proinde illud concessisse vt verum. In quo duo habes ex Scoto, primum: Christum fuisse Patri subiectum; secundum, fuisse Patri minorem; vtrumque verò secundum humanitatẽ dumtaxat. Ex quo etiam ad veritatem duarum illarum propositionum, *Christus est minor Patre, Christus est subditus Patri*, descendere poteris, & in Scoti doctrina asserere, æquale iudicium de vtraque faciendum; ita vt si altera vera est sine addito, & altera pariter; vnde decipitur Lugo absolute concedens, &

Arguitur discriminatio Recentium. absque addito hanc locutionem *Christus est subditus Patri* hanc verò negans sine addito, *Christus est minor Patre*; quoniam eo modo est Christus Patri subditus, seu subiectus, quomodo est minor: est autem secundum humanitatem minor; ergo & secundum humanitatem subiectus: & ipsi duo termini pari regulantur metro *minor, subiectus*, vterque enim inæqualitatem dicit; licet altero alter maiorem, vel minorem, nam minoritas absolute prolata vel ad substantiam, vel ad quantitatem refertur, subiectio ad inferioritatem sessionis; vnde illa dicit inæqualitatem substantiæ, vel quantitatis, ista inæqualitatem loci, sed etiam ista inæqualitas ex illa mensuratur. Nec valet discriminatio Lugo dicentis, posse, qui simul in superiori, ac inferiori loco sedet, dici subiectum, & superiorem absolute; non sic qui dicitur minor; quoniam negatio æqualitatis non potest tribui simpliciter habenti æqualitatem; non valet (inquam) quia sicuti implicat secundum idem esse in loco superiori, & inferiori simul, ac semel, ita esse minorem simul, & semel, & secundum idem; quare sicuti Christus dicitur sedere in loco inferiori, & æquali penes naturarum diuersitatem; ita, & dicitur minor; sique proinde ad minoritatem in Christo assumendam, additum illud necessarium est *secundum quod homo*, pariter necessum erit illud adiungere, vel saltem ex præacceptis supponere ad veritatem illius effati, *Christus est subiectus Patri*; vt non sit dispar de vtroque termino ratio.

248 Arbitror igitur absolute, ac simpliciter vtramque propositionem concedendam non esse, sed vel cum illa specificatione *secundum quod homo*, quam ex prauo sensus specificatiui intellectu reduplicationem appellat Ioannes à Lugo; de quo nos alibi effati fuimus, vel saltem si absolute proferantur specificatiue concedendam; quatenus, scilicet, ex antecedentibus, vel comitibus verbis, vel etiam affectis spec ficatur significatio illarum propositionum, quæ de Christo, vt homo est; tantum verificatur; & hoc modo intelligenda esse reor Cõcilij Alexandrini verba; & Sanctorum quorũdam Græcæ Ecclesiæ Patrum verba; quæ referunt Recentes præcitati Auctores; vt scilicet, sicuti ex Athanasio in *Symbolo* minoritas Christi specificatiuè dumtaxat conceditur dicendo, *Minor Patre secundum humanitatem*, ita apud eos Patres, & Concilia subiectionis in Christo vocabulum patiamur specificatiuè, quæ specificatio implicitè saltem in ipsis intelligitur; quomodo autem hæc subiectio obligationem in Christo, & cum obligatione libertatem inducendo fiatuare potuerit, alibi fortè dicemus: ex his soluitur ratio Vasquezij; quoniam Christus ipsemet Saluator ex antecedentibus verbis expressit se secundum humanitatem fuisse locutum; dum se Patre minorem ait; sunt enim antecedentia verba, *quia ego vado ad patrem*; certum est autem Christum vt hominem iuisse ad Patrem, ad quem vt Deus non iuit, qui nunquam ab eo discessit.

Christus nec subditus, nec minor Patre conceditur nisi cum addito secundũ quod homo.

Explicatur Patres.

Soluitur ratio Vasquez.

249 Inte-

249 Interim ad veritatem alterius propositionis deueniendum, ac petendum, an simpliciter, & absolute concedi queat; Christus est seruus Patris, & Dei. Habet hæc postulatio controuersiam maiorem; vt prò vtraque parte non infimi nominis habet Theologos; immò & Patres: & in primis Athanasius *sermone 3. contrà Arianos*, non solum Christū ait dici posse Filium hominis, & seruum; sed & rationem reddidit; quia omnes similes appellationes benè, & propriè Christo conueniunt secūdum humanitatem. Idem habet Chrisostomus *serm. 7 in cap. 2 epist. ad Philip.* Idem Cyrillus, & alij Patres passim.

Petitur, an Christus sit seruus Dei

Opinio sanct. Patrum.

Contra verò Concilum Francfordiense, & Adrianus Pontifex *in Epist. ad Episcopos Hispaniæ* nedum Christum negat esse vel fuisse propriè seruum, sed et acerrimè in Felicem, & Elipandum Episcopos inuehitur; quippequi ausi fuerunt Christum appellare seruum. Sunt autem Adriani verba hæc. *Cur non veremini queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum seruū nuncupare, qui vos de seruitute Diaboli liberauit?* & post pauca. *Tales gratiarum actiones infelices illi redditis, vt qui vos honorificè liberos pretio sanguinis fecit; cum vos inuidiosè adoptiuum, & seruum caninis non confundamini linguis latrare?* Hæc Adrianus; quibus, vt vides, acrius satis, quam tantum virum videbatur decere, Episcopos illos obtrectatores, & canes appellat; puta ob eorum in simili assertione fatuitatem, ac insolentiam; vnde colligere poteris, quam malè illa apud Pontificem assceueratio sentiret, dū toto se Romano contra assertores tulit.

Concil. Fräcford.

Adriani Papæ verba.

50 Vt breuiter quid sentias ex Scoto habeas, aduerte ex eiusdem doctrina in *4. dist. 36. quæst. vnica* seruitutis vocabulum latè fundi; sumitur enim quandoque pro omni subiectione etiam filialis quo modo filius, qui secundum Aristotelem 8. *lib. Ethicorum cap.* 11. habet à Patre esse, & disciplinam, obedientiali subiectione dicitur latè Patris seruus, seu Patri seruire; alio modo sumitur seruitus pro ea, qua inferior, non tamen filius, disponitur à superiore non dispositione tali, qua inanimatum disponitur; sed qua minus mente pollens ab eo disponitur, qui magis mente viget; hoc modo dixit idem Aristoteles *1. polit. cap. 2.* pollentem viribus debere seruire, pollentem mente debere præsidere. Tertio modo sumitur seruitus prò subiectione naturali ad Deum, adquē vt serui singula creata referuntur, à quo esse accepere. Quarto denique seruitus sumitur præsse pro seruitute extrema; secundū quā Dominus vendere potest seruum sicuti pecudem; de qua loquitur idem Aristoteles *lib 1 pol. cap. 2.* quam Scotus *loco citato in solutione argumentorum littera H*, seruitutem maledictam appellat, quo modo nos seruos mancipia nuncupamus; quæ an licita sit nec nè, ex eo quod omnes lege naturali nascuntur liberi, edocet fusè *ibi Scotus littera B*, vel enim ex spontanea subiectione ortum trahit, quomodo nos dum peccamus sponte Diaboli efficimur serui; vel ex iudicio præsidis, quomodo gubernatores ad seruitutem nocentes damnare solent; vel ex bello oritur, in quo capti efficiuntur serui.

Seruitutes quot modis acceptæ à Scoto?

Aristot.

Scotus

271 Seruitus primo, ac tertio modo sumpta appellatur naturalis, & naturalis maiori sensu vocatur seruitus tertio modo, quo ad Deum naturaliter referimur, à quo pendemus, & cuius dispositioni subiicimur, ex cuius paritate, seu similitudine seruitus primo modo naturalis dicitur; vnde tertio modo dici potest seruitus naturalis vera, primo modo similitudinariè tantum. Seruitus secundo modo vocari potest seruitus politica, & hoc eam nomine decorat Scotus *loco citato littera B.* quæ in rerum publicarum administratione, ac etiam in familijs locum habet. Quarto modo sumpta seruitus appellari potest legalis, non quidem naturalis, quia sub eam liberi nascimur, sed vel communi, vel propria lege producta, quæ licet interdum iniusta sit; eam tamen seruari oportet si contracta est (dempta ea, qua dæmoni subijcimur, quæ verè fatua seruitus dicenda est) quoniam multæ obligationes possunt esse iniustæ, dum contrahuntur, quas tamen contractas seruare oportet, & hoc si iniustæ fiunt ex parte illorum, quibus fiunt, vt dicit idem Scotus *loco citato*, appositè tamen de seruitute loquendo; nam in obligationibus illegitimis, & iniustis suaptè natura secus

Distinctio nominis seruitutis

Seruitus maledicta, & fatua quænam?

 dicen-

dicendum, vt patet in obligatione matrimoniali clandestina, quæ neutiquam seruari debet.

Dictum primum negans à Christo seruitutē quarto modo sūptam.

272 Hac doctrina supposita ad singulas partitiones descendendum, ac dicendū primò; Christum secundum quod homo est specificatiuo sensu, non reduplicatiuo, seruū Dei quarto modo non esse. Hæc assertio patet, quia talis seruitus oritur ex peccato, quod nullum in Christo agnoscimus, sed ne potestatem quidem peccandi in eo admittimus; quod vero ex peccato oriatur patet etiam, nam si ex spontanea venditione oriatur, hæc vtiq; iniusta est, cū sit contra legē naturæ abdicare à se libertatē suam; si ex punitione oriatur, multo magis ex peccato nascitur, pœna enim culpam sequitur; si ex bello, nec istud semper est iustum, sique iustum est, quandoque seruitus ex eo contracta non iusta sit, difficultatem patitur; sed & bella ex peccato oriuntur, quare seruitus hoc quarto modo, quo legalis, & penalis dicitur, non refertur ad Deum, sed ad homines, ortumque ex culpa trahit, proinde in Christi humanitate ad Deum nulla.

Aristoteles.

Adde, seruos hac appellatione ius in hæreditatem non habere Domini sui ex Aristotele *loco citato lib. pol. cap. 3.* Christus autem & ius in hæreditatem, & in sedem habuit, iuxta illud Pauli *ad Galat. 4. quod si filius, & hæres per Deum*, & *Hebr. 1. sedet ad dexteram maiestatis in excelsis*, quare hac appellatione seruus dici non potest.

Galat. 4. Hebr. 1.

Dictum secundum negans seruitutē secundo modo.

273 Dicendum secundo, Christum nec seruum Dei secundum humanitatem dici posse seruitutem secundo modo accipiendo. Hæc etiam assertio patentissima est, quoniam seruitus ista in regimine familiarum, ac rerum publicarum dumtaxat constituitur, quæ exinde politica seruitus nuncupatur, dum qui præsidet, non potest singula per se ipsum exequi, exequitur per alios minoribus viribus vigentes: quæ significatio, vt vides, in Christi humanitate ad Deum relata nullum habet locum, nec exinde vllo potest modo de Christi ad Deum humanitate effari: quare supersunt tertia, & prima tantum appellatio seruitutis, quam non vtique à Christi humanitate ablegandam eo docemur, quo nobis constat Christi humanitatē à Deo pependisse, & etiam ex Virgine, è cuius visceribus, ac sanguine conflata erat; vnde secundum hanc appellationem dicebatur etiam Christus puer subditus Matri iuxta illud Lucæ 2. & *venit Nazareth, & erat subditus illis*, verum hæc appellatio subiectionem melius, quam seruitutem dicit: porro subiectionem in Christo, quatenus homo erat, ad Deum supra concessimus, immo illam patentissimè inculcat Apostolus 1. ad Corinthios *cap. 15. cum autem illi subiecta fuerint omnia & tunc ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, &c.* vbi ne putes subiectionem humanitatis Christi ad Deum ita in extremo conflagrationis die inceptutam; quasi verò antea non sit, nec fuerit ei ille humanitas subiecta; sed quia tunc quoque erit subiecta, quando minus videbitur; vnde scriptura dubitationem pro eo tempore, quo potest de re subrepere dubium, tollit dumtaxat, quo modo loquendi *Matth. 1.* dicitur Ioseph non agnouisse Mariam donec peperit, non quasi verò cognouerit postea, sed quia si non cognouit, quando dubium subrepere poterat de cognitione, ex quo erat in vtero habens, multominus eam cognouit, dubitatione cessante, ex quo nunquam amplius in vtero habuit. Vide concionem nostram prima Dominica Aduentus.

Lucæ 2.

1. Corint. 15.

Particula donec explicita.

Aliorum probatio.

274 Resolutè igitur serui nomen à Christo ablegandum. Assertionem hanc probare plerique nituntur ex illo Pauli *ad Philipp. 2. formam serui accipiens. &c.* vbi non seruus dicitur Christus, sed in forma serui, sicuti non carnem dicitur sumpsisse peccati, sed in similitudinē peccati. Probatio tamen leuis est, quia eodem modo ibi dicere quis posset formæ nomen sumptum, quod in paulo ante superioribus relatis verbis id sumpserat Paulus aiendo *qui cum in forma Dei esset*, & post pauca *formam serui accipiens*; certum est autem Dei formam, verè in Christo fuisse, qui Verbum est Patris eandem habens cum Patre essentiam, & Deitatem, quæ est verè Dei forma; ergo pari modo serui formam accipiendo, auctoritas adducta improbat magis, quam probet propositum; ideo interpretatione magis indiget,

Retorquetur.

quam

quam vim argumenti ferat, exindè si hæc auctoritas pro opinione concedente Christum seruum Dei feratur, interpretanda est dicendo, fuisse vtique à Christo serui formam assumptam, quia fuit humanitas assumpta, quæ est quidditas, & forma hominis, qui est Dei seruus; non dici tamen Christum Dei seruum ex illa forma; quia pleraquè prædicata monitore Damasceno *lib. 3. de fide cap. 21.* suppositum potius indicant, quam naturam, quale est prædicatum seruitutis: suppositum autem Christi, quod est Verbum, non potest denominari tale, nempè seruum. Vndè ex hac doctrina, & ex ea, quam alibi de Scoti mente tradidimus arguere sic licebit.

Damascenus.

Probatio auctoris.

275 Quandocumque aliquod prædicatum non est aptum natum conuenire supposito per solam naturam, sed suoptè ingenio aptum natum est denominare suppositum æquè, ac naturam; illud, quamuis dè natura dicatur per communicationem idiomatum pronunciari de supposito non potest, cui alioquin si non haberet illam naturam non posset conuenire; sed nomen serui non potest conuenire supposito alicui diuino absolutè, sed est proprium creatorum entium, estque prædicatum competens naturæ æquè, ac supposito, ergo de supposito diuino pronunciari non potest. Maior probatur, quia ob id Christum negauimus esse creaturam; quoniam etsi humanitas creata fuit, & effecta; quia nihilominus creatio tam de suppositis, quam de natura prædicatur, & nō de ijs per naturam, ne videatur concedi Christi suppositum fuisse creatum, quod est hæresis, nec potest concedi Christum esse creaturam etiam secundum quod homo, quamuis eius humanitas creata fuerit, siue effecta.

Pariformiter philosophandum de hoc prædicato *seruus*, quod propterea à Christo simpliciter, & cum addito ablegandum omnino. Nec refert Christum nuncupari subiectum Patri, ac Deo, videtique proinde, seruitutem primo, ac tertio modo sumendo dici posse seruum; non refert inquam, quia verba, & nomina, quæ plura habent significata absolutè prolata semper accipiuntur in significatione formali; formalitas autem significationis huius nominis *serui*, non est ea, quam primo, vel tertio modo expressimus, sed vel secūdo, vel quarto.

Cur Christus dicatur subiectus non seruus.

276 Hanc eandem assertionem aliqui tentur de fide constitutam; ex quo Francfordiense Concilium, & Adrianus Pontifex illam decreuisse dicuntur: sed ego non tanti hanc veritatem facio, vt articulum fidei esse rear; vnde qui oppositum sentiunt decipi quidem fateor, non tamen errare in fide; tum quia quanti Concilij illius acta facienda sint in superioribus expressi; tum etiam, quia vel Adrianus vt Doctor loqui dici posset; vel si locutus est vt Pontifex, dè cuius veritate vereri nefas est, dicendus est illam à Christo seruitutem solam ablegasse, quæ ex peccato ortum trahit, quæ non compatitur in seruo æqualitatem formæ, honoris, & sedis cum Domino, de qua supra loquuti fuimus.

Opposita sententia non est damnata simpliciter, & absolute.

Porrò hanc fuisse mentem Adriani latè probant Recētes cum Suarezio *disp. 44. sect. 1. & 2.* Contra quem arguunt Lorca, & Lugo, non quidem oppositū sentientes, sed inualiditatem glosæ Suarij repræhendentes, est tamen tota lis de vocibus, proinde vberior de ea disputatio vana est. Patrum auctoritates, quæ seruitutem in Christo patiuntur, interpretamur vt veras, seruitutē nō tā pressè sumendo, sed pro subiectione, vel ad summum pro seruitute in actu secundo, seu in exercitio; quatenus scilicet Christus in actibus seruitia quædā, & obsequia præstabat, quasi videretur esse seruus: nonne enim Christus tributa soluebat? nec tamen tenebatur, quia non erat Cæsaris seruus: eodem modo effare de cæteris.

Interpretatio verborum Patrum.

DE

DE LIBERTATE ACTVVM voluntatis Christi.

CAP. VIII.

277 Dvplicem in Christo intellectum, duplicem voluntatem is negauerit solum, qui duplicem in vno Verbi supposito conuenire naturam negauerit; insuper qui scientiam ab intellectu; gratiam à voluntate, fruitionem ab vtraq; potestate negerit; quæ omnia tam falsa sunt quem vt hæretica simpliciter, edocente nos oppositum fide in Concilio Florentino in Decreto Eugenij §. Tertio. vbi compendiose doctrinam de duplici Christi voluntate in 6. Synodo Constantinopolitana habitam ferens concludit *iuxta quam rationem, & duas naturales voluntates, & operationes confitemur, &c.* Sunt autem sex æ Synodi *act.* 4. verba hæc: *Sed duas dicimus Vnum, eumdemque Dominum nostrum Iesum Christum, sicut naturas, ita & naturales in se voluntates, & operationes habere.* Quod repetit *actione* 10. & 11. fuit autem hæc Facta diffinitio à Patribus contra Monothelitas; hoc est assertores vnius voluntatis in Christo. Hæc igitur, quæ fides vt certa constituit missa facientes, ex ipsa duplicis voluntatis in Christo positione mille emergunt dubia; & primum: An humana Christi voluntas fuerit vsquem diuinæ voluntati contraria, an saltem esse potuerit: secundum. Quomodo fuerit hæc potestas voluntatis humana libera, si non potuit peccare ex superiori disputatione *art.* 2. insuper si perpetuum habuit gratiæ, & gloriæ nexum; quomodo libera? tertium. Si Christus tenebatur seruare præcepta, & præcipuè tenebatur mori; quomodo meritorij ipsius actus à voluntate obligata præceptis manantes? Hæc, & consimilia ex duplici in Christo voluntate concessa efflaunt dubia; quibus tamen breuiter hoc vno capite facere satis nō diffidimus.

Concilii Florent.
Concilii Constant.

Dubitationes capitis proposita.

278 Et quidem de primo id fuit præcipuum Monothelitarum fundamentum, non posse constuens duas esse in Christo voluntates, quoniam impossibile visum est ijs in vna persona posse duplex constitui liberum arbitrium absque contentione, ac rixa; quod fundementum alijs licet verbis idem omnino attulit Scotus, & diluit *dist.* 17. *huius tertij quæst. vnica*, arguens, quod omnis voluntas est domina sui actus; humana vero si cōstitueretur in Christo, sequi deberet motum voluntatis Increatæ Verbi; possetque hæc vrgeri difficultas ex vulgato satis scripturæ eloquio *Matth.* 26. vbi orans Christus Patrem, petit non adimpleri eius voluntatem aiens, *Pater, si fieri potest transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* ergo aliud voluit Christus vt homo: aliud vt Deus, & proinde altera fuisse videtur voluntati contraria. Idem habetur *Marci* 14. *Abba Pater omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo sed quod tu.* Et *Lucæ* 22. *Pater si vis transfer calicem hunc à me, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Quibus apertè indicetur aliud voluisse humanam, aliud diuinam Christi voluntatem; & obinde alteram alteri fuisse contrariam.

Monothelitarum error.

Scotus

Matt. 26

Marci 14

Luca 22.

279 Vt credas, quam diuersimode allatæ difficultati occurrant Doctores. S. Thomas *art.6.q.18 3. p. in solut.* 1. Respondet, quod hoc ipso quod humana Christi voluntas aliud volebat, quam diuina, totum procedebat ex diuina voluntate, cuius beneplacito humana Christi natura mouebatur. Id ipsum senserunt S. Bonauentura, Richardus, & Gabriel *d.* 17. 3. *sent. q. vnica art.* 2. Alij citati à Recentibus Respondent voluntatem Christi liberam semper diuinæ fuisse conformem, & ad allata loca respondent, fugam mortis in Christo nō fuisse liberam; sed necessariam. Alij contrarietatem voluntatum Christi in illa oratione eludunt distinctione proposita; nam velle, & nolle vel cōsiderātur secundum idem obiectum, vel secundum diuersum: velle, & nolle primo modo contrariantur; secundo modo non item, ac nunc vero non primo, sed secundo modo considerantur voluntates Christi, nam qua spectabant redemptionem mundi simpliciter volebant

Respōsio S. Thomæ ad primū dubium.

Similiter S. Bonau. Richardi Gabrielis

Alia Responsio.

bant; qua vero humana voluntas spe-ctabat disconueniens naturæ, nolebat: elicitur hæc responsio ex eodem Sancto Thoma *loco citato in corpore quæsiti*, vbi Caietanus, Nazarius, Medina, Aluarez, & cæteri. Alij cum communi sententia distinguũt voluntatem efficacem ab inefficaci; primam quidem Christi voluntatem nusquam fuisse concludunt diuinæ contrariam, alteram verò potuisse: explicant distinctionem Recentes cum Lugo *disp.25.num.17.* nam inefficax Christi affectus vel consideretur vt explicitè conditionatus, vel vt implicitè tantum, *exemplum primi*, vt volo effugere mortem, si Deus voluerit precibus assentire meis, *exemplum secundi*, vt volo effugere mortem, quantum fieri per hoc medium potest, & neutrum affectum vocant contrariũ diuinæ voluntati, quia volitio absoluta, & conditionata siuè implicitè, siuè explicitè non opponuntur.

Interpretatio Thomistarũ.

Interpretatio communis.

Explicatio Lugo.

280 Patres Ecclesiæ aliò sensum verborum illorum Christi diuertunt; vnde Hieronymus super illud *Matth.26*, orationem Christi non ad mortem euitandam; sed ad Hæbreorum profectum directam fuisse credit: quasi verò Christus Patrem rogarit, ne illa sibi cædes ab Hæbreis inferretur. Hilarius *Can.3. in Matth.* ad salutem discipulorum orationem Christi direxit, vt sit Christi verborum sensus. *Transeat à me*, idest quomodo à me bibitur sic à discipulis meis bibatur Calix passionis sine metu, & diffidentia? Sed præterquamquod Patrum hæc interpretatio suggestus magis, quam Cathedræ est propria, adhuc (loquar quæ decet in Sanctorum Patrum assertis veneratione) difficultas non tollitur, quæ in subsequentibus Christi verbis sita est; sunt autem verba. *Non quod ego volo, sed quod tu*, quibus diuersitas, immo contrarietas indicetur voluntatis, siue ad se ipsum orationem, siue ad discipulos, vel ad Hæbreos Christus orationem dirigeret, seu fructum orationis peteret.

Sensus Patrum.

Ad conciones aptissimus.

281 Singulæ etiam à Scolasticis adductæ responsiones patiuntur difficultatẽ. Prior quidem, quæ est Sancti Thomæ, & S. Bonauenturæ varie vrgetur à Vasquez *disp.73.num.3.* & à Lugo *loco citato num.11.* quorum obiecta mitto in re penitus morali; dixerim tamen non sufficere, si dicatur adhuc in illa contrarietate humanam Christi voluntatem conformasse se diuinæ, quæ sic decreuit Christum velle, & nolle mortem; Certum est enim, quod nihil Christus voluit iuxta eã, quam nos sequimur sententiam, nec nos quicquam volumus in tempore, quod non fuerit à Deo decretum ab æternitate; ipse est enim, qui dat nobis velle, & perficere pro sua voluntate: non est autem verisimile asserere Deum efficaciter decreuisse ab æterno Christum in tempore velle, & non velle mortem absolutè, alioquin dicendus esset decreuisse circa idem eodem modo simul contradictoriè opposita, quod mens non capit. Vrgetur secunda responsio, vt satis voluntariè tradita; cur enim fuga mortis in Christo necessaria esset non explicat responsio, certè verba allata ex Euangelio oppositum indicant, voluntariam scilicet illam fuisse, non necessariam; fuit enim actus humanæ Christi voluntatis, qui obindè ait, *non sicut ego volo &c.* volebat ergo Christus mortem vitare: quare non necessaria erat illa mortis fuga, quia actus voluntatis liberi sunt, non necessarij, nisi modo in inferioribus fortè dicendo. Vrgetur tertia responsio, quia idem omnino erat volitionis, & nolitionis obiectum, nimirum passio, quam volebat vt Deus, nolebat vt homo; en ergo contrarietas humanæ ad diuinam voluntatem, quamuis diuersitas in ijs consideretur finis, quia pro redemptione mundi volebat, pro sensu suo nolebat; at certè finis diuersitas non tollit voluntatum contrarietatem, si absolutè, & efficaciter volitiones spectentur, secus si inefficaciter.

Vrgetur prima interpretatio.

Vrgetur secunda.

Vrgetur tertia.

In communi etiam sententia displicet distinctio Lugo, quia eoipso, quo voluntas dicitur inefficax conditionata intelligitur, loquendo de Christo, & conditionata explicitè, alias contrarietatem nancisceremur ibi aliquam; peto namque: conditionata illa virtualiter, vt Lugo loquitur, & implicitè est ne explicitè, & formaliter absoluta, nec ne? si absoluta formaliter, ergo formaliter opposita fuit absolutæ voluntati de subeunda morte, quod

Oppositio ad glosã Lugo.

fal-

dum esse, quasi vero sint duæ voluntates distinctæ, sed voluntatem ita appellari, non quatenus sit vera voluntas, vel vera animi potestas à libera voluntate distincta, sed quatenus dicit potentiam ipsius voluntatis, naturalem propensionem ad recipiendam perfectionem, & passiuam quandam ad illius receptionem tendentiam; ipsa enim naturalis voluntas propriè tendere non dicitur; nec actiuè agere ad perfectionem propriam assequendam, sed potius dicitur ipsa tendentia passiua ad recipiendum; vide de hac duplici tendentia voluntatis actiua, scilicet, & passiua Scotum *in 3. dist. 17. in solut. vltimi argumenti*.

Libertatis vocabulũ multiplex.

Tertio loco obseruandum libertatis etiam vocem non vnum habere significatum; etenim interdum latè sumitur, prout cum contingentia conuertitur, & sic aliquod liberè dicitur euenire, quod contingenter euenire dignoscimus; plerumque pressè accipitur, prout à contingentia distinguitur, & cum necessario conuenit, liberum enim non opponi semper necessario, docui in meis disputationibus *in primo sent.* dum de Spiritus Sancti productione libera disputarem. Hanc eandem libertatem partiuntur alij in libertatem à coactione; & libertatem à necessitate; libertatem primam vocant eam, qua voluntas dum à nullo cogitur operans liberè dicitur operari; libertatem aliam aiunt eam, qua voluntas operans non solum non cogitur operari; sed ita operatur, vt possit non operari. Hæc omnino supposita accipimus hoc loco nihil temerè aut proficentes, aut confutantes; pertinet enim perquisitio principalis ad 2. *sent.* atque etiam ad primũ nedum in materia de diuinis productionibus; sed in materia de præscientia Dei; quomodo possit stare cum libertate, & contingentia rerum; de qua interim vide Scotum *distinct. 39. 1. sententiarum*.

Libertas à coactione, & à necessitate.

Soluitur primum dubium.

Hisce suppositis enodandum pro facultate primum dubium, ac dicendũ resolutè absolutè humanam Christi voluntatẽ nunquam fuisse à diuina discordem. Assertio communis difficultatem non habet; quia si fuisset aliquãdo discors à diuina vtique peccasset; at Christus nedum nunquam peccauit, sed nec peccare potuit, nec ergo discordem habuit, nec habere potuit à diuina voluntatem suam humanam; porò Christum non potuisse peccare ex vi gratiæ, quam habuit, & gloriæ ex primo suæ conceptionis instanti alibi diximus: ex hoc secundi dubij enodationem postulans dicere poteris cum Augustino *in Enchiridione*, non esse culpandam voluntatem, nec asserendum non esse liberam; quia non potest peccare, quia multò liberius est illud arbitrium, quod non potest, quam quod potest seruire peccato; est enim seruitus non libertas peccare ipsum, & itidem cum eodem Augustino *lib. de libero arbitrio cap. 1.* immò & cum Scoto *dist. 49. 4. sent. q. 6.* fat esse ab intrinseco liberam esse voluntatem, & impedientia etiam ab extrinseco libertatem eius non tollere; siue enim Dei prædeterminatio eam in bono contineat: siue nexus gratiæ, siuè adeptio gloriæ, singula sunt extrinseca, & de Dei quidẽ determinatione maximè elucet diuina cum scientia omnipotentia, secũdũ quã *libere* elicimus; quod infallibiliter, & necessariò necessitate immutabilitatis, seu etiam ineuitabilitatis, de qua loquitur in calce *quol. 16.* Scotus euenit modo ibi à Scoto explicato; vnde ex his conclude non solum non tolli; sed amplificari humanæ Christi voluntatis libertatem, quia proximè peccare non potuit.

Soluitur secũdum dubium.

August.

Tertium dubium sub capitis initio positum maiorem videtur habere difficultatem, quoniam Recentiores pleriquè negant impositum fuisse Christo mortis cruentæ præceptum; sed libere ab eo mortem substentam iuxta illud Isaiæ 53. *oblatus est quia ipse voluit*, & illud Ioan. 10. *potestatem habeo ponendi animam meam*: & infra *pono animam meam à me ipso*, quod si illis Pauli pronunciatum obijcias *Philipp. 2. factus obediens vsque ad mortem &c.* & illud *Ioan. 14. sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio*; Quibus & mandati specifica fit mentio, & obedientia exprimitur Christi perfectissima, quæ sine precepto locum non habent. Respondent illi præceptum huiusce non fuisse rigorosè mandatum, ac præceptum, neque obinde obligans ad obseruationem sub peccato, sed di-

Ad solutionem tertij dubij Recentiorũ occursus.

Isaia 53. Ioan. 10. Philip. 2. Ioan. 14.

rectiuum dumtaxat, quemadmodum apud quasdam religiones superiorum mandata explicantur non obligare sub peccato. Ita sentiunt Medina, licet sub hæsitatione *p.2.quæst.114.art.1.* absque hæsitatione Victoria à Medina citatus, & Petrus Lorca *quæst.19.disp.63.* & videtur esse sententia quorumdam Ecclesiæ Patrum, præcipuè Chrisostomi *hom. 59. in Ioannem*, & Anselmi *in opusc. de meditatione redemptionis cap.3.* alij etiam ersi concedunt fuisse impositum Christo de morte præceptum, negant tamen fuisse impositum præceptum dè tali morte, puta, Crucis. Sed & istis etiam opponi potest illud Pauli citatum. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis*; quibus nedum obedientia secundum affectionem commodi ad mortem, sed ad talem nempè Crucis mortem innuhitur. Alij etiam concedentes impositũ Christo præceptum de morte, & de tali morte vrgerẽt mandatum Christo datum de circumstantijs mortis; puta de tali modo, & tempore, ita Vasquez *disp.74.cap.5.* Lessius *de præd. Christi sect. 3.* & ferè communiter Doctores è præclarissims Iesu societate. Confutatur hæc opinio fusè à Lugo *disp. 26. sect. 7.* ex eo potissimum capite quod Christus non meruisset per mortem; nec illi ob mortem teneremur, sed ob accelerationem potius & grauitatem mortis, ob circumstantias potius, quam ob factum; quod videtur esse contra scripturas citatas; Pauli præcipuè, quibus commendatur Christi obedientia in morte ipsa, non in circumstantijs; vt indicaret Paulus, eius causa. non verò circũstantiarum teneri nos Christo. Sed ego ex Scoto infra ostendam non obinde tolli meritum; quia rem necessario exequimur exequẽdam, & proinde non ex hoc capite superiorem sententiam improbo, sed ex ipsis scripturis; quibus temporis constitura circumstantia legitur. *Tempus meum nondum aduenit, Ioan.7. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum Luca 22.* Vbi loqui de tempore decreto, & constituta morte patet ex antecedentibus verbis *cum quotidie vobiscum fuerim in templo non extendistis manus in me*, similiter *Ioan. 11. sciens Iesus, quia venit hora eius*; & in Nuptijs Cana Galilææ. *Non dum venit hora mea*; ne dum igitur mors, sed & mortis hora constituta erat Christo; nec obinde in eius libertate situm tempus tantum; sed vel tempus, & factũ, modo explicando, vel neutrum quod falsum est; alioquin Christus liberè mortem non subijsset. Quod si dicas; hisce locutionibus probari dumtaxat mortis horam fuisse tempus Christi, & obinde potius oppositum, quam propositum concludi, habes dilucidum testimonium in verbis eiusdem Saluatoris *Marci 14. & quidem filius hominis vadit sicut diffinitum est de illo*; quibus habes nedum itionem ad mortem; sed modum itionis, & exinde circumstantias fuisse Christo mortis præscriptas, quid enim sibi vult particula illa *sicut*, nisi eo modo? modus igitur constitutus erat, & *Luca 22. secundum quod diffinitum est de illo vadit*, vbi obseruanda est particula *secundum quod*, quæ singulas cõplectitur rei agendæ circumstantias, & propterea temporis etiam.

Medina Victoria Lorca. Chrysost. Anselm. Conuincitur ex Paulo. Opinio Vasquez refutatur à Lugo. Inualidè Confutatur ab auctore. Marc. 14 Luca 22

Adde quod in superioribus dum de tempore Incarnationis, & rursum dum de morali, ac meritoria huius mysterij causa disputaremus, abundè satis ostẽdimus illas temporis circumstantias sub merito non cecidisse; vtpotè diffinitas. Ipse igitur Lugo aliter propositę dubitationi obuius occurrit *sect. 8. num. 102.* asserendo Christum Dominum posito adhuc mortis præcepto liberè obediuisse, quia præceptum non obligabat ad acceptandam pro eo instanti mortem; Sed neque pro alio instanti postea; quia non erat datum pręceptum de patiendo tunc, sed neque de patiendo postea alioquin non potuisset Christus vitare mortem; quod est contra eius verba *Matth. 26. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum*. Quibus verbis ad corrigendam Petri ignorantiam ostendit Christus posse se suam impedire passionem, vnde colligitur non datum de acceptanda tunc, aut postea morte præceptum, alioquin violationem eius impetrare non potuisset Christus.

Responsio Lugo.

Petit hæc Lugo doctrina captum alterius difficultatis, an scilicet, præcepta à Deo constituta quandoque dispensabilia

Confutatur.

fabilia

sabilia sint; de qua hoc loco agendum non est; sed supponendum dumtaxat, si quandoque dispensentur præcepta Dei, in ipsa constitutione decreti intelligi constitutam dispensationem.

287 Interim ipse Lugo, qui aliorum è sua societate placitum reprehenderat confitentes non fuisse Christo datum præceptum de morte illo, vel alio tempore, ex inde in idem conuenit placitum; dum ait non datum Christo præceptum de acceptanda morte tunc, vel postea, quid enim sunt aliud *tunc & postea*, nisi temporis differentiæ? quare quo modo quibusue argumentis superiorem sententiam confutauit; confutari & eius opinio potest: neque illud *Matth.* 28. quidpiam Lugo suffragatur; ita namque effatus est Christus ad corrigendum Petrum, qui putabat Christi passionem impedire armate manu percutiendo seruum Principis Sacerdotum; quod factum redarguens Christus ait; *An putas quia non possum Rogare Patrem, &c.* quasi diceret, si esset impedibilis passio non deesset mihi validior modus, quia *possem rogare Patrem & exhiberet legiones Angelorum*; porrò ex suppositione ibi locutum Christum, stante scilicet, seu dato quod posset impediri passio, elicitur ex subsequentibus verbis. *Quomodo ergo implebuntur scriptura quia sic oportet fieri?* Ex quibus habes opus fuisse id ita fieri ad impletionem scripturarum, idest, ad Patris decretum seruandum.

Lugo sibi cōtra dicit

Matt. 28

288 Assero igitur in primis contra primam sententiam, datum fuisse Christo speciale mandatum de morte. Hæc assertio verissime est ex scripturis allatis ad Philippenses 2. *factus obediens &c.* est autem obedientia perfecta in obseruatione præcepti impositi Ioann. 10. *mandatum dedit mihi Pater*, & Rursum Ioan. 14. *sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio*; videturque ipsum mandati, seu præcepti vocabulum in suo significato obligationem inuoluere. Ad Patres autem, qui pro illorum citantur sententia, dicendum ex voluntate diuina, quæ erat in Christo habuisse libertatem ponendi, & non ponendi animam; ita enim Scotus explicat illud Ioann. *potestatem habeo ponendi &c.* in tertio dist. 16. q. 2. littera I. *ego pono animam meam à me ipso*, ego (inquit Scotus) stat pro persona eadem, non secundum eamdem naturam; quia suppositum diuinum secundum diuinam naturam posuit effectiuè, idest separauit à se ipso homine animam; non fuit igitur ex Scoto ibi in potestate animæ Christi ponere, & non ponere eam effectiuè; sed complacendo, & patiendo animam poni, quia non alio modo habuit mandatum à Patre, nisi de complacendo, & patiendo animam suam poni, & separari à corpore per passionem.

Assertio prima

289 Assero ex his demum, etsi non fuerit in potestate animæ Christi impedire passionem, quam acceptauerat, & quam pati complacuerat; non ob id illam fuisse inuoluntariā. Hæc etiā patet; quia etsi voluntate inefficaci, & quatenus non erat perfectè secūdū affectionē cōmodi coiuncta, & quatenus respiciebat tēporalia, & propriū cōmodū, videatur nō acceptata, quia tamen voluntas efficax, & secundum portionē superiorem, atque coniuncta fini perfectissimè erat secundum affectionem iustitiæ, simpliciter acceptata fuit, & complacenter acceptata: vide Scotum dist. 15, 3. *art. in solut. argumentorum*. Si dicas, si non fuit in potestate animæ Christi impedire passionem, quomodo illa fuit meritoria. Hoc est principale quæsitum, cuius merito dicta posuimus, de quo tantam litem agitant Recentes: Scotus tamen, qui nihil intactum reliquit *dist. 16. q. 2. lit. S.* dubium soluit dicendo voluntatem posse mereri circa obiectum, quod non est in potestate sua; immo quod est necessarium, & impossibile aliter se habere, vt si quis Deum diligeret volendo illum esse bonum, iustū, misericordem is mereretur, nec tamen obiectum est in potestate eius; quia velit nolit Deus est bonus, iustus, misericors: quanto ergo magis mereri poterit circa obiectum necessarium ex suppositione, & in sensu composito dumtaxat? Porro talis erat Christi passio, quæ erat ex supposito decreto necessaria Christo, & in sensu composito; Christus tamen acceptando illam, & cōplacendo mereri potuit, & hoc sonant auctoritates illæ *oblatus est, quia ipse voluit*; hoc est quia acceptauit præceptum, & in obseruatione, & acceptatione eius complacuit.

Assertio altera

Scotus in 3. dist. 15.

Mereri quis potest in obiecto necessario

290 Colligendum ergo Christi mortem, ac passionem fuisse voluntariam, ac meritoriam modo exposito; fuisseque necessariam modo pariter declarato, mansisse autem integrè in Christi voluntate libertatem, quia non coactè mortem subiuit, sed necessario necessitate manente cum libertate, quæ necessitas contingentiæ, non libertati opponitur, nec vnquam fuisse Christi voluntatem secundum portionem superiorem, & efficaciter, & vt coniunctam Deo affectione iustitiæ discordem à diuina; licet inefficaciter tantum conditionatè, & secundū portionem inferiorem, qua in propriū cōmodum tendebat horruerit passionem: porro in hac voluntate inefficaci, & conditionata non inuolui contrarietatem, habere poteris ex Scoto *dist.* 15. *loco citato*. Hacque doctrina vniuersas auctoritates in principio capitis propositas exponas.

Conclusio capitis.

AN CHRISTVS PRÆDESTInatus sit filius Dei.

CAP. IX.

291 De prædestinatione agunt Scolastici *in* 1. *sent. d.* 40 *&* 41. hoc autem loco ad veritatem propositionū inducendam, de nomine potius, quam de re altercantur postulantes veritatem huius effati, *Christus prædestinatus est filius Dei*, quod à Paulo Apostolo inductum est Rom. 1. *Quod antè promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei, ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum Sanctificationis ex resurrectione mortuorum Domini Nostri Iesu Christi*, sunt hæc verba Pauli, quæ non tam in significatione, quam in effectu ipso controuersiam habent quam magnam.

Rom. 1.

292 Vt vero in hoc capite distinctiori methodo incedamus, hæc dubia per ordinem enodabimus; longiorem de prædestinatione doctrinam mittentes in primo *sent.* legendam. Primum, an admittenda sit hæc propositio, *Christus est prædestinatus*, & quomodo. Secundum, an hæc sit vera, *secundum quod homo Christus est prædestinatus*. Tertium, ad quid est prædestinatus. Quartum, an eius prædestinatio sit nostræ exemplar. Quintum, an sit prædestinatorum caput Christus. Postremum, an hæc sit vera; *Verbum Dei prædestinatum est, vt sit homo*. Duæ primæ, & extrema dubitatio in propositionibus potissimum, reliquæ in re versantur.

Dubiorū multiplicitas.

Ad singulas autem capessendas supponendum, prædestinationem esse actum diuinæ voluntatis præordinantis naturam intellectualem ad gloriam, & media, vt in 1. *sent.* diximus. Similiter ex eo loci, & ex *disp. de incarnationis existentia* supponendum, humanitatem Christi ab æterno electam nedum ad summam gratiam, & ad gloriam, sed & ad vnionem in hypostasi antecedenter ad merita Christi, vel hominum demerita præuisa; ex quo deduximus futurum fuisse, vt licet non peccaret Adamus, inhumanaretur Deus; iam ad dubia eneruanda descendamus.

Adnotatio.

294 Primum dubium affirmatiuè à Recentibus Scholasticis enodatur nedum à Thomistis 3. *p. q.* 24. *art.* 1. vbi etiam à Suarezio *disp.* 50. *sect.* 1. Gabriele Vasquez *disp.* 90. Ioanne à Lugo *disp.* 32. *sect.* 1. & alijs, sed à Scotistis, vt patet apud Fabrum 3. *sent. disp.* 19. *cap.* 1. *in fine*, ob citatam Pauli auctoritatem; tum etiam, quia, cum prædestinatio sit pars diuinæ prouidentiæ, quia Deus ab æterno facienda in tempore præordinat, & in tempore facienda esset vnio admirabilis, per quam resultaret Christus subsistens in duabus naturis, consequens est, vt per ordinationem illius vnionis sit prædestinatio, qua præfinitur Christum futurum.

Primi dubij varia Enodatio affirmatiua p Thomistas, et Recentes. Ratio Lugo.

295 Hæc est ratio Ioannis à Lugo, quam mutatis verbis à Suarezio mutuauit, qui duplici alia ratione fultus Christum absolutè prædestinatum dicendum esse cōtendit. Prima est, quia Christus dicitur glorificatus, exaltatus, &c. cur non & prædestinatus? Secundò, quia nedum ad gloriam, sed ad esse præordinatus est Christus. Confirmat id etiam quampluribus

Primae Corint. 2. tibus auctoritatibus Pauli 1. *Corinth. cap.* 2. vbi prædestinatum Christum legimus ante tempora sæcularia, & Patrũ, *Conc. Toletani* 11. decernentium Christũ per hoc, quod de Maria natus est, prædestinatum dicendum esse.

Occurritur Rectibus. 296 Singulæ tamen rationes deficiunt, nec auctoritates ad rem faciunt non equidẽ ad rẽ faciunt auctoritates, quę clarissimè de Christo homine loquuntur, non autem de Christo absolutè præscindendo ab humanitate. Rationes etiam deficiunt; prima Ioannis à Lugo, quæ supponit Christum esse terminum resultantem, & quasi compositum in hac vnione, quod falsum est, quia licet Verbi persona vnionem terminet, & proinde dicatur Christus, non obinde tamen incipit esse Christus absolutè, vt dici queat prædestinatum fore; sed sola humanitas esse incipit, & à Verbo pendere, ratione cuius dicitur Christus: vnde ratio ad summum probat, prædestinatam humanitatem ad esse, & ad vniri Verbo; & rursum prædestinatã fore, vt ex terminatione relationis dependentiæ Verbum diceretur Christus, non autem absolutè Christum fore, quia Christus non est aliud suppositum à Verbo, nec aliud dicit, nisi Verbi suppositum in illis naturis.

Deficiunt rationes Suarij. 297 Ad primam Suarezij, peto, cur non dicitur Christus creatus, si dicitur prædestinatus? ediffe̾rat, vt edifferam; sed edifferam ego. Dicitur Christus glorificatus, & exaltatus, quia ij termini etiam Deo conueniunt, vnde in psalmo, *Psal.* 29. *exaltabo te Domine*, & alibi, *glorificate Dominum mecum* *Psal.* 33. prædestinatio autem Deo, vt dictum est aptari nequit. Si proterruies, dicitur Christus natus, passus, & mortuus, cur non prædestinatus? Respondebitur, communicatione idiomatum prædicata humana dici de Christo, & eius merito dici Christum natum, passum, mortuum, non tamen dici creatum, aut incepisse esse, quia illa prædicata conueniunt naturæ, & denominant solum suppositum; creari autem, & incipere esse suppositum æquè, ac naturam, & non per naturam suppositum apta sunt denominare: ita in proposito prædestinari non est naturæ solũ primo, & per naturam suppositi, sed vel est suppositi tantum, vt tenent ipsi Thomistæ, vel est suppositi, & naturæ, & non per naturam suppositi. Ratio igitur paritatis nulla. Secunda ratio Suarezij principium petit, id enim assumit, quod esset probandum, nam hoc controuersum est, an scilicet, dici queat Christus prædestinatus ad esse.

298 Ego, salua maiorum censura, audeam dicere hanc propositionem in toto rigore non esse veram, *Christus est prædestinatus ad esse*, hoc enim modo in præsenti dubio loquimur, vt patet ex dictis. Suadeor; quia prædestinatio; quamuis latè pateat ad omne id, quod antè destinatur, se fundat; cum sit nomen ex *antè*, & *destinatione* conflatum; appropriatè tamen, & secundũ vsum Gymnasiorum Theologicorum de sola præordinatione creaturæ rationalis, vel intellectualis ad gratiam, & gloriã intelligitur, neque in alio sensu prædestinationem scholæ vsurpant: diuertere igitur ipsam prædestinationis nomenclaturam ad esse, satis est impropria, ac voluntaria detorsio. *Opinio Auctoris.* *Quid sit prædestinatio.*

299 Præterea ex ipsa prædestinationis diffinitione vt sic elucescet, Christum verè non dici prædestinatum ad esse, posset autem prædestinatio vt sic finiri ex aduersariorum doctrina; quod *sit prouidentiæ diuinæ pars, ordinans ab æterno, quæ sunt futura in tempore*, sub infero minorem: at in tempore Christus non incepit esse absolutè, & sine specificatione loquendo, quia idem Verbum in vnione permansit, quod ab æterno fuit, nec noui aliquid fuit in tempore, nisi humanitas, & vnio; vnio, quæ non nisi abusiuè prædestinata dici potest dicenda potius præordinata humanitas verò, cuius merito, nisi specificetur, non denominatur suppositum prædestinatum; quoniam prædestinatio apta nata est denominare suppositum, non per mediam naturam, vt diximus; sed immediatè.

Quod si dicas, vtique prædestinatio ad gloriam, vel ad gratiam, at nõ prædestinatio ad esse, quia cum suppositum non sit nisi accipiatur natura, & prædestinatio media natura denominabit suppositum: obiectio vigeret fortè, si hic non esset suppositum nisi accepta natura; at Verbi persona ad vnionem præest; cum ergo à natura accepta non depen- *Dubij cuiusdam vis frangitur.*

dependeat, neque per naturam acceptam denominabitur prædestinata, non sic de alijs prædicatis, quæ Christo conueniunt, quia primo competunt naturæ, & per naturam suppositum denominant.

Noua argutia. 300 Præterea da oppositum: hoc tibi dilemma diluendum est, Christus est prædestinatus ad esse, sed Christus est Verbum, ergo Verbum est prædestinatum ad esse; conclusio falsa, ergo altera præmissarum; non minor, quæ est de fide, ergo maior. Scio argumentum ex puris particularibus à me alibi neglectum; sed ex quo syllogismum expositorium ab aduersarijs vocatum approbatuot, proprijs approbationibus vsus argumentatus sum; scio quod dixerint, committi fallaciam, quia in maiori *Christus* stat pro homine, in minori pro supposito diuino, ergo (inquam) absolutè illa propositio est falsa *Christus est prædestinatus ad esse*, quia in subiecto, quod est, *Christus*, non est specificatio, & nomen illud primò, & absolutè non pro homine sumitur, sed pro supposito hominem sustinente, facitque hunc sensum *Christus prædestinatus est ad esse*, idest suppositum diuinum subsistens in diuina, & humana natura prædestinatum est ad esse: quæ propositio maiorem habet falsitatem, nec ab ipsis concederetur Aduersarij. Non potest ergò dici prædestinata Christi existentia, sed dicenda est prædestinata humanitatis existentia in Christo sustinente eam.

Noua auctoris opinio declaratur. 301 Quid ergò? an singulis obuiam iuerimus scolasticis propositionem illam concedentibus? Respondeo cum Recentibus solum negotium geri, nam antiquiores cum Sancto Thoma q. 24. art. 1. & Sancto Bonauentura dist. 7. 3. sent. ferè omnia ab existentia ad vnionē transeunt, vnde Sanctus Thomas petit vtique *in titulo articuli illius primi*; an Christo conueniat prædestinatum esse, sed petitionem in corpore articuli de vnione in hypostasi diluit, vnde antè solutionem argumentorū concludit, ex quo vnio naturarum in Christi persona cadit sub æterna Dei prædestinatione, ratione, huius Christum dici prædestinatum, & in solutione argumentorum de solâ prædestinatione ad esse filium Dei loquitur; ex confusione igitur, po-

S. Thomas S. Bonauent.

stulationum non admodum negotij nobis facessunt Antiqui; sed nec Recentes, quorum argumenta nihili pendenda monstrauimus.

Si qui Patrum Christum absolutè prædestinatum innuant, intelligam appropriatè de homine in Christo, seù de indiuidua illa hominis natura à Christo sustentata, quæ verè, & ad esse, & ad dona alia prædestinata fuit, vt dicemus.

Secundū dubium principale proponitur. 302 Secundum dubium ex hisce decorsis enodatur; quia enim Christi humanitas, & ad existentiam præordinata est, & ad vnionem in Verbo, & ad alia mox dicenda, rectè Christus secundum quod homo dici potest prædestinatus, sumendo terminum illum, *secundum quod homo*, non solum specificatiuè, quia scilicet Christi humanitas, seù Christus prædestinatus est secundum humanitatem, sed quoquomodo etiam reduplicatiuè in propositione, quia scilicet humanitas est ratio, ob quam hic terminus *prædestinatus* pronuncietur de Christo. Notanter dixi in propositione, quia secundum rem humanitas non est ratio formalis, vt prædestinetur Christus; vt alibi sensum reduplicatiuum in via Scoti explanatores diximus, sed in propositionum enunciatione dicendo, *Christus secundum quod est homo, est prædestinatus*, asseritur quasi ratio, ob quam prædicatum enuncietur de subiecto, & hoc modo reduplicationem intelligunt Recentes, licet re vera hic sensus reduplicatiuus dicatur latè potius, & videatur penè idem cum specificatiuo: in rigoroso autem reduplicatiuo sensu, in quo non prædicationis, sed inhæsionis ratio formalis verà exponitur, vt dicendo; *homo secundum rationalitatem est visibilis*, illa propositio, *Christus, secundum quod homo, est prædestinatus*, non facilè admitteretur, sumendo Christum pro supposito sustentante naturam, cui prædestinatio, aptari formaliter non potest, sed naturæ tantum sustentatæ, & indiuiduo illius, vnde rectius concedi potest hæc propositio, vt sine difficultate vera. *Iesus est prædestinatus*, quam hæc, *Christus est prædestinatus*, quia, vt alibi diximus nomen *Iesu*, est indiuidui hominis in supposito Verbi; Nomē autem, *Christi*, est suppositi diuini in-

vtra-

vtraque natura diuina, & humana. Conceditur autem communiter, Christum, vt hominem esse prædestinatum specificatiuè.

Tertium dubium principale capitis.

303 Tertia Dubitatio non plus de nomine esse videtur, quam de re, postulans terminum prædestinationis Christi, præsupposito modo in superiori dubitatione exposito, *Christum secundum quod homo est prædestinatum*, esse, non solum ad esse, quod nomen prædestinationis latiori vocabulo patitur, sed ad verum veræ prædestinationis terminum, cum autē terminus prædestinationis veræ sit gratia, & gloria iuxta diffinitionem prædestinationis, quæ est, *quod sit diuinæ voluntatis æternus actus eligentis naturam; seù creaturam intellectualē ad gratiam, & ad gloriam*; hæc proposita dubitatio in quibusdam certa est, & dubitatione vacat; in pleris que habet controuersiam.

Vera prædest. finitio.

Certum est primo Christi humanam naturam electam esse ad gratiam, & ad gloriam: certum est etiam, quod cum inter gratiarum seriem vnio in hypostasi primum habeat locum, dum in rebus per tempus oritur, ex Augustino; nulla maior gratia quam quod Deus fieret homo, illa natura prædestinata est ad vnionem.

Qvid controuersū habeat petitio.

304 Cæterum controuersum est primo, quomodo natura possit prædestinari, cum prædestinatio videatur esse suppositi tantum: secundo incertum est, an primo ad gloriam, quam ad vnionem prædestinata fuerit: tertio incertum est, an vrè Christus dici queat prædestinatus filius Dei: omissis ex primo sententiarum, quæ certa sunt, discutiamus incerta.

Opinio Thomist. Caietani Medinæ, & aliorum.

Primo naturam non esse prædestinationis obiectum, sed personam vno ore, cum Sancto Thoma, *tum p.p.q. 23. tum in 3 p. q. 24. art. 1.* proclamant Thomistæ omnes, præcipuè Caietanus, & Medina, qui oppositum sentientes ait non intelligere, quæ dicunt. Patres autem ex societ. Iesu, qui ordinem S. Thomæ, si minus doctrinam sequuntur, distinstinctionem adhibent; vel enim de prædestinatione ad gloriam loquimur, vel de prædestinatione ad

Opinio Suarezij Vasquezij Lugo, & Bonacinæ.

vnionem, hāc aiunt competere naturę, illam vero supposito, & per suppositum naturæ, ita Suarez *l.c. sect. 4.* licet Vasquez, *disput. 90, cap. 4.* dissentiat, & Patrei Lugo *sect. 3.* qui impropriè tantum, naturam concedit ad gloriam prædestinari, & Bonacina *q. 17. puncto 3. prop. 2.* & Recentes alij.

305 E contra Scotus *in 3. d. 7. q. 3. litt. A,* non solum personam, sed & naturam obiectum prædestinationis esse constituit. *Opinio Scoti eiusque ratio* Ratio est. Cuicunque potest Deus bonum diligere, potest illud bonum præoptare, ac prædestinare, sed nedum personæ, verum & naturæ potest bonū diligere, ergo, & naturæ, & personæ potest bonum præoptando prædestinare. Maior patet, quia amor Dei non est infæcundus, nec in solo voluntatis affectu sistitur, sed in opere, vt probatio eius sit operis exhibitio. Minor probatur, quia sicut potest Deus omne bonum aliud à se diligere, ita illi potest præordinare bonum conueniens, potest autem nedū suppositum, sed & naturam diligere, ergo nedum personæ, sed & naturæ optare conueniens bonum potest. Hæc est ratio Scoti, licet non sub his verbis omnino, ex qua elice, quod cum natura æquè, ac persona sit diligibilis à Deo, præoptabile est illi bonum æquè, ac personæ. Verum quidem est, quod cum in nullo alio, præter quam in Christo natura eligatur, sed persona, & ex electione, seù præordinatione boni personę, præordinatur bonū naturę: in Christo autem non ita, quia persona est diuina, & bonum est illi naturale, & gloria illi est propria, proinde bonum in eo prædestinatur naturæ, & per naturam denominatur suppositum, neque adhoc mysterium alia exempla locum habent, dum mysterium ipsum in humanis similitudinem plenam non habet.

306 Ex hac Scoti doctrina corollariè deduc primo veritatem nostræ doctrinæ in primo asserto, quia si prædestinatio primo, vel æquè respicit personam, ac naturam, at in hoc mysterio è cōuerso se habet, quia natura primo, & verè, & ex natura denominatur suppositum, in toto rigore sermonis proposito illa, *Christus est prædestinatus*, logicè concedi non potest, quia Christus dicit suppositum diuinum, de quo prædestinatio primò enunciari nequit, deberet autem ad veritatem logicæ enunciationis rigorosæ prædicari de supposito, ex quo prædestinatio genericè respicit suppositum *Consectarium ex doctrina Scoti.*

primo

primo vel æquè ac naturam.

Alterum confectarium.

307 Deduc secundo genericè verè naturam dici prædestinatam, sed non primo, sed suppositum æquè ac naturam, fin minus primo suppositum, quam naturam, & planè alicui Scotus eo loci cōcedere videbitur, primo genericè prædestinationem respicere suppositum, mox naturam, ait enim, *verum est, quod in omnibus alijs ab isto prædestinatio respicit personam, quia in nullo alio præordinauit Deus bonum naturæ, nisi præordinando bonum personæ, quia nulla natura prædestinabilis est non personata &c.* Hæc Scotus.

Verba Scoti.

Sed ex his non habes primò prædestinationem respicere suppositum, vt volunt Thomistæ, quam naturam, sed vtrumque, non alterum altero prius, non enim ait, *non præordinari bonum naturæ nisi prædestinato bono personæ,* sed ait, *non præordinari bonum naturæ nisi præordinando bonum personæ,* refert autem dicere *non præordinato* & *non præordinando*, quia hoc est participium præsentis temporis simultatem actus significans, illud præteriti antecessionem demonstrans, quarè æquè natura, ac suppositum obiectum prædestinationis esse potest.

Alia probatio.

308 Probatur rursum hæc veritas ex prædestinationis diffinitione, quæ est electio creaturæ intellectualis, vel rationalis ad gratiam, & ad gloriam, at nedum persona, sed & naturæ indiuidua creatura est intellectualis, vel rationalis, vt probatur de animabus separatis, quæ personæ veræ non sunt, ergo non tam persona, quam natura prædestinationis est obiectum; neque hic loquimur de sola prędestinatione ad vnionem, sed ad gloriam præcipuè, vt ex ipsa diffinitione prædestinationis liquescere potest. Demum nisi natura esse posset prędestinationis obiectum, ne dum hæc propositio, *Christus est prædestinatus*, falsa esset, sed, & hæc concedi non posset, *Christus secundum quod homo est prædestinatus*, consequens est falsum, ergo, & antecedens, sequela probatur, quia in illa terminus *secundum quod homo*, se habet specificatiuè, vt superius diximus, fecitqua sensum, *Christus prædestinatus est secundum humanitatem*, ita vt prędestinatio humanitati primò, ac verè, ac per humanitatem Christi supposito accommodetur; falsitas consequentis pro batur ex illo Pauli Rom. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei, &c.* Quarè concludendum naturam verè, ac suppositum, dici posse prædestinatam.

309 Sed obijciunt Recentes cum Lugo, & Bonacina, immò ex doctrina Suarij, Solus homo est, qui consequitur finem vltimum, & beatitatem, non humanitas; ergo homo est, qui prædestinatur non humanitas, non ergo natura dici potest quoquo modo prędestinata: antecedens videtur ex illo vulgato philosophorum pronunciato firmari, *actiones, seu denominationes sunt suppositorum.*

Obiectio Recentium.

Occurrimus tamen distinguendo humanitatis vocabulum, quod sumi potest vel atome, vel specificè; specificè qui dē vniuersam humanā dasignat naturā, atomè verò naturam humanam hecceizatam: primo modo vtiqua nequit natura humana prædestinari, quia sicut non existit, nisi in indiuiduis, ita nec electionem nisi in indiuiduis recipit, posteriori verò modo pro eodem sumimus hanc humanitatem, & hoc hominis indiuiduū, sinè hāc naturam humanam in indiniduo, de priori concedimus antecedens, de posteriori negamus, dum ità benè fatemur humanam naturam beatitudine frui, ac hominem frui; cum sit idem; neque recurrendum est ad abstractum humanitatis, quod est vltimatum, sed ad humanam naturam; non enim dicimus nos abstractum prædestinari, sed naturam humanā prædestinari in atomo, vnde antecedens peccat, arguendo à concreto ad abstractum, ab homine ad humanitatem, cum arguere deberet ab homine ad naturam humanam, hoc est à supposito ad naturam: vltima ergo sequela non rectè ax prima, & ex antecedenti colligitur, sed neque antecedentis probatio aliqua est, nam in primis prædestinatio non est actio in nobis, vt patet, vnda laborem facessere posset effatum illud, *Actiones sunt suppositorum.*

Ablegatur.

Secundo illud toties interpretati sumus vt à vulgo prolatum, non ex Aristotele deductum, qui ad summum actiones circa singularia docat versari, quod pro nobis facit, qui circa singularem naturam versari etiam posse prædestinationem docemus, interpretati, inquam, sumus, vt concederemus esse verum de-

Actiones sunt suppositorū quomodo verum.

denominatiuè ſolum, non primo, quod, hic fatemur, quia obinde Chriſtum concedimus, vt hominem prædeſtinatum, quia humanam in Chriſto naturam prædeſtinatam confitemur. Hactenus hæc difficultas, de qua non nihil in 1. *ſent. in tract. prædeſtinatione* loquendo de eius obiecto.

Ac primo ad vnionē an 1. ad gloriam prædeſtinatione ſecta Chriſti.

310 Secundum incertum in hac re eſt, an primo ad gloriam, an ad vnionem humanam hæc natura fuerit electa. Quam rem nedum Thomiſtarum à nobis diſſidentium placita duriorem reddunt, qui planè ſibi perſuadent, primo in prædeſtinatione animæ Chriſti volitam illi humanitati vnionem quam gloriam, vt patet apud eos in *comment. art. 1. quaſt. 24. in 3. p.* vbi Suarez *diſp 5 a. ſect. 3.* ſed, & Scotiſtarum in Scoti opinione explicanda diſſenſus dubio augent. Lichetus in 3. *diſt. 7 q. 3.* vtique cum Scoto fatetur prædeſtinationem ad gloriam præintelligi ad vnionis ordinem, at ad tantam gloriam è conuerſo; ita, vt per eum prius Deus præordinauerit Chriſti humanitatem ad gloriam, deinde ad vnionem, tertio ad ſūmam gloriam; Hanc opinionem antè Lichetum propugnarat, nedum de tanta gloria abſolutè Ioannes Baſſolius in 3. *diſt. 10. art. 1, quaſt. vnica*, conſtituens priorem eſſe prædeſtinationem ad hypoſtaticam vnionem, quam ad gloriam. Faber autem ſatis eſt anceps, & dubius in *illa diſp. 19. 3. ſent.* licet *num.* 10, ſatis propendeat in opinionem Licheti; licet *in peculiari lib. de prædeſtinatione* quærendo electionis ex parte prædeſtinati cauſam Scotum nō ſequatur, ſed Vaſquezio merita paciſcenti ad prędeſtinationem ad gloriam adhereat.

Opinio Thomiſt. & Suarezij.

Scotiſtarum cum Licheto, Baſſolio, & Fabro diſſenſus.

Opinio auctoris.

311 Ego de hac re abundè diſputaui in 1. *ſent. tract. de prædeſtinatione*, & opinionem meam in Scola Ferrarienſi publicè explanaui de mente Scoti ſcilicet, Deū antecedenter ad merita prædeſtinaſſe electos, nedum ad gloriam, ſed ad tantam etiam gloriam, quam opinionem inſecutus eſt poſtea in *ſuis comment. ſummæ Scoti tom 2. p. partis* Vulpes *diſp. 36. art. vltimo*, & conſequenter, & ſi vnio in hypoſtaſi non ſit meritum ad gloriam; medium tamen ad gloriam fuiſſe non obſtare docuit Scotus *in hoc 3. diſt. 7, quaſt. 3. littera A.* dum ait, *quod non tanta gloria natura Chriſti humana fuiſſet conferenda, ſi non eſſet vnita, ſicut modo collata, eſt;* ſed ex quo pro Scoto dimicamus, videamus an ſibi Scotus in hac re conſtet.

Angelus Vulpes.

Scoti verba.

312 Ait ibi Scotus, *quod ſicut merita cadunt ſub prædeſtinatione, ſine quibus non ordinaretur de congruo quis ad tantam gloriā ſine eis, ſicut cum eis; ità videtur iſta vnio ordinari ad tantam gloriam, licet non cadat ſub prædeſtinatione, tanquam meritum.* Hæc littera pugnare videtur, quia aſſumit ſimilitudinem, & exemplum meritorum ad gradus certos gloriæ ad declarandam ordinationem vnionis ad ſummam Chriſti gloriam, & inde ſimilitudinē excludit, dum negat vnionem non cadere ſub prædeſtinatione ad illos gradus gloriæ tanquam meritum. Rurſum hæc littera, pugnat cum eiuſdem Auctoris doctrina in *p. diſt. 40. & 41.* ſuſtinante, merita non cadere ſub prædeſtinatione primo, ità vt primus terminus prædeſtinationis ſint merita, & ex præuiſis meritis gloria: hic autem merita ità docet ſub prædeſtinatione cadere, vt ſine eis de congruo nullus ad tantam gloriam ordinaretur.

Pugnantia, vt videtur Scoti loca conciliantur.

313 Hæc lusibilis pugnantia à communi ſententia deflectit Fabrum, anſam etiam porrigente Scoto in *calce diſtinctione* 41. facultatem ſingulis præbente diſcipulis pro libito oppoſitam ſententiam amplectendi; vnde Faber nedum alteri opinioni in *libro de prædeſtinatione* ſubſcripſit, ſed *in hoc tertio loco citato* Scotum ipſum varium fuiſſe docet, & in 1. S. Thomæ ſententiam complexum, & in 3. Henrico adhæſiſſe. Vulpes, vt Scotum ex Scoto vindicaret, duo alia Scoti loca aperriſſima, vt retur, ad opinionis noſtræ tutelam profert.

Qua cum ratiōe Fabrum eliminis Scotiſtarum.

314 Eſt primus 3. *diſt. 7. quaſt.* locus in 3. *littera A.* inquiens, prius natura, quam aliquid præuidebatur circa peccatorem, ſiuè de peccato, ſiuè de pœna Deum prælegiſſe ad illam cœleſtem Curiam omnes, quos habere voluit Angelos, & homines in certis, & determinatis gradibus.

Duo loca Scoti à Vulpe adducta.

Alter locus eſt *in 4. ſent. diſt. 4. q. 7. littera A.* de baptiſmo loquens, & ſtatuens Deum prædeſtinaſſe diuerſos gloriæ gradus antè determinationem Sa-

cramenti illius.

Loca Scoti à Vulpe lata ad rem non faciunt.

315 Neuter tamen locus ad rem facit, qui loquitur de remedio, vel de præuiſione peccati, vnde primus locus tradit tantum, antè præuiſionem peccati electos homines, & Angelos ad tantam gloriam, ſed neque id Licherus, & Baſſolius, immo nec Fabet negat, qui tamen merita prædecreta, & præuiſa ſupponunt ad gradus diuerſos, illa autem auctoritas non de meritis, ſed de demeritis loquitur; & ſecundũ Scoti doctrinam veriſſima eſt, quia prius Deus elegit Petrum, quàm reprobauerit Iudam, loquendo de particulari prædeſtinatione, loquendo autem de prædeſtinatione generali, hæc nedum ad gloriam, ſed ad merita antecedenter ad præuiſionem peccati facta eſt etiam ſecundum præfatos Scotiſtas; ſed quid inde? An quia ante præuiſionem peccati electi ſunt prædeſtinati ad gloriam, & ad gratiam, idcirco concludendum, electos etiam ad tantam gloriam, & non per tot merita? Certè id præcitatum Scoti teſtimoniũ non induci; ſed, eo conceſſo (dicerent Scotiſtæ illi) antè præuiſionem culpæ prius electos ad gloriam prædeſtinatos, deinde ad merita, tertio ad tot merita, quarto ad tantam gloriam, quinto præuiſum peccatum, ſexto præordinatum remedium, nempè Chriſti paſſionem, & per eam Sacramenta, ante quorum præordinationem, vt vides prædeſtinatio ad tot gradus ſupponitur, vt ſecundus etiam locus Scoti à Vulpe adductus ad rem non faciat.

316 Verum quid diuerticula in Scoti ſententia petimus, ſi appoſitè de hoc myſterio *littera C, d.7.q.3.dubio* 2. placitum ſuum aperiens tam dilucidè loquitur; vt nefas putem de eius ſententia dubitare? petens igitur ibi, an prius præuidebatur huic humanæ naturæ in Chriſto vnio ad Verbum, an ordo ad gloriam. Reſpondet. *Poteſt dici quod Deus 1. voluit alicui naturæ non ſummæ ſummam gloriam, oſtendens, quod non oporteret eum conferre gloriam ſecundum ordinem naturarum, & quod poſtea voluit naturam illam vniri Verbo*; Redditque ibi aſſerti huius rationem Scotus, quam toties *in 1. diſt.* 40. *&* 41. tradiderat quia ordo intentionis eſt ordini executionis contrarius, cum ergo in executione præintelligatur vnio ad ſummam gloriam? dicendum profectò in intentione contra euenisse, vt primo decreta illi fuerit ſumma gloria, ſecundo vnio ad Verbum: ne verò putes de gloria abſolutè locutum auctorem, & non de gradibus, obſerua particulam illam, *ſummam gloriam*, ſummus enim eſt gradus Chriſti gloriæ, & proinde de gradibus ibi, non de gloria abſolutè diſceptat auctor.

Apertiſſimum Scoti teſtimonium.

317 Atqui ex hac Scoti hoc modo doctrina explicata, quid ſecundæ dubitationi dicendum ſit liquet; probat enim Scoticum argumentum non minus ad gloriam ſuapte natura, quam ad tantam gloriam prius prædeſtinatam fuiſſe humanam naturam Chriſti, quam ad vnionem in hypoſtaſi, cum ordo intentionis ſit executioni contrarius, & facile etiam ex doctrina Scoti confirmari poteſt. Quandocunque duo diuerſa ſubordinantur, implicat æquè primo illa, & non vnum in ordine ad aliud præeligi, alioquin eſſent illa ſimul, & ſemel ſubordinata, & non ſubordinata, ſed beatitas ſũme, & vnio in hypoſtaſi quoquomodo ordinãtur nõ enim (vtar Scoti verbis) fuiſſet illi naturæ data tanta gloria, niſi fuiſſet vnita, ergo implicat æquè primo vtramque vnionem eſſe decretam.

Obiectio tollitur.

318 Quod ſi dicas hoc ipſo dilemmate oppoſitum concludi, quia ſi non fuiſſet data tanta gloria illi naturæ, niſi fuiſſet vnita; planè ſequitur gloriam in ordine ad vnionem, non autem vnionem in ordine ad gloriam fuiſſe volitam. Inſtantia leuis eſt tranſiens ab electione æterna ad executionem ordinis temporaneam, hinc neque ego, nec Scotus vnquam dixit non fuiſſe ab æterno electam tantam gloriam huic naturæ, niſi vt præuiſæ ad vnionem, quo ſenſu curreret inſtantia, ſed non fuiſſe datam, immò non dandam tantam gloriam, niſi fuiſſet vnita; quo genere loquendi haberi de opere iam exhibito ſermonẽ nemo non videt. In hac igitur parte, qua fuit mihi ſatis Scoti aperire ſenſum cum Thomiſtis non dimicabo, dicta in 1. *ſent.* vt certa ſupponens.

An Chriſtus prædeſt. ſit Dei filius

319 Tertium quod hoc loco incertum eſſe diximus aſt hoc pronunciatum Chri

ſtus

An Christus prædestinatus sit Dei filius.

stus prædestinatus est filius Dei, an videlicet sit verum, & hoc vnum sub vniuersæ disceptationis huius titulo petebamus; neque de re ipsa vllo modo altercamur, de qua hucusque supposuimus verè humanitatem Christi ad vnionem prædestinatam, & ad gloriam, ex qua hæc alia elicitur veritas, nimirum, quod Christus est prædestinatus filius Dei. Cæterum de veritate propositionis hæsitamus; illam profectò, vt è Pauli calamo manantem *Rom. 1.* vt veram concedere tenemur, at quo sensu, hoc opus, nisi cum Patribus Græcis malumus in Pauli propositione, verbum, *prædestinatum* pro declaratione sumere, vt sit sensus, *Qui prædestinatus est filius Dei*, hoc est, *qui declaratus est filius Dei ex virtute miraculorum, &c.*

Rom. 1.

Græcorū. PP. interpretatio.

320 Verum vulgatæ lectionis textu retento, verbumque ipsum *prædestinatum* in sua germana significatione retinendo: Non desunt, qui veritatem illius propositionis negant, *Christus prædestinatus est filius Dei, hic homo prædestinatus est filius* Dei, ita Petrus de Paludè, & Durandus, *d. 7. q. 3.* & ex Recentibus Lorca *disp. 85. num. 3.* Becanus *quæst. 2. c. 19.* Bonacina *q. 2. disp. 27. punct. 2. nu. 1.*

Opinio Paludani, Durādi, Lorcæ & Becani, & Bonacinæ.

321 Alij è contra de veritate illius nefas esse rentur dubitare, ita Thomistæ *3. p. quæst. 24. art. 1.* vbi Medina fusè, sed & Scotistæ omnes *in 3 sent. d. 7. q. 3.* id idē videntur asserere post Scotum ibi.

Opinio Thomist. & Scotistarum.

Recētiores cū Suarez *eo loco S. Thomæ cit.* Vasquezio *disp. 91. & disp. 32. sect. 2.* diuersū docēt ferendū esse iudiciū de hac propositione, *Christus prædinatus est filius* Dei, ac de ista, *iste homo prædestinatus est filius Dei*, & prioris quidem veritatem cōcedere verentur, posterioris verò nō ita.

Opinio Recentiorum Suarij. Vasquez Lugo.

322 Vniuersalis est de nomine, de cuius significato laborantes, toties in hac disceptatione de cōmunicatione Idiomatum diximus Christi nomen non esse naturæ, sed personæ in duplici natura subsistentis, quare cum in hoc mysterio humana desideretur persona, diuina dumtaxat in sua natura humanam sustinente humanæ ipsius gerente vices, cumque ex dictis in proprio tractatu nequeat vllo modo Deus, & quæ Dei sunt esse prædestinationis obiectum, sic consequenter, vt logicè hæc propositio, *Christus est prædestinatus filius Dei* concedi nequeat, in qua Christi nomen, quod personam diuinam innuit in duplici natura subsistentem inuoluitur pro subiecto, quod prædestinationis obiectum esse non potest; immò neque logicè concedi potest, propositio illa cum addito hoc, *secundum quod homo*, ita vt nec ista logicè sit vera, *Christus secundum quod homo est prædestinatus filius Dei*, in sensu reduplicatiuo in superioribus explicato, cum humanitas non sit vllo modo ratio, vt Christus sit prædestinatus filius Dei, nisi sensum reduplicatiuum cum Recentibus vsurpare velis, non pro ratione inhæsionis, sed pro ratione prædicationis, ita scilicet, vt licet humanitas non sit ratio, ob quam Christus sit prædestinatus filius Dei, dicatur tamen ratio ob quam prædicetur prædestinatio in filium Dei de Christo, qui sensus reduplicatiuus verè non est, vt diximus, sed potius specificatiuus.

Lis de nomine.

323 Cæterum de sensu specificatiuo hæc propositio, *Christus secundū, quod homo prædestinatus est filius* Dei, sensum facit huic æquipollentem *hic homo in Christo prædestinatus est filius Dei*, de cuius veritate mox dicā; quare hoc loco breuiter veritatē pronunciati huius logicè, nec Scotus nec nos probamus, *Christus prædestinatus est filius Dei*, sed cum generatim hæc propositio à Patribus, & Scolasticis enunciatur, veritatem ex capite venatur, quo sensum resolutum hoc modo gerit, *prædestinatum est, Christum hominem esse filium* Dei, vel hunc, *homo in Christo, præstinatus est filius* Dei. & in primo sensu, obiectum prædestinationis est totum complexum, ita, vt prædestinatio cadat in propositionem totam illam, *Christus homo est filius Dei*, in secundo sensu subiectum propositionis quod est prædestinationis obiectum est humanitas ipsa in atomo, non persona Christi humanitatem sustinens.

Christus secundum quod homo est prædestinatus filius Dei, quomodo verum.

324 Verum hæ propositiones *Iesus est prædestinatus filius Dei, hic homo prædestinatus est filius Dei*, nulla ratione negari possunt, quoniam, neque nomen *Iesu*, neque pronomen demonstratiuum, *hic* directè personalitatem inuoluunt, est siquidem illud nomen huius hominis proprium, hoc autem pronomen indiuidui, non personæ, aut suppositi indicatiuum, vt toties dixi, satis à Christi nomine diuersum, quod primo, & for-

Iesus prædestinatus est filius Dei propositio vera.

malicat suppositum denotata ostendi.

Instantia ex Scoto reijcitur. 325 Quod si dicas, Scotum, ne dum ad illum hominem, sed ad personam Christi præcessisse prædestinationem docere, & obinde concedi ab eo veritatem huius effati logicè *Christus est prædestinatus filius Dei*, ait enim in *solut. 2. primi argumenti quod, sicut formaliter ille homo est Deus, ita secundum illum hominem, & personam existentem in humana natura præcessit prædestinatio, vt esset Deus*, quare ex ipso Christus, qui est persona in illa natura humana, prædestinatus est, vt esset Deus; Respondeo in primis Scotum problamaticè locutum, vt probatur; tum ex multiplici responsione, quam vnico argumento apponit; tripliciter enim ad illum primum vel leue argumentum respondet, vt patet in littera, tum ex modo loquendi; ait enim ad primum argumentum, *potest concedi &c.* & post pauca. *Alio modo potest distingui, &c.* demum addit. *Tertio modo potest dici, & melius, &c.* ex quibus habes apertè problematicum Scoti dicendi genus, ac penè dubitatiuum. Rursum respondeo, quamuis, tam hominem, quam personam, vt in humana natura existentem præcessisse prædestinatio, vt esset Deus, dicatur, id tamen intelligendum est complexè hoc modo vt sit sensus, præcessit prædestinatio, vt illa homo, qui dicitur Christus, seu persona subsistens in illa natura, esset Deus, seu filius Dei, quo modo Scoti sententia explicata in secunda responsione non est à se ipso in tertia contraria, quia sub extremis quæsiti verbis concludit, quod propriè logicè loquendo, neque secundum quod homo, neque secundum quod Deus prædestinatus est filius Dei.

Scoti responsum anceps.

Fabri lapsus in via Scoti. 326 Hinc patet Fabrum labi *disp. 2. 9. cap. 2. num. 15.* asserentem, tertium illum modum non multum Scoto probari, quo negatur. *Christus secundum quod homo, aut secundum quod Deus prædestinatus filius Dei*, ex eo quod habet particulam dubitantem, *fortè*, labi inquam patet, quia particulam illam non ad responsũ sed ad realitatem responsi refere, ait enim *tertio modo potest dici, & fortè melius, &c.* ex quibus habes contra Fabrum Scoto visum potius melius tertium, quod primum, ac secundum responsum, quamuis tenera nullum ex cerebro Scoti, dum in singulis problematicis vtitur terminis, sed hoc certum est, quod si quem respondendi probaret Scotus modum, probaret tertium, qui fuisse videbatur realior; quare videtur ex his dicendum rigorosè propositionem illam *Christus est prædestinatus filius Dei*, non esse logicè concedendam, sicut nec illam, *Christus secundum quod homo prædestinatus est filius Dei*, nisi in sensu specificatiuo, qui est, quem supra expressimus.

Ex Scoto opiniones traxere Recentes. 327 Nec diuersimoda loquũtur Nostrates cum Fabio *loco citato*, & Vulpes *tom. 2. primæ partis disp. 37. art. 2.* vt alios Antiquiores mittam; immo Recentiores citati hanc ipsam doctrinam ex Scoto sic declarato videntur expressè depropsisse, dum hanc *Christus prædestinatus est filius Dei* rigorosè negant, illam verò, *hic homo prædestinatus est filius Dei* concedunt, quoniam nihil præter hæc Scotus docet.

Auctores primæ sententiæ cum Palud. ac Durando & Lorca refelluntur. 328 Auctores autem primæ sententiæ, qui simpliciter vtrumque negarunt, præter auctoritatem Pauli *1. cap. ad Rom.* vbi dilucidè Christum, ait, prædestinatum esse filium Dei, hac ratione vrgentur. Nihil est in tempore eueniens, quod esse habuerit ab æterno, non quidem in reali existentia, vt Thomistæ putarunt, sed in diuina voluntate, ac decreto iuxta illud Pauli Rom. 8. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret*, at in tempore Christi humanitas vnita est Deo, cuius merito homo illa, qui dicitur Iesus, dicitur Christus, dicitur Deus; ergo hæc vnio humanitatis ad Verbum, vtique à Deo prædestinata fuit ab æterno, & vteius merito ille homo diceretur Deus, ergo ille homo prædestinatus est esse filius Dei; nec enim vana est appellatio, vbi ex communicatione idiomatum prædicata veritatem ex nexu naturarum habent, nec enim Deus nomine fine re, sed nomine ob rem ipsam nos ditat, iuxta illud Ioannis, *Vt filij Dei nominemur, & simus* ex quo confirmans dilemma confi... poteris; quod si Deus in vnione gratiæ nos suos nominat, facitque filios, & obinde tales nos ab æterno prædestinauit, vtique multò magis in vnione hypostatica ho-

Rom. 8.

Ioannis Epist.

minem illum prædestinauit in Dei filium.

Aduersarij quid opponerent.

329 Nescio quid in hoc argumento displicere posset Durando, Paludano, Becano, & alijs primæ sententiæ assertoribus, nisi terminus ille, *hic homo*, qui suppositationem, vel personalitatem videtur obuoluere, atqui toties decantatum est in alijs ab hoc mysterio, in quibus nequit personalitas ab indiuiduitate segregari, responsum admitti, hic autem non ita, vbi desiderata propria personalitate indiuidua hominis Christi natura rectissimè hoc termino, *hic homo*, exprimitur.

Alia instantia leuior.

330 At (inquiunt illi) ad veritatem propositionis necessum est, quoquo modo saltem natura, sin minus tempore subiectum præire, vel saltem præintelligi prædicato; in hac autem propositione, *hic homo prædestinatus est filius Dei*, subiectum, quod est, *hic homo*, *filium Dei*, qui est prædicatum, aut præire, aut præintelligi impossibile est: Verum hæc instantia, si generatim de quacunque prædicatione vrgeatur, falsa est, cum in prædicationibus essentialibus è conuerso res se habeat, vt dicendo, *homo est animal*, tam falsum est, hominem aut præ re, aut præintelligi ad animal, quàm falsum est, speciem esse priorem genere: non equidem inficior in prædicationibus accidentium, subiectum esse prædicato quoquomodo prius saltem natura, sed neque in hoc mysterio prædicationes verè accidentales dici possunt, sicuti nec ipsa vnio, aut penè substantialis, aut purè accidentalis appellari potest, nullum habens simile in creatis appositum exemplum, quin ex parte ad eius enucleationem deficiat, neque obinde necessum est in hac prædicatione, *hic homo prædestinatus est filius* Dei, hominē præire, aut præintelligi filio Dei, qui in hac propositione nō est absolutè prædicatū sed prædicatū eius verū est totū hoc, *prædestinatus filius Dei*; quo sensu si vrgeāt difficultatē Aduersarij, quasi verò id quod prædestinatur quoquomodo intelligatur esse antequam prædestinetur, dicendum, quod sat est, posse esse sine prędestinatione, quod prędestinatur, & vagè saltem præintelligi ad prædestinationem, non autem distinctè, indiuidualiter, aut suppositaliter præire, aut præintelligi ad prædestinationē; nisi nostro modo concipiendi apud Deum, quo etiam modo effamur nos in diuinis originibus in Verbi origine, dicentes Verbum fieri Deum; similiter in spiratione amoris Diuini, eum orem fieri Deum, cum tamen nec Verbum, nec amor Deum præeat, vel Deo præintelligatur, sed ex nostro modo loquendi, aut concipiendi in eum modum effata pronunciamus.

Non igitur necessum est, id quod prædestinatur re prædestinationem antreire (si illius prædestinationis prędicatum sit totum illud complexum, *prædestinatus filius Dei*) nisi modo explicato, at si prædicatum illius sit *filius Dei*, & *prædestinatus* retineat ex parte subiecti, assumpta ab aduersarijs propositio quod scilicet subiectum tunc debeat præire, aut præintelligi ad prædicatum falsissima est, sicut in hac propositione patet, *homo prædestinatus est ad gloriam*, in qua gloria omnimodè hominem pręit, quippequæ ab æterno fuit, homo autem ex tempore, & ab æterno primus Dei actus intelligitur à nobis essentialis, & beatificus; deinde cæteri actus eius, vel notionales, vel volentes ad extra.

Bonacina insurgit

Sed facili labore reijcitur.

331 Audio Recentes cum Bonacina *loco citato*, saltem oportere in hisce prædicationibus de prędestinatione obiectum ipsum prædestinationis, quod est subiectum prædicationis, non includere in sua formali ratione prædicetum, ex eo enim cepite hæc propositio conceditur *homo est prædestinatus ad gloriam*, & ex eo hęc negatur, *homo prædestinatus ad Animam rationalem*, quia in prima propositione, *homo*, non includit in sua ratione formali prædicetum, quod est *gloria*, in secunda verò includit prędicetum, quod est *Anima rationalis*, atqui huius propositionis, *hic homo prædestinatus est filius Dei*, subiectum, quod est *hic homo*, in sua formali ratione includit filium Dei, quid enim aliud significat, *hic homo*, nisi suppositum in hac humana natura subsistens? & quod suppositum in hac natura subsistit, nisi diuinum? Verum hęc ratio minore negata corruit, distinctionem non agnoscente inter humanæ naturæ indiuiduū, & suppositum, cum tamen pręcipuè secun-

ſecundũ aduerſarios ſuppoſitatio negatione, indiuidualitas poſitiuo comp étur, & ſecundum oos etiam poſitiuũ in perſonalitate concedentes laté diſferant hæccitas, & ſuppoſitatio, vt alibi dictum eſt, quare ſubiectum illius propoſitionis, quod eſt, *hic homo*, non pro diuino ſuppoſito, ſed pro ipſo humanæ naturæ indiuiduo ſumptum Bonacinæ laborem deſtruit, & noſtram confirmat ſententiam concedentem hanc propoſitionem, *hic homo eſt prædeſtinatus filius Dei*, veriorem, quam iſta, *Chriſtus prædeſtinatus eſt filius* Dei.

Varia explicatio verior Pauli Rom. 1.

332 Quid ergo dicendum auctoritati Pauli *Rom. 1.* propoſitionem ipſam concedenti, *Chriſtus prædeſtinatus eſt filius Dei?* Eius effati plures interpretationes reperies, quam verba, quæ de re videre poteris Recentiores commentatios in *Epiſtolam Pauli ad Rom.* & præcipuè Maldonatum, & Medinam *loco citato.*

Maldonatus Medina.

333 Mihi maximopere arridet litteralis ipſa explicatio. Ait Apoſtolus, *quod antè promiſerat in ſcripturis per Prophetas de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.* In hac auctoritate, dum de prædeſtinatione fit mentio non fit Chriſti ſub proprio nomine memoria, ſed ſub nomine filij Dei, non qua filius Dei, ſed qua ex ſemine David carnem ſumpſit, ſecundum quam conſiderationem prædeſtinatus eſt filius Dei in Virtute, vt ſit verborum ſenſus. *Paulus Apoſtolus electus ad prædicandum Euangelium Dei gentibus, prout de filio ſuo per Prophetas prædixerat Deus, qui filius Dei factus homo ex ſemine David Vnitus Deo* (hoc enim indicat Verbum illud, *factus eſt ei*, ſcilicet factus homo remanſit Deus, eſt enim quaſi datiuus acquiſitionis humanæ naturæ ad vnionem hypoſtaticam Verbi) *ſed, & hic homo prædeſtinatus eſt filius Dei, ſeu decretus eſt ad hanc vnionem in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, & ex reſurrectione mortuorum; hoc eſt, ad hoc, vt virtutes exerceret miraculorum, & præcipuè ſanctificande, ac viuos euocando mortuos, Ieſu Chriſti Domini Noſtri*, ideſt mortuos illos, qui futuri erant ſectatores Chriſti, eſt enim genitiuus poſſeſſionis, & vera, quos ad vitam Chriſtus euocauit, non minus ad caducam, quam ad æternam euocauit, quos enim ſurgere iuſſit mortuos, hos æterna etiam fœlicitate donauit, vt communiter cenſent Patres.

Expoſitio auctoris.

Senſus verborum Pauli.

334 Atqui ſecundum hanc explanationem, quæ planè ex litteræ valuia minime egreditur; auctoritas conſtruit melius, quam deſtruit ſententiam noſtram, qua hunc hominem è ſemine David filium Dei prædeſtinatum fatemur, quia, quem nos veremur concedere prædeſtinatum apertè ſub nomine Chriſti, & Paulus ſub nomine filij ſui, loquens de Deo, vt factum hominem ex ſemine David ſecundum carnem, prædeſtinatum ait.

335 Quod ſi interpretatio hæc non arrideat, non improbo Patrum Græcorum interpretationem, quippe quæ Pauli ſenſum maximopere redolere videtur, ſecundum quam verbum, *prædeſtinatus*, pro manifeſtatione, ſeu declaratione vſurpatur, vt ſit verborum illorum propoſitum, ac intentio, *filium Dei factum hominem ex ſemine David, cognitum fuiſſe Deum ex virtute, ex ſanctificationis Spiritu, ex reſurrectione mortuorum*; quæ expoſitio tum omnem ab illa auctoritate ambiguitatem, tum maximè locutionis Pauli ſuſpicatam ſaltem incongruitatem eneruare videtur; etenim, ſi prædeſtinationis nomen ſtrictiori ſignificato à Paulo pro præordinatione ſumatur, obſecro, quem nam ſenſum ſine incongruitatis nota verba hæc patiuntur; *filius Dei factus homo ex ſemine David ſecundum carnem prædeſtinatus eſt filius* Dei? nam ſi filius Dei eſt, quomodo prædeſtinatus? & rurſum, quomodo prædeſtinatus filius Dei? & iterum, vt quid in virtute per Spiritum Sanctificationis & ex reſurrectione mortuorũ Ieſu Chriſti? certè huiuſcemodi locutionis genus nullũ nõ incongruũ pati videtur ſenſũ niſi quem ſupra præſtitimus; conſonat etiã græcum vocabulum *oriζo*, loco, *prædeſtinati*, poſitum, quod latinè redditum definite ſignificat, quaſi verò Pauli ſententia fuerit, Chriſtum hominem definitum Dei filium ex virtute, ſed & hoc verbum *definire*, quod quoquo modo deſtinare, vel determinare innuit, declarare etiam, ſeu manifeſtare ſignificat.

Græcorũ principium interpretatio comendatur.

prædeſtinatio pro manifeſtatione.

Opiſco-

Verum

Verum sentias non laberis, sed nec lapsum timebis, dum pro vtroque sensu, non contemnendæ auctoritatis viros sequeris, quos consule apud Recentes, præsertim verò apud Vasqueaium *disp.* 90. *cap.*c. & hæc de dubitatione præsenti, nunc ad citeriora progrediamur.

Vide Vasquez.

Quarta dubitatio præcipua capitis. An Christus sit nostræ electionis exemplar.

336 Quarta sub initio capitis postulatio fuit, an Christi prædestinatio sit nostræ electionis exemplar. Hæc directè ad causas electionis nostræ reuocanda est, in præsenti pro loci facultate breuiter exigenda: petit autem generatim, quo genere causæ electio Christi sit nostræ electionis causa.

Opinio Aluarez Suarezij Vasquezij. Alarconis. Lugo Bonacina Erice Ruiuij Durandi Alensis Thoma Medina

337 Vno quasi ore Recentes Christi Domini electionem aiunt esse electionis nostræ causam in triplici genere causæ, exemplaris videlicet quod alio nomine formale vocant, efficientis, & finalis; ita Aluarez *disp.* 39. *de auxilijs* cum cæteris Thomistis, à quibus modicum dissentiunt Suarez 3.*p.tom.*c. *disp.* 41. *sect.*2. & *lib.* 2. *de causis prædestinationis cap.* 21. Vasquez *disp.* 94. *cap.* 2. Alarcon *tract.* 4. *de prædestinatione cap.* 5. Ioannes à Lugo *disp.* 27. *sect.* 3. Bonacina *quæst.* 2. *disp.* 17 *puncto* 4. Erice *disp* 29. *cap.* 1. Ruinius, & alij post Sanctum Thomam in 3. *sent. dist.* 10. *quæstiuncula* 3. Durandum, & alios, quos refert Medina, & post prolixam ambiguitatem sequitur 3. *p. Sancti Thomæ, quæst.* 24. *in commentar. artic.* 24. quamuis alias oppositum se sensisse fateatur.

Recentiorum dist. de electione, & dilectione.

358 Recentes tamen supra citati cautè incedentes prædestinationem partiuntur in dilectionem, & electionem, ita, vt dilectio sit tantum quædam communis prædestinatorum electio, non segregans electionem, seu dilectionem electorum à non dilectis, vel clarius, dum aliquis præ alio eligitur hic verè eligitur, estque vera electio, dum verò pro omnibus meritum æqualiter offertur], tunc est dilectio, at nunc verò, numquid electio Christi sit nostræ electionis causa, an tantum dilectionis, digladiantur Recentes.

Opinio Suarezij

359 Franciscus Suarez *locis supra citatis* concedit vtique Christum prædestinationis nostræ causam sub ratione dilectionis, ac sub ratione electionis negat; etenim Christus in æternitate electus, æquè pro omnibus passionem suam obtulit Patri, virtute cuius inperscrutabili iudicio suo Deus elegit, quos voluit.

Opinio Vasquij

Contra Vasquezius *disp.* 94. vtroque modo Christum tenet prædestinationis nostræ causam, & sub ratione dilectionis, & sub ratione electionis. Suarezium sequitur Bonacina *loco citato* Vasqueaium Alarcon, verè Vasquezista, qui, & ipsi Vasquezio ab humanis erepto, opus suum Theologicum dicat, Ioannes à Lugo, Ruius, & alij.

Alarcon Vasquezista.

Opinio Capreoli Ferrariensis Ruardi Driedonis.

360 Contra alij non spernendæ auctoritatis Theologi vtroque modo Christum negant electionis nostræ causam, & sub ratione electionis, & sub ratione dilectionis, dum nulla Christi merita ad nostram electionem referunt, ita Capreolus in 3. *dist.* 18. *q. vnica* Ferrariensis 4. *contra gentes cap.* 55. Ruardus Tapper, Driedo, & alij plures, quibus Vulpes noster *disp.* 38 *art* 8. admiscet Medinam 3.*p.q.* 19.*art.* 4. *in solut.* 4. *dub.* apud me tamen Medina ibi negat ad summũ Christum potuisse esse causam volitionis diuinæ, quia ex eo sequitur; quod sit causa diuinitatis, nec obinde dici posse, nos amari æternaliter à Deo, quia amatur Christus, licet concedendum sit nos amari propter Christum. Verum quicquid sit de Medina ibi, certè *q.* 24. *in fin. art. vltimi* profitetur, se re melius inspecta sententiam mutasse, & exinde docet, quod si prædestinatio generatim sumatur, prout Christi etiã electionem includit, non potest Christi prædestinatio esse causa electionis nostræ, quę ad solam diuinæ voluntatis rationem reuocanda est; si verò prædestinatio præcisè sumatur, vt à prædestinatione Christi distincta; Christi electionem vocat meritoriam prædestinationis causam.

Opinio Medinæ perperam citati à Vulpe.

Hoc idem sensit Vulpes *disp. citata num.* 7. licet mutatis verbis; æstimans, Christum non excirisse pręlestinationis totius corporis mystici causam, sed solum causam pręlestinationis membrorum corporis sub capite Christo.

Opinio Vulpes.

Dissensus Fabri, & Vulpis de mente Scoti.

361 Quid Scotus senserit; non facilè diaeris; si Vulpes legatur, & Faber hic enim in 3. *disp.* 48. *c.* 2. Scotum putat negasse Christum fuisse electionis nostræ causam. Vulpes autem è contra enixè con-

tendit Scotum in Suarezij, vel Vasque zij opinionem trahere. Res alibi longiori tramite discutienda est, hoc loco dixerim tantum, rectius Scoti mentem à Fabro, quam à Vulpe perceptam, quippequi scolas nostras Suarezizare melius docet, quam Scotizare. Enimuero Scotus tam dilucidè *in 3. dist. 19. littera A.* ordinem in Diuina prædestinatione præscribens, & *litt.C.in solut. e.* tam patenter edocet, prædestinationē electorū minimè à Christi merito pēdā, vt de mente illius dubitare, voluntariū sit omnino; neque audiēdus est Vulpes Scotum interpretatus de meritis passionis, non autem de cæteris meritis: rogo enim quid per merita passionis intelligat? merita ne passionis Christi strictè, nempè mortis illius, an verò merita Christi passibilis? vtcunque intelliget, perpetim vera est sententia Scoti, hæc omnia post lapsus præuisionem præuisa, & post præuisionem lapsus decreta, neque aliud decretum de Christi meritis antè hoc intercedere potuit, quia non dum erat decretum, an Christus in passibili carne, an verò in impassibili esset venturus; hic enim à Scoto statuitur ordo, vt primo Deus intellexerit se sub ratione summi boni, in secundo intellexerit creaturas, In tertio prædestinauerit quos voluit ad gloriam, & gratiam, in quarto præuiderit humanū genus in Adamo casurum, in quinto prouiderit de medela, Christi passionē decernendo; quo ordine, quis non videt, Christum ad gloriam, & ad gratiam electum cum cæteris in tertio signo? licet aliqua prioritate prædestinatio ad Christum prius, quam ad cæteros fuerit terminata, tanquam ad prædestinatorum caput, & Principem: in hoc autem decreto, seù tertio signo inuoluere decretum de Christi meritis, violentum est in via Scoti, nam hæc merita aut eo signo decernebantur, aut non decernebantur, si secundum non dissentimus, si primum, ergò, inquam, infallibiliter merita illa exhibenda erant in tempore, sicuti decernebantur in illo signo, quia decretum Dei irritari non potest; atqui tunc peto, quomodo decernebantur exhibenda à Christo? numquid in carnè passibili, an verò impassibili? vtrumque eludimus, dum decretum illud simpliciter ad solum Christi aduentum, seù ad prædestinationem eius terminatum *disputatione illa de necessitate Incarnationis* ostēdimus, dum pateremus an Christus Adamo non peccante aduenturus fuisset.

Faber Scotizat melius Vulpes Suarezizat.

Arguitur Vulpes.

362 Quare supponendum hac in re aliud esse loqui de facto, aliud de possibili. & de possibili quidem, non vereor asserere, quod nisi peccasset Adamus, stante Scoti opinione de futuro Christi aduentu, electi prædestinati fuissent ob merita Christi futuri, non ità quidem, vt hæc essent in causa prædestinationis absolutè, sed ad prædestinationis complementum, hoc est fuisse reor, vt nisi in quarto signo præuisus fuisset Adamus dilapsurus eodem signo decerneret Deus *electis ijs in tertio signo daturum se* gratiam, & media illa ad gloriam assequendam intuitu meritorum Christi, quod decretum, vt vides, non ad prædestinationem secundum se, sed ad complementum illius, seù ad electorum executionem, & ad modum consequendi eff. ctus prædestinationis euoluitur; cæterum prædestinationis secundum se, causam meritoriam futurum fuisse Christum nisi peccasset Adamus, nullam video necessitatem asserendi, non solum actum ipsum Dei volentis æternum spectando, de quo, vt aiebat Medina, tam certum est, non posse dari causam meritoriam, quam certum est Deum ad esse sui causam meritoriam habere non posse, ille siquidem actus est ipsemet Deus; sed etiam terminationem actus illius ad obiecta contemplando, de quo plena est scripturarum sacra pagina, opus vniuersum ex libera Dei voluntate manasse: lege Scotum *in 2. dist. 20. littera D*, vbi docet, quod si innocentiæ status perstitisset, hoc est, si non peccasset Adamus, donum iustitiæ originalis, ex mera Dei liberalitate fluxisset, quia, quod congruit toti naturæ non datur vni indiuiduo propter aliud, seù mediatore alio, aut per meritum illius; quāquam autem appositè de solis parentum meritis ibi loquatur Scotus, certè dum generatim constituit donum vniuersæ naturæ congruum vni indiuiduo propter alterius meritum non dari, nullum planè indiuiduum videtur excludere, quod vtique facere tenebatur, si

Chri-

Christi meritum Adamo non peccante causam meritoriam electionis eius, & iustitiæ originalis dandæ illi fore credidisset.

363 Cæterum de facto secus Philosophandum est, quoniam cum Christus in carne passibili aduenerit, lapsus Adamici iacturam restauraturus, vtique passio, eiusque merita ratio fuerunt elargiendi nobis gratiam reconciliantem, & remittendi nobis offensã; minimè verò causam absolutè nostræ prædestinationis ab æterno, quippeque tertio signo facta est, & Christi passionis decretum sub quinto signo comprehendebatur.

Non auditur Vulpes.

364 Neque audiendus est Vulpes asserens, per alia Christi merita, electionem prædestinatorum factam, nam hoc superius elusimus; sed nec audiendus est distinctionem electionis à dilectione faciens, penes prædestinationem in via Scoti, quam distinctionem non à Scoto, sed à Suarezio, & Vasquezio mutuauit Vulpes; quamuis enim Scotus in 3. dist. 32. distinctionem dilectionis ab electione in medium proferat, quia dilectio latius petet, quam electio, nedum, quia Deus diligit se primo; nec tamen se eligit, sed etiam, quia in creatis tam diligit facienda, quam possibilia, quæ nunquam erunt, licet illa dilectione efficaci, hæc verò volitione complacentiæ non efficaci, neque tamen eligat singula facienda: hæc tamen distinctio dilectionis ab electione in prædestinatione electorum vel nulla est, vel si qua est, dilectio ad summum designabit volitionem quandam Dei generalem, qua vult omnes homines saluos fieri, electio autem efficacem electorum prædestinationem; si dicatur quod nulla est, consonat doctrinæ Pauli Rom. 8. *Cum nondum nati fuissent, vt secundum electionem propositum Dei maneret* (en tibi electionis vocabulum) *non ex operibus, sed ex vocante dictum est Iacob dilexi &c.* (en tibi dilectionis nomen) quod vel est cum electione idem secundum Paulum, vel alterum alterius corollarium: si dilectio volitionem quandam generalem designet; hæc planè efficax non est, neque proinde ea dumtaxat supposita infallibiliter sequitur effectus, alioquin cum Deus diligat omnes, velitque omnes saluos fieri, omnes infallibiliter saluarentur: ergo ex hic ineptè satis colligit Vulpes pro Scoto, Christum esse causam meritoriam dilectionis, & non electionis; nam, vel dilectionem efficacem intelligit, vel non efficacem, si inefficacem, ergo per ipsum merita Christi non fuerunt ad illam efficacia, cum nec ipsa dilectio hoc modo sit efficax, implicat enim aliquod esse meritum respectu alicuius efficax, quod ex inde inefficax est, ex quo enim non infallibiliter sequitur effectus, inefficax vocatur ad effectum illum decretum; sic Christi passio, quamquam seruare potuit Iudam, inefficax tamen ad Iudam seruandum dicta est, non ex suimet defectu, sed ab effectu, quia s. non est seruatus Iudas, & à decreto de Iuda seruando, quod non fuit efficax; si dilectionem efficacem intelligit, hæc vti diximus in prædestinatione, vel est eadem cum electione, vel est electionis causa, quare, si merita Christi sunt causa dilectionis hoc sensu, pariter & electionis; quia *quod est causa causæ est causa causati* ex physicis.

Rom. 8.

Loca Scoti à Vulpe inspecta.

366 Sed audiamus, quæ pro sua Vulpes sententia Scoti loca proferat. Scotus in 4. *dist.* 45. *q.* 4. *littera* X. clarè docet orationem esse opus valde meritorium & impetratorium. Secundo in 3. *d.* 13. *q.* 2. *littera H.* dicit Scotus, se in commendando Christum malle excedere, quam deficere a laude sibi debita, si per ignorantiam oportet in alterum incidere, et maximè cedit in Christi gloriam asserere ipsum meruisse nobis electionem ad gloriam, ergo id in Scoti doctrina dicendum, eo magis, quo ibi Scotus adducit Augustini auctoritatem 3. *de libr. arb.* dicentis, *quidquid tibi vera ratione melius occurrit, scias hoc Deũ fecisse magis, quã nõ fecisse in Christi humanitate.* Tertio ex Scoto, etsi Adamus non peccasset, humanatus fuisset Deus in 3. *d.* 7. *q.* 3. nõ equidẽ vt Redẽptor, sed vt Glorificator ergo verè Scotus putauit, Christum independenter à passione nobis gloriam meruisse: & confirmatur; quia aduenisset cum summa gratia ex vi vnionis; at summum in gratia creatur à Deo, vt influat secundum esse gratiæ in inferiora, ex Scoto in 3. *d.* 13. *q.* 2. *ad* 3.

Augustinus 3. de lib. arb.

367 Hæc sunt Scoti loca, quæ refert *Occurritur Vul-*

Occurritur Vulpi.

Vulpes, vt Scotum doceat [illegible] Christi non fuisse causam nostrae electionis ad gloriam, sed quam voluntariè & extortè, id est [illegible], ambo se, occurrendo primae authoritati, respondendo eam, orationem Stephani maximè impetratoriam fuisse pro Paulo, non meritoriam iuxta illud Augustini: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Dei Paulum non haberet*; ergo Stephanus fuit causa electionis Pauli meritoria; insuper omnes Iustorum operationes ex gratia elicitae meritoriae sunt, ergo causae sunt electionis aeternae, si quidem tam voluntaria est, quam [illegible], est ergo ex Scoto bonum opus & oratio impetratorium, ac meritorium, si elicitur ex gratia, sed non electionis aeternae, quae ex Scoto *in 1. dist. 41. & in 3. dist.* [illegible] est mere gratuitum à Deo liberè datum, & non ex causa. Secunda Scoti authoritas est apposita ad intelligendam summam in Christo gratiam, quia melius est commendando Christum excedere, quam deficere; sed non tantum debet esse excessus, quo deficiatur à laude Dei; & eius commendatione, potissimè in hoc commendatur magis diuina potestas, & gratuita voluntas, quod quos voluit ex se elegit, non ex alterius merito.

Adde, id à Scoto tradi, quando oportet incidere, vel in defectum, vel in excessum; & in casu nostro non est, quia non incidimus in defectum. Et consimili modo authoritatem Augustini interpretabor, & vt etiam concedo, vbi tamen in commendanda Dei potestate non deficiatur. Adde etiam concedo Scoti mentem esse futurum fuisse, vt adhuc non peccante Adamo veniret Christus non vt Redemptor; sic enim docet ibi, in 3. dist. 7. q. 3. dicens, licet, quod [illegible] esset vt glorificaretur, non habet ibi Scotus; si autem alicubi id habet, nihil ad rem; quia concedo futurum fuisse, vt per Christum haberemus in executione gloriam, at in electione Christum causam fuisse eius, nec tangit Scotus, nec probat deducta ex eius authoritate ratio, cuius sequela [illegible] negatur de electione, [illegible] gloriae conceditur, sed ad rem nihil facit; & hoc idem confirmatio probat; quae propter ea [illegible] mitter [illegible]. Adde etiam rationem, quae in confirmatione de possibilitate potius, quàm de facto loqui, vt supra monuimus.

360 Haec igitur Scoti loca minimè ad rem facientia haud quaquam tanti facienda erant à Vulpe, vt Fabrum nostrum putaret tam acri censura plectendum, asserens Fabrum opinionem improbabilem, immò & suspectam propugnasse; haec enim sunt Vulpis verba numero [illegible]. *Caeterùm admitterem fuisse per meritum secundi generis* (hoc est, vt paulo antè ipsemet expresserat, per gratiam fundata in alijs actibus, tam portionis superioris, quam inferioris praescindendo à carne passibili) *non tamen probabile est, & rationi consentaneum; verum etiam est* [illegible] *adeò certa in fide, vt oppositum nimis suspectum iudicare non sit verendum.* Haec Vulpes, quibus [illegible] Faber, vt improbabilem, & rationi non consentaneam, immò, vt veritati fidei repugnantem, & propterea suspectam secutus opinionem reprehenditur.

Vulpis censura in Fabrũ

Verba Vulpis.

361 Condonandum est tamen Vulpi, quod ex eorum fonte, è quo doctrinam ebibit, licentiam, et conuiciandi libertatem exercet. Planè si Scotus [illegible] que asseclae Faber, sensisset cum Thomistis, Christum post peccati praeuisionem electum, magis consequenter dicendum erat eius electionem Christi electionis aliorum meritoriam fuisse causam; non enim antè praeuisionem peccati cuiusuis facta conferri potest electio, electione Christi nondum facta, qui secundum Paulum est Electorum primogenitus, qui exinde primogenitus in multis fratribus nuncupatur; & de quo, secundum Danielem in Psalmo, *In capite libri scriptum est*, quibus verbis haud dubiè locutum de Christo Prophetam fatentur Interpretes; sed quia post Scotum Faber electionem praedestinatorum antè lapsus Adamici praeuisionem constituit factam, facile consequenter nullam ad illorum electionem praerequisitam meritoriam causam confessus est.

Reprehenditur Vulpes.

Psal.

362 Egregiè tamen labitur Vulpes, dum de merito Christi in alijs actibus, praecisa passione, loquitur: quis enim in Scoti doctrina paululum versatus illec inficias, Christum per actus portionis

Lapsus Vulpis

inferioris, non præcisa tamen passione meruisse? immo, & per actus portionis superioris, quamuis de hac maior vigeat difficultas, vt Scotus ipse monuit in 3. dist. 18. loquens de Christi merito, immò & per eos actus beatitudinem alijs meruisse Doctor ipse notauit *loco citato littera* G, Sed quid hæc cum electione æterna ad gloriam? Magnus hic est ab electione ad assecutionem, ab æternitate ad tempus, immò, & à possibilitate ad factum transitus; certè per actus illos meruisse Christum cum Scoto confiteor, at meruisse per illos præscindentes à carne passibili, non patior libenter; quoniam verè Christus illos sub carne passibili elicuit: quod si de electione loquatur, iam dixi in tertio illo signo apud Scotum nec verbum quidem de Christi meritis, dū totum illud in ipsa Dei eligentis prædestinatione completum est, præscindendo à cuiuscunque merito, vel demerito: sed Vulpes tertium illud signū in plura signa partitus est, vt patet apud ipsum *num.* 6. Potuit tamen ex cerebro partiri, sed non ex Scoto, cuius doctrinam vindicare confictа signorum multiplicitate contendit.

Commendatur Faber.

370 Breuiter adhæreo Fabro neganti post Scotum æternam Prædestinatorum electionem vllam habuisse meritoriā causam, tam in ipsis electis, quam in Christo, loquendo de electione ad gloriam, licet de assecutione contra senserit, quia gratia, & gloria, Doctore Paulo, per Iesum Christum data est; neque ipsam dumtaxat electionem spectо secundum se, quatenus actus est diuinæ voluntatis æternus, sed quatenus etiam ad obiecta æternaliter terminatur, ita vt terminationis actus illius ab æterno ad obiecta prædestinata nullam agnoscam meritoriam causam, hæc enim videtur perpetua Pauli sententia, tum Ephes. 1. quo nos vocat sorte prædestinatos secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium suæ voluntatis; tum Rom. 8. & 9. quibus nullam causam genericè præter diuinam voluntatem eligentem in prædestinatorum electione cognoscit.

Ephes. 1.

Rom. 8. & 9.

Recentiorum obiectio nulla

371 Nec est satis cum Recentibus occurrere, Paulum de prædestinatione sub ratione electionis, non autem sub dilectionis ratione locutum, cum hæc responsio, ac distinctio superius exposita, responsionem ipsam retorqueat. Et hæc Fabri, immò, & Scoti positio ijs firmatur argumentis, quæ nullam agnoscentia prædestinationis causam *in 1. sent.* attulimus, hoc loco Scoti doctrinam in medium constituisse satis, vt ex ipsa contra Scotistae Scotum ipsum arbitratu suo detorquentes, quispiam Fabri sectator fabrefaciat pro eo iaculum, illud præcipuè, quod ex Scoto prædestinatorum electio simul facta est iuxta Doctoris signa, tum *in* 1. *d.* 41. tum *in* 3. *d.* 17. *quæst.* 3. & rursum *d.* 19. *quæst. vnica*, quamuis diuinæ voluntatis æternus actus ex doctrina Scoti *d.* 7. *quæst.* 3. *littera B.* primo ad Christum intelligatur terminatus, quia ordinatè volens, sicuti vult prius finem, quam media ad finem, ita prius vult illud, quod est fini propinquius; Christus autem est fini propinquior, quarè inter cæteros prædestinatos diuinæ voluntatis actus prius intelligitur terminatus ad Christum, quam ad cæteros, quia Christus est omnium caput: nec exinde putandum est prædestinationis Christi completa, seu terminato diuinæ voluntatis eligentis actu ad Christum, mediare alia signa, quibus merita Christi præintelligantur & decernantur, & ad sequentem eligendorum prædestinationem applicentur, vt Aduersarij tentant, nullum in electione æterna multiplicandorum signorum finem facientes; sed terminato ad Christum actu ad alios illius instar actum terminari intelligo.

372 Dubitationi igitur propositæ facturus satis, Christi electionem electionis nostræ meritoriam causam non concedo, finalem, & exemplarem concedo: finalem quidem, tum, quia *Prouerbiorum* 56. omnia propter semetipsum creasse dicitur Deus, tum etiam, quia Corinth. 1. *omnia* (inquit Paulus) *vestra vestra sunt, vos autem Christi*, tum denique, quia cum ad Christum ordinentur omnia, Christum finalem omnium prædestinatorum causam, & electionem eius electionis aliorum finalem causam rectissimè nuncupamus.

Sententia auctoris.

Prou. 16

Corint. 1.

373 Exemplarem verò causam indicauit Paulus Rom. 8. *Prædestinauit nos conformes fieri imagini Filij sui* in æpeo quasi

Rom. 8

ab Artifice exemplo, qui imagines prælo subiecturus prius illarum conficit exemplar, secundum quod imagines imprimit. Porro hanc duplicem causalitatem ei indicant Sanctorum, & Scripturarum testimonia, quæ nostræ electionis causam ad Christum quoquomodo deuoluunt: nec refert in illis interdum assumi particulam, *Per*, quæ videtur aliis causæ meritoriæ dumtaxat indicatiua, vt in illo Pauli pronunciato Ephes. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei, per Iesum Christum.* Quia particula *Per* late funditur, & ad alias etiam causas diffunditur; ad exemplarem quidem, vt imago per exemplar dicitur acta; ad formalem, vt per Animam homo dicitur animatus, & sic puta de reliquis, quare in consimilibus auctoritatibus consimiliter effare.

Ephes. 1.

Particula per quid significet.

374 Interim obserua singulas electionis nostræ causas breui, sed ægregio compendio à Paulo contextas Ephes. 1. Ait enim ibi. *Benedixit nos omni benedictione spirituali* (hic loquitur de benedictione in tempore) *sicut elegit ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati, in conspectu eius in charitate* (hic loquitur de electione ad gratiam reconciliantem, ad quam ex Christo, & per Christum electi fuimus ab æterno) *qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum* (en causa exemplaris) *in ipsum* (en formalis) *secundum propositum voluntatis suæ* (ecce demum causa electionis effectrix, quā exinde pluribus prosequitur Paulus subdens) *in quo nos etiam sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum, &c.*

Obseruatæ causæ electionis singulæ ex Paulo Eph. 1.

375 Ex his habes, quonam modo Christi electio electionis nostræ dicatur exemplar, quod sub initio capitis petebatur, vbi solus Vasquez 3. p. q. 23. in comment. art. 3. aliò hanc exemplaritatem detorquet; sic enim, exemplaritatem in eo constitutam, quod Deus filium suum alijs imitandum exhibuit, vt eius instar essent iusti, iuxta illud secundæ Petri, c. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c.* Hæc tamen interpretatio exempli potius, quam causæ exemplaris in prædestinatione quidditatem attingit, & ab exemplari causa ad exempla in effectibus descendit, cum tamen hæc ab illa propendeant: vt quid enim similes Christo nos in opere desiderat Deus, nisi, quia prædestinationis illius instar nos prædestinauit? ex quo igitur conformes nos imagini filij sui elegit Deus, voluit in operibus nos exemplari nostro assimilari, propterea Petrus dixit, *Christus pro nobis passus est, &c.*

Opinio Vasquez singularis

1. Pet. 2.

376 Ex hac etiam doctrina solutionem vanare secundæ dubitationis in capitis vestibulo positæ, an scilicet sit Christus prædestinatorum caput: quanquam enim Scripturarum monitis doceamur, Christum esse primogenitum fratrum, in capite libri de eo scriptum, esse caput Ecclesiæ, quod omnia in omnibus adimplet; ex quibus deducitur Christū prædestinatorum omnium esse Principem, vt supra per Scoti rationem, in 3. dist. 7. q. 3. probauimus; nihilo tamen minus, qui Christum in remedium dūtaxat peccati electum contendunt, nescio, quo ferro gordium hunc nodum dirimerent, cum sit eis dicendum consequenter, primum Adamum electum, in cuius remedium, inque peccati eius medelam sentiunt Christum à Deo electum. Ipsi viderint. Bellè Scoto, ac nobis actum est, qui electionem antè præuisa peccata statuentes, & inter prædestinatos primo actum diuinæ voluntatis ad Christum terminatum confessi nullo negotio hic premimur.

Quinta dubitatio principalis.

An Christus sit electorum caput.

377 Postrema difficultas pro capitis coronide petebar, an hæc sit vera, *Verbum Dei, seu filius Dei prædestinatus est, vt sit homo*, quam pugnantes ad inuicem sententiæ grauiorem reddunt. Veritatem illius in toto rigore cōfessi sunt Petrus à Palude, Marsilius, Richardus apud Suarezium, & Vasquez, quorum asseclas se præstiterunt Suarez ipse, *disp.* 50. *sect.* 1. Tannerus *disp. p. q. 7.* & alij quamplures.

Vltima difficultas

Petrus à Palude
Marsilius
Richard.
Suarez
Tannerus

378 Negarunt autem Durandus, *d. q. q.* 3. & post ipsum Becanus *c. 19. q. p. num.* 2. Bonacina *q. 17. puncto* 1. *proposit.* 2. Vasquez, *disp.* 42. *cap.* 3. distinctionem nactus ait, quod si prædestinatio sumatur propriè, propositio illa falsa est, si sumatur pro quacunque prouidentia, qua aliquid ad aliud ordinatur, quomodo etiam reprobi dicuntur prædestinati ad pœnam; propositio vera est.

Durādus
Becanus
Bonacina
Vasquez
Lugo.

Ei-

Eidem subscribit Lugo, eo tamen diuersus, quod Vasquez hanc etiam concedit in prædestinatione latè sumpta, *Christus prædestinatus est, vt esset homo*, sicut etiam, *Verbum prædestinatum est, vt esset homo*; Lugo negat, quia Christus non potuit esse Christus, absque eo quod esset homo, sicuti Verbum benè potuit esse Verbum, absque eo quod esset homo.

Opinio propria.

379 Mihi ex dictis dicendū videtur, propositionē hanc reuocandam esse ita, vt prædestinatio non quidem, aut supra Christum, aut supra Verbum cadat, quoniam & Verbum Dei, quod est principium prædestinans, obiectum prædestinationis esse non potest; & Christus, cuius nomen primò suppositum designat, eandem ob causam prædestinari nequit, sed supra totum complexum, vt sit sensus, *prædestinatum est, Verbum, vt sit, vel fieret homo*, idest, hoc est ab æterno prædestinatum, vt Verbum fieret homo, quo sensu, vt benè notauit Vasquez, ac Lugo, prædestinationis vocabulum latè pro quocunque decreto sumitur, non autem præcisè pro electione, de qua secundum prædestinationis vocabulum loquuntur Scolastici, eiusque effati secundum hunc sensum veritas à nullo sanæ mentis negari potest: quoniam etiam de rebus intellectu carentibus pronunciamus Baptismum prædestinatum paruulo, & similibus, & de seipso etiam Seruator ait; *& quidem filius hominis vadit sicut prædefinitum est de illo*, vbi nota particulam, *de illo*, vt facilè innotescat in his propositionibus totum complexum definiri, ac prædestinari, non verò subiectum ipsum intelligi diffinitionis æternæ, aut prædestinationis obiectum. *Luca 22*

Capitis coronis.

380 Vt autem in principio, ita in calce capitis hanc difficultatem vniuersam de nomine sigillamus; immo ex hoc ipso capitis sigillo vniuersam de Dominica Incarnatione materiam in eius honorem concludimus, qui pro nostra dignatus est libertate humanitatem induere, cui sit in omnem æternitatem Laus, Benedictio, & Gloria. Amen.

DE GRATIA CHRISTI.

DISPVT. XI.

1 IN humanationis Verbi mysterium secundum se spectatum hucusque ad Scoti mentem percurrimus; et nunc perfectæ eius intelligentia postulat, vt assumptæ humanitatis à Christo perfectiones pro modulo perquiramus; quarum principem locum habere gratiam constabitur, qui eius vires, & potestatem assequitur. Hoc autem loco ad distinctiorem nobis viæ tramitem constituendum, præsupponenda est vulgatissima illa Theologorum gratiæ diuisio in gratiam vnionis, gratiam habitualem, & gratiam capitis, vt exactas de vnionis gratia disceptationes congrua methodo tractationem de habituali gratia subsequi concedamus; nonnihil exinde de capitis gratia dicturi.

Partitio gratiæ.

2 Monitos interim lectores volumus; neque nos vllo modo, dum de gratia disceptamus, ad veritatem de concursu primæ cum libertate humani arbitrij causæ tractationem descensuros, nec quoquo modo exactam de natura gratiæ, & eius effectibus materiam aggressuros; sed ea dumtaxat, quæ partitiones de Christo propositæ indagationem exposcunt tractaturos.

3 Insuper, quamuis gratiæ vocabulum quam latissimè fundetur, hoc loco dumtaxat de gratia habituali, quæ principium est meriti, deque actuali influxu, quem adiuuantem, cooperantem, præuenientem alioquin vocabulo consimili in materia de Iustificatione appellant Doctores, deque gratijs gratis datis crasse disputaturos: & rursum, quamuis gratia quæuis ex eo dicatur gratia, quia gratis detur, distinctionem nihilominus habitualis gratiæ à gratijs, quas gratis datas pressè voce vocant, concedimus admittendam; & quidem si de actuali gratia sermonem auspicemur à re satis certe sermonem exordiemur; etenim cum gratia adiuuans, seu cooperans, & gratia præueniens, seu excitans distribuentur à Deo hominibus, vt ipsum eatum nomen sonet, vel vt homo excitetur ad bonum, vel vt adiuuetur ad cauendum malum, hisque auxilijs non indiguerit Christus, frustra huiuscemodi gratias multiplicemus; vbi nulla multiplicandi necessitate vrgemur. Porrò quod ijs non indiguerit, patet, quod cum Christus, qui ab instanti primo conceptionis fuit perfectè beatus, ex ipsa visione beatifica apertè dignouerit, quæ essent agenda bona, quę vitanda mala, & ex charitate perfecta perpetuò Deum dilexerit; nulla actualis huiusce auxilij in eo inuehendi necessitas superest. Quod si Recentiores alio modo gratię adiuuantis nomen vsurpent, dissensio est de nomine.

4 Cæterum de possibili, an si anima Christi non fuisset à primo instanti beata, necessaria fuerint hæc auxilia. Respondeo non dissimiliter eo casu de ea, ac alijs philosophandum; quæ cum indigeant, & ille planè indiguisset ex ratione, quam supra tetigimus, desiderata videlicet beatitate; ob cuius defectum, nec anima agnouisset perfectè, quæ essent agenda, queuè vitanda, nec voluntas charitate destituta Deum dilexisset; proindeque auxilio indiguisset, cuius adiutorio præcepta seruaret, & mala vitando bona perpetraret. Sed hæc citra controuersiam sunt; solos habentia Tannerum *disp.1.q.5.dub.1.* & Suarezium *disp.8.sect.4*, contradictores, qui tamen vel de possibili, vel in alio sensu de hisce auxilijs affantur. De habituali gratia maior vrget difficultas, de que sequentibus capitibus.

NVMQVID, HABITVALEM gratiam habuerit Christi animus, vbi & de eius in Christo necessitate differitur.

CAPVT I.

5 Affirmant oēs Christianū à primo instanti habituali gratia præditū, testante id toties scriptura, & præcipuè Isaiæ XI. *& requiescet super eum Spiritus Domini* Ioann. primo *Vidimus gloriam eius gloriam quasi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*; vbi interprete Augustino plenitudo gratiæ ad humanitatem, plenitudo veritatis ad Deitatem refertur; videtur enim nomen illud, *plenum*, reuocari ad Verbum, cuius paulò antea meminerat Ioannes dicens, *Verbum caro factum est*, deinde, quasi per parenthesim addiderit, *& vidimus gloriam eius, quasi Vnigeniti* qua parenthesi clausa, sermonem perseuerans addidit, *plenum gratiæ, & veritatis*; hoc est Verbum caro factum est plenum gratiæ, & veritatis, vt Verbum plenum veritatis, vt caro, seu, vt homo plenus gratia, si tamen sub vulgata manis, absque comma, ac parenthesi, verba illa legere, missis aliorum interpretationibus, quibus humiliter me submitto, dicere licebit, nomen illud, *plenum* referri ad verbum *vidimus*, esseque nomen substantiuatum, non adiectiuum, vt sit sensus, *Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti*; hoc est *verè vnigeniti*, vt quondam nos exposuimus, vel rectius, *quasi Vnigeniti*, hoc est, vti Vnigenitum Patris habere decebat, & rursum, *vidimus plenum gratiæ, & veritatis*, hoc est, vidimus plenitudinem ipsam gratiæ, & veritatis, ita vt hic plenum opponatur vacuo, sitque substantiuum nomen potius, quam adiectiuum; alias nisi particulam aliam suppleas, nempè, eum, referendo ad hominem nomen illud *plenum*; nescio quorsum regatur.

Isaia 11.
Ioan. 1

Expositio capitis primi Ioannis

6 Sed quidquid de hoc in præsentia, planè ijs verbis vtcumque expositis plenitudo Christi gratiæ denotatur, de qua idem post pauca Ioannes subdit; *& de plenitudine eius nos omnes accepimus*, est igitur constans hausta ex scriptura veritas, Christum Dominum habuisse in anima habitualem gratiam; quam veritatem coniecturis, siue congruentijs ac rationibus persuasibilibus Doctores suadent; rationes enim à priori, vel ostensiuæ in his, quæ à Dei voluntate pendent, nullæ, nisi diuina voluntas.

7 Probatur autem primo; quia Christus dat alijs gratiam, ergo & in se ipsam habere debet ex illo principio, *nemo dat, quod non habet*. Sed hæc ratio leuis; quia satis est habere virtualiter. Secundo probatur, quia Christus habuit charitatem, ergo gratiam, quia hæc sunt vnum, & idem. Dissentiret Scotus in admittenda probatione vnitatis, ac identitatis charitatis, & gratiæ in 2. d. 27. secundum quem, licet sit idem absolutum in anima, habentur tamen rationes diuersæ. Tertiò probatur ex propinquitate ad causam influentem, cui, qui propinquior est maiorem recipit influxum; Christus autem est Deo intimior, ac propinquior. Hæc autem ratio plus probat, quam probandum assumit transiens ad probationem maioris gratiæ in Christo, dum ipsam gratiæ positionem probandam assumeret. Sunt omnes Sancti Thomæ rationes, congruentiæ potius: quibus addere potes nobilitatem animæ Christi, cui ob nexum ad Deitatem quoquomodo videbatur debita gratia, quam si Deus liberè dat alijs, cur non homini à filio assumpto? & hæc videtur esse ratio Ambrosij lib. de Spiritusancto cap. XI *Magna insipientia est, vt quod singulare est hominum confiteamini, quod commune est hominum denegetis*. Hæc ille: quibus, vt vides, redarguit concedentes vnionem in hypostasi, & vnionem gratuitam negantes. Quam confirmare potes. Quia, si non dedit; aut noluit, & sic minori fecit filium, quam cæteros; aut non potuit, & sic impotens. Est igitur confessio communis hæc tam vera, quam vt verissima.

Probatur positio gratiæ habitualis in Christo ab alijs

Ratio Ambrosij

8 Sed, an sit de fide asserere, Christum habuisse habitualem gratiam? Negat Medina in *comment. art. 1. q. 7. 3. p. S. Thomæ*, vbi Vasquez *disp. 41. cap. 1.* &

Lu-

Opinio Medina & Vasquez Lugo Turriani Suarij

Lugo *disp.16. sect.5.* Turrianus *select. disput. centur.2. dubio 80.* Affirmat Suarez *disp.18.* Scotus noster de hac re expresse nullibi; sed ex his, quæ habet *dist. 7. primi sent. in solut. 5. q. & in 3. dist. 2. quæst.1. lit. D. & dist.13. q.1.* clarè liquet, quid ipsemet Doctor senserit, cuius placitum nos infrà explanabimus.

Quid gratia habitualis sit

9 Interim ex eodem Doctore supponendum ex *2. sent. d.26. & 27.* habitualem gratiam nihil esse aliud, nisi habitum quemdam, seu qualitatem aliquam in humana voluntate, secundum quam informata voluntas constituitur verum actus meritorij principium, sitque Deo grata, itaut Deum respiciat, vt obiectum diligens, non vt dilectum; sitque quasi ratio in voluntate, ob quam Deus eam diligat; & penes hoc à charitate seiungitur; quod Charitas Deum respicit diligibilem, non vt diligentem, eo modo, quo Scotus ibi monet: nec si alio modo, aut sensu Recentes hic habitualem gratiam sumant; est cur cum eis altercemur, si non conueniunt in nomine.

10 Supponendum insuper ad rem, Christum Dominum, non qua Deum, sed qua hominem Deo per vnionem in hypostasi vnitum semper Deo fuisse gratum, sanctum, & iustum; ita vt nedum diligeret, sed & diligeretur à Deo; haberetque proinde nedum gratiam sub ratione gratiæ, qua Deum diligeret, sed & sub ratione charitatis, qua diligeretur à Deo; porrò Christum à Patre dilectum scripturæ proclamant Matth. 3. *His est filius meus dilectus*, Marci 1. *Tu es filius meus dilectus*, itidem Lucæ 1. Ioann. 3. *Pater diligit filium*; & 15. *sicut dilexit me Pater*, & alibi passim, Christum etiam dilexisse, sacra pagina testatur Ioann. 14. *Quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, &c.* qua auctoritate duo vides gratiæ habitualis effecta, nimirum dilectionis Dei, & obseruationis mandatorum, seu executionis operum meritoriorum: similiter Christum vbique iustum scripturæ docent. Actorum 3. *Vos autem Virum sanctum, & iustum negastis*, & 7. *pronunciauerunt de aduentu iusti*, 1. Petri 3. *Iustus pro iniustis, &c.* 1. Ioann. 2. *Iesum Christum iustum, &c.* Sanctum nuncupauit Angelus Lucæ 1. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*; demum sanctificatum Christum ait Ioan. 10. *Quem Deus sanctificauit, & misit in mundum*; & hoc modo etiam iustificatus dicitur.

Matth. 3 Marci 1. Lucæ 1. Ioann. 3. & 15. Ioan. 14. Act. 3. & 7. Petri 3. Ioann. 2. Lucæ 1. Ioan. 10.

11 In quorum verborum explanatione reducenda sunt in mentem, quæ supra dixi, scilicet, aliquid fieri tale contingere bifariam, primo cum subiectum præit; secundo cum simul subiectum fit, vt proinde neutiquã necessum sit in omni factione alicuius in tale subiectum ipsum præire; & ita dum Christum Iustificatum, aut sanctificatum legimus; sanctificationem eam, ac eam Iustificationem intelligimus, quæ prioritatem existentiæ subiecti temporaneam non exposcit; sed simultaneam intelligimus. Quo sensu Christum dico iustificatum, ac sanctificatum, quia factus est in sui prima animi creatione Sanctus, Immaculatus, Iustus, ita vt sanctificatio, ac Iustificatio non sit factio Sancti de non sancto, Iusti de non Iusto, sed tota simul subiecti, & formæ factio; & secundum hunc sensum concedimus Virginem in vero sanctificatam, quia sancta facta est in sui factione prima nullo temporis signato instanti, quo fuerit non sancta, sed simul cum sanctitate facta.

Iustificare Quid sit.

12 Non equidem eo inficias, ex vsu vocis iustificare, ac sanctificare videri denotare factionẽ Sancti de non Sancto, iusti de non iusto, seu rectius de iniusto iusti, de inimico amici; hoc namque modo iustificationis, ac sanctificationis huiuscemodi vocabulum Sacri Concilij Trid. Patres vsurparunt *sess. 7. de Iustificat.* loquentes; hoc tamen factum puta; quia si ex re nomen ipsum aucupamur; cum frequentior iustificationis modus sit, dum quis ex inimico amicus, de iniusto fit iustus (ita enim in omnibus euenit, vnico Christo, & Virgine per gratiam excepta) propterea rigorosè iustificatio, ac sanctificatio sumpta pro factione iusti de iniusto est; & secundum hunc sensum sanctificationis appellationẽ nouissimis Decretis ab officio Conceptionis Deiparæ deleuit Ecclesia; quatenus videlicet ex rigoroso significato innuere videbatur factio[n]ẽ Virginis iustæ de iniusta, amicæ de inimica; latiori tamen acce-

ceptione iustificatio, & Sanctificatio etiam expresso à nobis modo sumitur.

Aliquid esse de fide dupliciter euenit.

13 Ex his facilè deduxeris responsum ad postulationem propositam supponendo tertio loco, aliquid de fide esse bifariã euenire, aut quod Decretis Ecclesiæ, aut Apostolorum, aut scripturæ, aut Dei immediatè statuitur; aut secundo quod fidei principijs cõsonat maximè; estque quasi in alio diffinitum; priori modo omnes articuli vtriusque Symboli Apostolorum, & Niceni, & quæcunque alia fidei Decreta primo constituta sunt, intelliguntur esse de fide, vtpotè à Concilijs Ecclesiam representantibus, aut à Pontificibus Ecclesiæ capitibus, & sacris constituta, sunt scripturis expressè. Secundo modo; quæ non quidem primo, sed vel in effectu, vel in causa statuuntur, quomodo si nullo alio Decreto statutum esset Virginem nusquam peccasse mortaliter, hoc vno de fide constitutum diceretur Decreto; quia scilicet decernitur gratia plena, quoniam peccatum & gratia inuicem non cohærent.

Assertio præcipua

14. Ex his, inquam, appositè Respondeas quæsito: Christum habuisse gratiam habitualem de fide, videri ex Scoto, secundũ quẽ cũ de fide sit. Christum opera eliciusse meritoria; sicque planè euidens meritorium habens opus gratia debere informari; vt d. 18. 3. docet, ex effectu arguendo causam, necessum est etiam, de fide habitum gratiæ in Christum inducere; quem non obscurè induxit in Euang. Ioannes cap. 1. *Vidimus plenum gratia, & veritatis,* cui nequam aliam interpretationẽ, aut plenitudinis, aut gratiæ possis aptare, subsequentia nonnullis interpositis Apostoli indicant verba, *de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Quid, quod Trident. Conc. *Sess. 6. de Iust. can.* 10, claré supponit Christi gratiã sub iustitiæ nomine, dũ ait, *si quis dixerit homines sine Christi Iustitia, per quam nobis meruit, iustificari, & c. anathema sit* vbi decernens de fide Christi gratiam, per quam meruit, necessariam ad iustificationem nostram, planè supponit in Christo gratiam meriti principium; idipsum arguè ex ceteris gratiæ habitualis effectibus. Christus à primo suæ Conceptionis instanti Deo gratus fuit Sanctus, & voluntatem habuit, vt meritorios actus eliceret proximè potentem; vt fide credimus; ergo & eadem fide credendum habuisse gratiam habitualem à primo instanti, cuius merito esset Deo gratus, & actus posset meritoriè elicere bonos. Quod si dicas, ex vi vnionis absque gratia id potuisse, infra ostẽdam nihil vnioni ad hos actus necessariò, nisi de ordinaria Dei potestate, qua voluit vnicũ hominem Deo in hypostasi hos elicere actus, at non ex ui vnionis hypostaticæ sed gratuitæ. Quod ergo hæc pars de fide sit; hisce adductis suadetur coniecturis.

Concil. Trident.

Obiectũ tollitur.

Dubium graue.

15 Petendum superest ad perfectam existentiæ huius habitus in anima Christi agnitionem; An hoc habitu indigeret Christus vt sanctificaretur, vtque actus meritoriè eliceret bonos. Huius dubij solutio ex decisa disceptatione de Christi impeccabilitate pendet; siquidem quicumque Christi impeccabilitatem ex vi vnionis hauriunt, hi consequenter habitus huius in animà Christi ad eam sanctificandam necessitatem negligere tenentur; Sanctitatem vniuersam ipsamet vnione Deifica præstolantes. Ita Thomistæ absolutè tenent, non fuisse absolute necessariam in voluntate animæ Christi habitualem gratiam, quæ ab vnione sanctificata est; & ex ipsa Dei propinquitate actus meritorios elicere potuit. Vide Medinã *in comment.* 1. *art. q.* 7. 3. pon vbi Suarez; & Vasquez, & Lugo, *disp.* 16. *sect.* 1. & assusius, Bonacinam *disp.* 2. *q.* 7. *punct.* 1, quãuis hic distinctione vsus sit, ponens sanctificationẽ Christi substantialẽ educi ex vnione hypostatica, accidentariam vero ex habituali gratia.

Opinio Medina Suarij Vasquij Lugo Bonacina

16 Contrariam sententiam hoc docuit Scotus in 3. *d.* 2. *q.* 1. *lit.* 8. arguens contra Henricum, cuius sententiæ intellectus supponere debet, nos hoc loco non de absoluta Dei potestate loqui, secundum quam quæcumque contradictionem non implicant efficere potest, quæuè nullis alligata legibus potest se sola efficere, quæcumque medijs secundis causis operatur, sed de ordinata potestate tãtum esse sermonem, quæ sicut constitutum à Deo rerum ordinem non destruit; ita secundum latas ab ipsomet Deo leges, effecta producit

Opinio Scoti.

ducit; & ex hoc Scotica sententia probanda supponere etiam debet regulariter necessitatem habituum infusorum, vt potentia quamuis libera laudabiliter operetur; id autem Scotus probat in 3. dist. 24. q. vnica littera E. & dist. 33. lit. D. inuehens habituum Theologalium necessitatem, de qua alibi dante Deo.

Scoti opinio probatur. 17 Interim ex his opinionem Scoti probo argumento ipsius d. 2. q. 1. L.C. Gratiæ habitualis necessitas ex 1. sent. dist. 17. inde fluit; vt actus dilectionis Dei, & quicunque meritorius sit plenè, & adamussim in potestate voluntatis: Sed voluntas animæ Christi ex natura sui non habuit in puris naturalibus in sua potestate actu dilectionis Dei meretoriè, ita vt is necessariò acceptaretur à Deo de communi lege, ergo habitu disponente voluntatem, & etiam instituente in plena potestate eliciendi actus huiusmodi indiguit, qui est gratia habitualis, Probo maiorem. Nullum agens habere dicitur in perfecta sui potestate actum, nisi illud, quod potestate sua habet necessario requisita ad opus meritoriè bonum; ergo nec bonum ipsum meritoriè bonum in sua potestate habet. Huius secundi dilemmatis maior patet ex terminis, nam quomodo in potestate sua habet actum, qui non habet in potestate sua requisita ad eliciendum actum? inauditum est planè, posse efficiens dici in sua potestate habere effectum, non habens propinquam effectus illius causam in sui potestate. Minor huius argumenti probatur ex materia de merito, quod finitur, vt sit *actus bonus voluntatis ex gratia elicitus acceptatus, vel acceptandus à Deo ad retributionem*, ad quem voluntas est solum partiale principium, non totale, præceptore Scoto in 2. d. 7. q. vnica littera H. quia voluntas ad meritoriè volendum non sufficit, sed requiritur gratia tamquam principium cooperans.

Meriti descriptio

Iam minor primi argumenti probatur, scilicet voluntatem animæ Christi, in puris naturalibus non habuisse in sua potestate etiam de potentia ordinaria elicitionem actus meritorij accepti à Deo.

18 Christi voluntas humana in puris naturalibus spectata est eiusdem speciei cum nostra; at nos in puris naturalibus talem actum in nostra potestare minimè habemus; ergo nec illa. Tota vis sita est in ea particula, *in puris naturalibus*; secundum quam, qui voluntatem animæ Christi negaret esse eiusdem rationis cum nostra, negaret Christum habuisse carnem eiusdem rationis, & humanitatem eiusdem speciei cum nostra, quæ omnia falsa sunt.

19 Toti huic discursui obuij irent Recentes, negando hanc gratiæ necessitatem ad actus meritorios, qui ex vnione Verbi poterant elici à voluntate Christi. At peto, quomodo vnio Verbi elicitionis horum effectuum causa dicenda est? an quia Verbum ipsum vnitum suppleuit gratiæ vicem, an quia vnio Verbi formaliter voluntatem ad elicitionem informauit, an alio modo? si primum, iam fit transitus ab ordinata ad absolutam potestatem; nec ego inficias id potuisse Verbum, quod nulli alligatum est legi; sed quod hoc fecerit, quidditate ea ordinata Dei potentia, actus meritorij suppositis, quod scilicet, sit ex voluntate gratia forma eliciens, voluntariè dicitur. Si secundum, corriguntur; quandoquidem vnio voluntatem non informat, quæ est simplex vnitorum relatio, vt suo loco dictum est: si quid aliud indicant, restant, vt respondeam.

Occursus Retunditur.

20 Certè quo ad hanc partem non dissentiunt à nobis Suarez, Vasquez, & Lugo: solus Medina constituit meritum fuisse Christum absque gratia, seu fortuitum fuisse, vt adhuc sine habituali gratia mereretur Christus, sed hic loquitur de possibili, non de facto; nec possibilitatem spectare potest Dei ordinatam, quæ legibus Deo statutis respondet, cum impossibile sit, effectum meritorium, ordinate loquendo à voluntate elici sine gratia, sicut implicat ordinate esse cum à duplici causa partiali pendentem, quarum neutra est totalis, totaliter ab altera poni in esse; si autem absolutam Dei potestatem metiatur, non diffideo.

Suarez Vasquez Lugo nobiscum

21 Præterea de alio gratiæ habitualis effectu, qui est iustificatio, & sanctificatio, Scoti sententia probatur negantis ab vnione Christum sanctificatum, sed à gratia, Effectus formalis à sola sua causa formali dependet, & sine illa esse

Alia Scoti probatio.

non

non potest; at iustificatio est iustitiæ effectus formalis, & Sanctificatio sanctitatis, & gratificatio gratiæ, ij enim termini gratia, iustitia, & sanctitas hoc loco confunduntur; vt sunt idem cum gratia; quemadmodum ipsum Sacrum Tridentinum Concilium *sess. 6. can. 10.* Iustitiam Christi pro gratia sumpsisse, inde patet; quod per eam Christum meruisse decernit, cum tamē merici principium sit gratia cū voluntate, non iustitia, vt à gratia distinguitur; ergo iustificatio sine iustitia, sāctificatio sine sanctitate, gratificatio sine gratia esse nō potest, & ab eis respectiuè depēdens.

22 Huius argumenti vim non eneruāt Recētes aiendo, substantialiter humanitatē Christi ab vnione sanctificari, accidentaliter verò ab habituali gratia, cum ipsa responsio contradictionem inuoluat; sanctificationem scilicet esse quid substantiale; cum sit accidens tam sanctitudo actiua, quam passiua sanctitas; vt mirum sit, quid sibi velit hoc substantialiter sanctificari ab ipsis inuectū. Adde nec argumenti vim eneruatam, quoniam viget ratio, quod effectus formalis à causa formali propēdeat; quomodo autē vnio, quæ est relatio possit esse causa formalis sanctitatis, non video, sed nec ipsi vident Recētes; qui propterea hāc sanctitatē, vel ad Deitatē secūdū se, vel ad Verbi personalitatem diuertunt, vt videre est apud Vasquez, qui totam sanctificationem ad Deitatem refert, & apud Loicam *disp. 36.* qui ad personalitatem præcisè, & apud Suarez, & Lugo loco citato, qui ad vtramque.

Responsio Recentiorum nulla.

Diffidia Recentiū.

Singulis tamen argumenti præpositi vires eneruandæ sunt; quia Deum, aut Verbi personam esse causam formalem sanctitatis, philosophia vniuersa Theologiæ iuncta rideret, quæ coniunctim formalem causam internam rei, Deum vero externam confitentur, & efficientem solum, non formalem rerum causam agnoscunt; est igitur ex his concludendum, in via Scoti, indiguisse Christum habituali gratia nedum, vt hanc etiam perfectionem non desideraret singulis perfectionibus donatus; sed ad formales illius effectus; qui sunt sanctificare, & iustificare, & gratum facere, & insuper ad actus meritoriè eliciendos.

Argumenta aduersantium.

23 Sed hanc sententiam auctoritate, & ratione Recentes imbecillam reddere conantur. Auctoritas est Scripturarum, ac Patrum: & in primis Scriptura Christum ex gratia vnionis sanctificatum, ac Deo dilectum testatur psal. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo letitiæ*; & Danielis 9. *Vngatur Sanctus Sanctorum*, Lucæ 4. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me*, & rursum act. 10. *quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute*, quibus in locis vnctio hypostatica memoratur, cuius merito videtur illa natura deificata, & sanctificata; & hæc loca interpretati Patres identidem sentiunt. Damascenus *lib. 3. cap. 3. Ipse enim se ipsum vnxit, vngens quidem vt Deus Deitate sua, vnctus autem vt homo, nam ipse est hoc, & illud siquidem Deitas est vnctio humanitatis &c.* & Nazianzenus orat. 4. de Theologia, *Christus, inquit, propter diuinitatem, ea enim humanitas vncta est, non actu, aut operatione, vt in alijs, qui Christi nuncupantur, sed totius vnctoris præsentia*, & orat. 2. de Pasch humanitatē Christi vocat Deitate delibutā, & perfictam. Hoc itidem habent alij, oleū docentes, quo Christi humanitas vncta fuit, & dictus Christus vnctus, fuisse Diuinitatem.

Psal. 44. *Dan. 9.* *Lucæ 4.* *Act. 10.*

Damasc.

Nazianz.

24 Ratio Recentiorum prima est. Nisi Christus, aliam sanctificationem haberet, quam à gratia, eius opera infiniti valoris non fuissent, quod falsum est, ergo præter gratiæ sanctitudinem alia excellentior probanda est ex Deitate, vel personalitate Verbi.

1. Ratio

Secunda ex Ioanne à Lugo à priori, vt ipse refert. Illa est forma sanctificans, quæ reddit subiectum Deo gratum, congruum ad terminandam Dei amicitiā, quæ expellit peccatum, quæ euehit ad esse diuinum, quæ fundat ius ad hæreditatem: At hæc omnia perfectiori, ac præstantiori modo præstat vnio hypostatica, quam gratia habitualis, reddit enim naturam impeccabilem multo melius, quam gratia, reddit subiectum amabile, reddit participem diuinitatis hominem; ergo sanctificat, & iustificat perfectius, quam gratia.

Secunda.

Tertia ex Bonacina, & Suarez. Reliqui homines sanctificantur per participationem Diuinitatis, quæ est sanctitas per essentiam, sed nulla est maior Diuinitatis participatio, quam per vnionem hypostaticam; ergo humanitas maxi-

Tertia

me sanctificatur per eam.

25 His tamen auctoritatibus, & rationibus occurram. Ipsæ secundum se auctoritates Christi humanitatem unctam esse fatentur, at quo oleo secunda, & tertia non inferunt; infert prima auctoritas Christum oleo lætitiæ unctum; an autem oleum lætitiæ sit unio hypostatica, an gratia habitualis, non conueniunt Patres, ac Interpretes. Certè Athanasius *orat. 2. contra Arianos* unctionem Christi consistere voluit in gratia sanctificante, & Cirillus Alexandrinus *epistola ad Solit.* & Augustinus eadem habet in *capit. 3. Abachuc*, & alij à Lorino relati *in expositione psalm. 44.* quamuis Lorinus ipse hac posteriore expositione concessa, ne à Suarezio, & alijs propriæ societatis Theologis dissideat, inferat, & si Christus habuerit ex his gratiam, non tamen illam ad sanctitatem fuisse necessariam; cum sufficere potuerit vnio in hypostasi. Vltima auctoritas dilucidè magis unctionem gratiæ demonstrat, dū Christus dicitur unctus Spiritu Sancto, causam accipiendo pro effectu; Spiritum Sanctum pro gratia, quæ à spiritu largitore promanat; aliæ auctoritates qualitatem olei unctionis non memorant, & æquè rectè de habituali gratia interpretantur.

Athanas. *Cyrillus* *August.* *Lorinus.*

26 Ecce auctoritates non plus Recentibus prosunt, quam obsint. Sed quid si expressè oleum pro vnione in hypostasi sumpserint, num :uid vnio concluderet causa formalis gratiæ? Id certè auctoritates non inferunt; sed solum Christum unctum, hoc est, vnitam Deitati humanitatem, ex qua concessione quid inferre directè possint Aduersarij, pondera lector. Nec Damasceni nos turbat auctoritas, qui de efficienti a loquitur, non de formali causa; sed & nos fatemur, Deum vnxisse Christum hominē, hoc est illi gratiam elargitum, & Deitatem unctionem humanitatis, non quidem formaliter, sed efficienter vt diximus. Neque aliud Nazianzenus sensit, nisi efficienter Deitate humanitatem delibutam, & unctam.

27 Prima ratio corruit ex falso fundamento, nimirum opera Christi formaliter esse ex se valoris, rigorosè infinitæ, ē sumendo, suff-, qua datur suo loco dictum est; nam si finitas, vel infinitas ex principio mensuram habeat, illa vtique à voluntate Christi finita manantia infinitatem habere non poterunt, si ex acceptione diuina, hæc pariter in operibus à Christo per gratiam elicitis intercessit; poteritque hoc modo mensuram infinitatis sibi pacisci, acceptata videlicet pro delendo reatu infinito modo suo, & pro placando obiectum infinitum, quod est Deus.

Soluuntur argumenta.

Secunda ratio flocescit negata minori, quæ transit à causa formali ad causā efficientem; maior enim traditur de causa formali, cum dicitur, *Illa est forma sanctificans, &c.* & in minori sit sermo de efficiente, secundum quam etiam minor est falsa; quia impeccabilitas non ex vnione in hypostasi, sed ex vnione gratuita, vel glorifica dimanat, vt alibi dixi. Rursum vnio hypostatica non formaliter, sed causaliter quoquo modo reddit hominem gratum; formaliter enim sola gratia gratum facit, non vnio.

28 Tertia denique negligitur, interpretata maiori; formaliter negata; nisi nomine participationis diuinitatis gratiam ipsam intelligant, quæ etiam diuinitatis participatio nuncupari potest, sicut & omnia à diuinitate donum fluens: causaliter alio modo concessa, quia ex participatione diuinitatis fit homo sanctus; sed hoc modo minor est falsa; cum participatio huiusmodi sanctitatis fiat per charitatem, ac visionem, non per vnionem in hypostasi, quam etiam si haberent inanimata, non ob inde diuinitatis dicerentur participia.

29 Solum superest pro ipsius capitis Coronide dubium. An saltem hæc habitualis gratia phisicè, & efficienter fiat à gratia vnionis. Videtur affirmare Granado, in materia de gratia *tract. 4. disp. 8.* Petitionis tamen titulus videtur omnino incongruus; quia cum vnio sit mera, ac simpliciter relatio; quod efficienter, ac physicè gratiam inferat; est ita absurdum, vt qualitatem physicè, & efficienter à relatione oriri. Si autem peteretur, an physicè fiat à persona Verbi, adhuc petitio incongrua est; esset enim petere, an aliquid fiat ab extra ab vna persona, quod non fiat ab alia; quæ petitio inanis est, vniuersis conclamantibus Theologis, *opera Trinitatis ad extra esse* indi-

Dubium non leue tollitur.

Sententia Granado

indiuisa. Demum petitio esse potest; an exigatur hęc gratia propter vnionem, hoc est, ad dignitatem illius naturæ vnitę. Occurre tamen formaliter exigi ad effectus suos formales producendos, & nullum esse ordinem exigentiæ inter has vniones; quia potuit vniri natura gratiæ incapax: quo casu quamnam, obsecro, exigentiam ad gratiam habuisset vnio? Vide Scotum in 3. *dist.* 2 *q.* 1. *lit.* S. docentem; neutram necessariò includere alteram; hoc autem intellige de præexigentia causali, quam verum est dicere nullam esse; quia neutra est alterius causa; de præexigentia autem suppositionis absque vlla necessitatis, aut dependentię habitudine dici potest, quod gratia habitualis præsupponit vnionem non tempore, sed natura; vt dixi in *disp. de organizatione Corporis Christi*; quantitas etiam huius gratiæ dici potest præsupponere de facto in executione vnionem; quia, vt Scotus monet in 3. *dist.* 7 *quæst* 3. *littera* A, non fuisset tanta gratia collata humanitati Christi, si non fuisset vnita; dixi in executione, quia in æterna electione secus factum est, prædestinata scilicet humana illa natura ante vnionem ad gratiam, & ad tantam gratiam; sed executionis ordo est illi ordini contrarius.

Obiectio aufertur. 30 Obiicies. Si quantitas huius gratiæ præexigit necessariò vnionem, & gratia ipsa vnionem præexigit; quia gratia illa non crevit in gradibus, sed semper eadem à primo suæ infusionis instanti fuit; nego sequelam; quia cum in vnoquoque genere sit adinuenire proprium quid *ex primo Topicorum cap.* 7. & ex Scoto *dist* 7. *q.* 1. *lit.* C. quidditas etiam, & positio gratiæ habitualis secundum se præsupponi quantitati suæ intelligitur, quamuis nusquam in tempore fuerit gratia illa sine illis quantitate, & gradibus; & ita potest secundum quidditatem suam, & existentiã, præscindendo à quantitate, intelligi non præexigere necessitate, nec necessariò pendere ab vnione, à qua tamen quantitas in illis gradibus in executione pendere potest intelligi, & huic fauere videtur auctoritas Ioann. 1. *vidimus gloriam eius &c.* vbi etiam istatuit se plenitudinem veritatis, gratiæ, & gloriæ in Christo vidisse, qualem decebat vnigenitum Dei habere, vt ego alibi interpretatus sum particulam illam, *quasi*, vt proinde relatio pendentiæ gratiæ ad vnionem non secundum se, & secundum sui positionem, sed secundum quantitatem, seu plenitudinem attendatur.

Ioann. 1.

AN CHRISTI GRATIA, ET nostra eiusdem sint speciei, seù rationis.

CAPVT II.

31 NVllibi ex instituto difficultatem præsentem exagitat Scotus, ex dictis tamen eius, vt infra, patebit quid sit sentiendum: interim quid alij sentiant proferamus. Caietanus 3. *p. q.* 7. *in comment. art.* 9. & 11. & Medina *art.* 12. distinctione supposita præsentis difficultatis nodum diluunt. Est autem distinctio. Gratia habitualis considerari potest bifariam, vno modo secundum suam essentiam, alio modo secundum modum essendi. Primo modo gratia Christi est eiusdem rationis, & speciei cum gratia, quæ nobis confertur. Secundo verò modo est diuersæ: quam doctrinam caloris exemplo illustrant. Est calor secundum essentiam eiusdem rationis, & speciei in aere, igne, & mixtis; sed diuersæ secundum modum essendi; etenim residet in igne calor tanquam in proprio subiecto, ac fonte, in quo est plenitudo caloris secundum omnes gradus intensiuè, & extensiuè, secundum omnem virtutem, vel effectum calefaciendi, siccandi, inflammandi, & similium; at verò in aere, & mixtis non residet secundum hanc plenitudinem caloris; ita Christi anima secundum omnem plenitudinem intensiuam, & extensiuam fuit gratia donata; at verò hominum animi ad mensuram dumtaxat plenitudinis Christi gratia donantur.

Opinio Caietani, & Medinæ.

Alij

Opinio Lugo.

32 Alij simpliciter, & absolutè gratiam Christi eiusdem speciei cum nostra confessi sunt, Ioannes à Lugo *sect. 5. num. 99.* Satis ancipiter loquitur, & quidem in signio fatetur Christi gratiam eiusdem rationis esse cū nostra; sed & fatetur etiam Christi gratiam multo intensiorem quacumque gratia Angelis, vel hominibus collata; sed & tandem concludit, quod, qui opinaretur intensionis gradus esse etherogeneos, ac specie differre, tenetur consequenter dicere gratiam Animæ Christi specie differre à nostra, quamuis non differret ab aliqua æquè intensa, quæ in alio puro homine poni potuisset.

Opinio Scoti.

33 Ex dictis à Scoto tum in logicis *libr. prædicam.* explicante secundam speciem qualitatis, tum *in 1. sent. dist. 17.* loquente de charitatis incremento, absolutè dicendum, gratiam Animæ Christi non differre specie à nostra, tum clarius *in 3. d. 13. q. 1. litt.* F. vbi gratiam Animæ, & Angeli eiusdem esse speciei confessus, magis id infert de gratia diuersarum Animarum, quæ minus differunt ad inuicem, quam Anima, & Angelus; hic enim ab Anima differt, vt species à parte speciei, hominum verò Animæ solo numero, & *littera* F. arguēs charitatē in quocunq; esse eiusdē rationis idem tenetur de gratia fateri, quæ non penes hanc partem à Charitate differt, vt patet *in 2. sent. d. 26.*

Assertum affirmans probatur primo.

34 Dicendum igitur absolutè in via Scoti pro eodem sumendo rationem, & speciem hoc loco, gratiam Animæ Christi, & nostram esse eiusdē rationis, & speciei. Probatur primo. Quandocumque duæ formæ consimilibus præditæ sunt effectis, & consimili gaudent principio, illæ eiusdem propemodum rationis, & speciei esse intelliguntur: at gratia Animæ Christi consimiles habet effectus, & consimile principium, sicut gratia, quæ alijs datur hominibus: est ergo eiusdem speciei cum illa. Maior propositio probatur: Identitas causæ, ac diuersitas ex identitate, ac diuersitate principij, & multò magis ex ideotitate, ac diuersitate effectorum mensuratur; nam sicut motus aliqualiter à motore specificatur, & à diuersitate termini diuersificatur; ità ab effectis specificantur potissimum causæ, & aliqualem ex principio diuersitatem, ac identitatem trahunt. Minorem propositionem probo quo ad principium; quia hoc est eadem diuina libera voluntas creans, & infundens gratiam Animæ Christi, & nostræ; & rursus, quoad effecta probo minorē, Inter cætera habitualis gratiæ effecta recensentur sanctificatio, & gratificatio animi apud Deum, & operum meritoriè à voluntate manantium principiatio: at ij effectus consimiles sunt in Anima Christi & nostra; nam & illa redditur per gratiam Deo grata, & sancta, estque partiale principium actuum à voluntate Christi creatā meritoriè effectorum, vnde igitur in vtraque speciei diuersitas?

Probatur secundo.

35 Præterea principaliter. Si quid obstaret, quo minus gratia Animæ Christi diceretur esse eiusdem rationis cum gratia habituali Animæ nostræ, hoc profectò esset, aut quia gratia Animæ Christi est gratia Animæ nostræ longè intensior, immò illa infinita est, hæc verò finita: aut quia longè dissident vtriusque gratiæ subiecta, quia illius subiectum est Anima Christi, huius verò Anima nostra: porrò Animam Christi etiam in naturalibus esse Anima nostra perfectiorem conuincit articulus Parisiensis decernens errorem esse asserere, *Animam Christi non fuisse perfectiorem etiam in puris naturalibus anima Iudæ:* aut demum, quia hæc, & illa diuersum habent modum essendi: Sed hæc non obstant, quo minus vtramque gratiam eiusdem speciei esse dicamus: ergo nullo obstante liberè cum Scoto asseuerandum est gratiam Animæ Christi eiusdem esse rationis cum nostra. Maior propositio desumpta est ex sufficienti partitione, nam ex vno, vel alio ipsorum capitum specificam vtriusque gratiæ diuersitatem dimensi sunt Aduersarij, ex ratione infinitatis, ac intensionis Medina, ex diuersitate modi essendi Caietanus, & idem Medina, & sub hæsitatione Ioannes à Lugo: ex diuersitate subiecti perfectioris alij. Minorem sigillatim ostendo. Et primo Christi gratiam fuisse formaliter infinitam, sequenti capite improbabo: Maiorem, vel minorem intensionem non variare speciem probo, tum, quia communi Philosophorum decreto

Articulus Parisiensis de Anima Christi

ma-

magis, & minus non variant speciem: tum quia gradus illi non sunt diuersæ, sed eiusdem speciei, non sunt enim gradus etherogenei, sed extensiuè homogenei; sicut patet in albedine, quæ extensa, & magis, aut minus intensa non recipit dissimilares gradus, sed homogeneos: tum denique, quia hæc est secunda qualitatum proprietas, vt magis, & minus recipiant, absque propriæ rationis detrimento; quid est enim suscipere magis, & minus, nisi habere plures partes, seu gradus eiusdem rationis, & cum illo quod suscipit magis, & minus, & inter se? ita albedo vna dicitur maior alia, quia pluribus prædita est gradibus integrantibus illam, quorũ quilibet est eiusdem rationis cum alio, & est albedo, sicut, & alij; quare ex ipsa ratione suscipiendi magis, & minus perfectè cognita patet, intensionem in gratia Animæ Christi specificam ab alijs gratijs diuersitatem minimè inducere, quia nec albedines illæ duæ, quas tuli in exemplum, quarum altera est altera intensior, sunt speciei, aut rationis diuersæ.

Suscipere magis, & minus quid sit.

Secundo diuersitatem subiecti non officere, ostendo primo: quia subiectum illius, & nostræ non differunt specie, sed numero: Nam hic homo in Christo, & in nobis eiusdem sunt speciei, vt probatum est in superioribus: & certum est gratiam illam non in Verbo, sed in hoc homine, & in creata illius voluntate inhærere: quare argumentatio reuerberatur ad hominem hoc modo.

34 Si ex identitate specifica subiectorum identitas specifica, & ex diuersitate diuersitas haurienda est, profectò cum Anima Christi, & nostra sint eiusdem rationis, & speciei, consimilis dicenda est huius Animæ, & illius gratia: neque concedendum est in puris naturalibus fuisse Animã nostra, immò Anima Iudæ perfectiorem, cum substantia suopte ingenio non suscipiat magis, & minus: & illum Scholæ Parisiensis articulum egregiè interpretatus est Tartaretus noster in *logicis lib. de prædicam. c. de qualit. quæst. 1. dub. 2.* perfectionem illam, non in ipsa substantia, sed in accidentalibus naturalibus, puta perspicacitate, ingeniositate, & similibus attendendam, in quibus Animam Iudæ cum Anima Christi conferre, magnum redoleret errorem.

Tataretus in logicis.

35 Sed, & satis ad hominem reuerberato argumento, ex vberiori Scotica doctrina addendum est, diuersitatem subiecti specificam diuersas formarum accidentalium species nequaquam inferre, quia non est diuersæ rationis albedo in homine, & in pariete, quamuis hic inanimus, ille verò sit Anima præditus, & proinde specie, immò, & genere differant; & appropriatè de gratia loquens Scotus *loc. cit. paulò ante lit. G.* constituit gratiam Animæ, & Angeli esse eiusdem speciei: quare pars ex aduerso dupliciter deficit, primo, quia diuersitas subiecti specifica diuersitatem formæ accidentalis specificam non arguit: Secundo, quia, si ex hypotesi argueret, adhuc subiectum illius gratiæ, & nostræ non differunt specie.

36 Quod si contra responsum primum vis fiat arguendo, quod forma receptibilis mensuram recipit ex subiecto receptiuo; obserua egregiam Scoti doctrinam loco citato, quod, & si subiecta suapte natura specie differunt, in ordine tamen ad formam, quam recipiunt, comparantur secundum eandem rationem receptiui; ita vt, sicuti forma, quæ recipitur est eiusdem rationis, ita recipientia, in quantum recipiunt, intelligantur esse eiusdem rationis: Exemplum ad hoc accommodatum præstat nobis albedo in lapide, & ligno, in quorum vtroque est eiusdem rationis, sed & lapis, & lignũ, vt referuntur ad albedinem, non sunt diuersæ, sed eiusdem rationis; non enim referuntur ad albedinem, nisi vt subiecta susceptiua, quibus alietas naturæ, & speciei quasi accidit in ratione receptiui; ita in proposito; licet subiecta gratiæ sint suapte natura speciei diuersæ, vt Angelus, & Anima, quæ differunt, vt species, & pars speciei, in ordine tamen ad gratiam, ad quam referuntur vt susceptiua, sunt eiusdem rationis; & hæc doctrina ad alia Aduersariorum argumenta, quæ feruntur, eneruanda apposita est, non ad argumentum allatum, in quo, vt dixi, diuersitas specifica in susceptiuis nulla est, cum non sit Anima Christi diuersæ speciei à

Tollitur obiectio

Nota egregiam Scoti doctrinam.

ciei à

ciei à nostra.

37 Demum diuersitatem modi essendi gratiæ in vtroque subiecto non efficere probatur ex dictis; etenim hæc diuersitas à Medina, & Caietano statuitur in maiori, vel minori intensione, hanc vero non obstare probaui; rectius tamen diuersus esset essendi modus, si gratia in vno subiecto finitæ, in alio autem infinitæ esset entitatis, sed & hunc sequenti cap. euertam, quo Christi gratiam non fuisse formaliter infinitam demonstrabo.

Exemplū Caietani ruit.

38 Nec exempla caloris à Caietano, & Medina adducta quidquam virium habent; immò sunt ad oppositum, siquidem, si calor est eiusdem rationis in igne, & aere, & mixtis, cum tamen, nec in aere, nec in mixtis, sed in igne solum extendatur ad inflammandum, & ad exsiccandum, quanto magis eiusdem rationis erit gratia Animæ Christi & nostræ, cum vtraque gratificet, vtraque sit meritorij actus principium?

Caietani instantia confutatur.

At, inquient illi, est vtique, sed sicuti ex diuersitate modi essendi calor ille diuersæ rationis dicitur, ita gratia ex diuersitate modi essendi in Christo, & nobis diuersæ rationis statuetur. Sed hæc est diuersitas modi, non rei, modus autem rem ipsam non variat; sique aliquam ex diuersitate modi huius metiamur differentiam, hanc planè nec ipsi Aduersarij specificam comminisci possunt, ne diuersas gratiæ habitualis species inferant.

Obiectio Medinæ nulla.

39 Sed rursum insurgit Medina. Calor in stomacho eiusdem est speciei secundum suam speciem cum calore alterius corporis, sed ex modo essendi differt specie, nam calor in stomaco animato anima rationali vim habet conuertendi cibum in carnem humanam animatam; quam vi tutem non habet in ceteris corporibus vita expertibus; immò in stomaco fœminæ producit lac, in hominis stomaco non item; quare gratia similiter eiusdem speciei, & rationis ex modo essendi in Christo, & nobis, diuersæ est speciei. Hoc exemplum ineptissimum est, quoniam non est caloris formalis effectus cibum conuertere, sed calefacere: conuersio autem illa cibi in carnem humanam ab anima humana fit, quæ supplet vices animæ vegetantis, & calore naturali vtitur tanquam instrumento, quod non est ita principium alitionis, & conuersionis cibi in carnem, vt gratia est principium actus meritorij; hæc enim est partiale principium cum voluntate; illud autem instrumentum dumtaxat animæ agentis, quæ operatur secundum naturæ exigentiam, in fœmina lactis materiam producens, non in mare; non equidem inficior diuersitatem quandoque effectorum iuxta subiectorum exigentiam à forma produci, quia omne, quod recipitur, per modum, & exigentiam recipientis recipitur; effecta tamen illa non sunt illius formæ formalia, sed vel secundaria, vel subiectorum ipsorum forma, vt instrumento vtentium; atqui effectus formales in singulis ijdem sunt; ita calor vbicumquè ponatur calefacit, sicut & gratia in quocumquè collocata subiecto gratificat.

Argumēta Medinæ.

40 Obijcit Medina. Christi gratia est principium vniuersale gratificationis; sicut Sol generationis; sed Sol habet virtutē alterius nominis: ergo etiam gratia Christi, qui dicitur propterea Sol iustitiæ.

Respondeo. Argumentum peccat transiens à gratificatione animæ Christi ad gratificationem nostram; gratia Christi est eiusdem speciei cum nostra, non quia nos, sed quia humanam Christi voluntatem gratam Deo facit; sicut gratia nobis data nos gratificat Deo.

Secundū.

Obijcit secundò: quod, sicut virtus ignis vtcumquè augeatur virtutem Solis æquare non potest, ita gratia nostra vtcumquè crescat Christi gratiam æquare non potest.

Respondeo. Deficit dupliciter argumentum; primò, quia supponit æqualē gratiam nullā potestate alteri dari posse, quod discutiendum est infrà: secundò, quia nihil probat, cum intensio nō variet speciem.

Tertium.

Obijcit tertiò. Gratia Christi habet effectus specie differentes; ergo differt specie. Probatur antecedens, quia illa disponit ad vnionem hypostaticam; causat nobis gratiam; per illam Christus nobis meruit, nosquè ex iustitiæ rigore redemit; quæ effecta gratiæ nobis collatæ non conueniunt.

Respondeo. Argumentum assumit

ante-

antecedens falsum; cum effectus similes in Christo illa contulerit, ac nostra in nobis, & probatio falsa; quia gratia illa vnionem supponit, ergo non est dispositio ad vnionem, quia dispositio antecedit, non sequitur formam: considerationes aliæ non sunt à gratia in ordine ad Christum, sed in ordine ad nos, in quibus diuersitas non oritur ex gratia, sed ex exigentia rei, & ex voluntate Dei, quare per illam elicuit actus Christus, quibus nobis meruit: elicimus nos per gratiam actus, quibus pro nobis meremur, qui indigemus: Christus per actus ex illa elicitos satisfecit pro nobis Deo; quia Deus Christum constituit Redemptorem, ac fideiussorem pro nobis, nos verò non ità, sed proportionabiliter per gratiam meremur, & facimus Deo satis.

Argumentum 4.

41 Obijcit quarto. Gratia Christi vnionem sequitur vt passio, vnde hæc propositio est in secundo modo dicendi per se, Christus est gratus Deo, in nobis non ità, in quibus hæc propositio accidentalis est, Petrus est gratus Deo.

Solutio.

Respondeo. Argumentum in primis contradicit Authori, qui prius dixerat gratiam Christi disponere ad vnionem, nunc verò arguit, subsequi vnionem: & rursus assumit certum id, quod esset probandum, nam gratia est qualitas, non passio, quæ prædicatur in secundo modo de subiecto; neque illa propositio Christus est gratus Deo, accipiendo Christum vt hominem, est in secundo modo dicendi per se, vt supponitur: quia prædicat accidens de subiecto, non quidem proprium, sed commune, licet inseparabile, ex ordinatione diuina, non ex natura rei, cum suaptè natura quæcunque creata voluntas sit à gratia separabilis: quamuis voluntas Animæ Christi inseparabilitatem à gratia, & gloria habuerit eo modo, quo de Christi impeccabilitate disceptando dixi.

QVANTA FVERIT HÆC GRATIA in Christo finita ne, an infinita.

CAPVT III.

42 Disputatio præsens maiorem exigit, & accuratiorem indaginē, quippe quæ maioribus implicatur angustijs, ex Auctorum diuersitate manantibus.

Opinionum varietas.

Sunt qui putent, infinitatis rationem, ac nomen à gratia Christo collatā nullatenus dirimendum, nedum; quia qualitatem gratiæ infinitam creari posse probabile autumant, vt vbinde Christo Dei filio, cui Deus Pater contulit, quæcunque potuit, consequenter infinita gratia data dicenda sit, verum etiam; quia id Verbi dignitas videbatur exigere, vt humana natura nexu illi admirabili vnita summa perfectione gratiæ decoraretur, essetque plenitudo illius infinita.

Contrà alij gratiam Christo collatā absquè vlla distinctione, aut limitatione finitam fatentur.

Alij medio quasi tramite incedentes absolutè, & simpliciter nec finitatem, nec infinitatem gratiæ statuerunt in Christo; sed eorum aliquibus visum est illam appellare summam; aliquibus in ratione entis finitam, in ratione autem gratiæ infinitam; aliquibus considerationem gratiæ tùm in genere entis, tùm in genere gratiæ, tùm in genere qualitatis amplectentibus, & terminos summi, & infiniti confundentibus libuit eā in genere entis, & qualitatis appellare finitam; in genere tamen gratiæ in ordine ad vnionem, & ad gratificationem hominum infinitam.

Ariminensis Maioris Almaini Durandi Caietani Opinio

43 Infinitatem gratiæ Christi absquè vlla distinctione propugnarunt Gregorius dè Arimino *in 1. sent. d. 43. q. 4.* Ioannes Maior *in 3. dist. 13.* & Almainore *ibidem quæst. vnica*, & propendet in hanc sententiam Durandus *ibidem*, & Caietanus *3. p. q. 7. art. 12. & 2. 2. q. 24. art. 7.* &

vocatur in hanc opinionem Scotus *in 3. diſt.13.q.1. & 4.* à Bartholomæo Medina *in comment.art.13.q.7.3.p.S.Thomæ* quæuis, quæ ſit germana Scoti ſententia, infrà dicendum ſit: eam tamen ex Scotiſtis ſequi videtur Herrara *in 3. ſent.* & *in ſuo manuali Theologico cap. 2.*

Opinio Alberti S.Thomæ Medinæ Soti Victoriæ Suarij Vaſquij Lugo.

44 Finitatem gratiæ propugnauarunt in Chriſto Recentes poſt Albertum, immò poſt Sanctum Thomam *loc.c.* licèt in explicanda illius ſententia tam diſſidtant, vt tertius videantur ſeſe tertiæ ſententiæ conſtituiſſe internuncios. Hi ſunt Medina *l.c.* Victoria, Sotus, & alij Interpretes. Suarez *diſp. 22.* Vaſquez *diſp.46.* Ioannes à Lugo *diſpu.16. ſect.6.* licet hic tertius de finitate loquens, ſimpliciter fateatur gratiã Chriſti finitam, ſed ex aliquibus capitibus infinitatem quodammodo participare videatur, tum ſcilicet ex ratione affectorum, quæ fuerunt infiniti valoris, tum ex ordine ad vnionem, quatenus ſcilicet non potuit ordinari ad aliquod maius, quam ad Verbum vnitum.

Opinio Scoti, & Gabrielis

45 Scotus noſter illam nuncupauit ſummam, cui ſubſcribunt Scotiſtæ, & Gabriel, & alij, quamuis in eo à Scoto diſſidtant; quod Scotus augeri Chriſti gratiam non poſſe credidit, Gabriel verò, cui adſtipulantur Recentes, augeri illam ſimpliciter potuiſſe putat, vel ſuapte natura, vel ſaltem de poteſtate Dei abſoluta.

Diſſidium Ochami, et Gabrielis à Scoto.

Sed, & iſti ſunt diuiſi, quibuſdam poſſibilitatem augmenti ex ipſamet gratiæ, & qualitatis natura metientibus, quæ eſt in infinitum augibilis: ità Occamus, & poſt eum aſſecla Gabriel: quibuſdam accretionis poſſibilitatem ex maiori capacitate ſubiecti conſtituentibus, ita viſi ſunt æxiſtimaſſe Gotfredus, & Henricus à Scoti margine citati *d.23. q.2.§. ad argumenta:* alij autem augeri illam non potuiſſe cenſuerunt, non quia finita non eſſet, ſed quia erat in termino: ita Scotus *loco citato*, vel quia ſic Deus voluit, quatenus non potuit dari infinita, ità Ioannes à Lugo.

Henricus Gotfredus. Scotus Io. Lugo.

46 In hac tanta ſententiarum varietate; ne ſcientias confundamus, phyſicam de infinito tractationem commiſcere abhorreamus; ſed & operæpretium putamus terminos non ignorari, ne fiat in æquiuoco lapſus; ſi quidem multos auctorum diſſidentium numerus de nomina potius, quam de re altercantur, & ij præcipuè, quibus poſſibile viſum eſt infinitam qualitatem intenſiuè dari, vt plurimum infinitum poteſtate cum infinito in actu confundunt, quorum tamen diuerſitatem Ariſtoteles *3. Phyſic. à contextu 24. vſque ad 75.* præſtolatus eſt.

Adnotatio de infinito quod propriè & impropriè ſpectari poteſt.

47 Primò igitur ex phyſicis recolo, ſuppoſita generica illa diuiſione infiniti in actu, & poteſtate, adhuc infinitum actu bipartiri in infinitum propriè, quod actu infinitas partes continet ſimul exiſtentes, non communicantes inter ſe vni certæ; quæ deſcriptio licet videatur infiniti propria de quantitate Molis, arguitiuè tamen ad quodcumque infinitũ applicari poteſt, vt egregiè Scotus *Quolibeto 5.* docuit ex illo Ariſtotelico effato, quod *finitum, & infinitum eſt in quantitate*, infinitum hoc infinitum vocatur cathegorematicè: & in infinitum impropriè, quod continet velque infinitas partes nullum ordinem inter ſe habentes, vt in linea infinita imponuntur puncta.

Diuiſio infiniti poteſtate.

48 Infinitum poteſtate, quod ex infinitis etiam partibus coaleſcit, diuiditur in infinitum diuiſione, ſucceſſione, adiectione. Primum eſt in magnitudine. Secundum in motu, & tempore. Tertium in numeris, & gradibus, & hæc omnia eatenus dicuntur poteſtate infinita, quatenus partes ſimul in actu, totumque perfectum ſortiri nequeunt; ſiquidem actu infinitum eſt, cui nulla poteſt additio fieri: de hoc infinito loquitur Scotus *quolib.illo 5.* docens ſemper nos de quocumque infinito in actu loquentes, ſiuè in entitate, ſiuè in intẽſione, ac præterea in qualitate proportionabiliter attendere debere infinitatem in actu in genere quantitatis: ita vt proportione quadam, ſicuti in quantitate illud dicitur actu infinitum, quod habet rationem totius, & perfecti, & nequit ab alio in quantitate excedi; pariformiter in ſucceſſione graduum qualitatis id cenſeatur actu infinitum, quod totum extat perfectum in genere qualitatis, & nequit in illa qualitate ab alio excedi. Infinitum in entitate *ibidem* deſcribens Scotus *litt.B.* ait, quod *infinitum eſt illud, cui nihil entitatis deeſt, eo modo, quo poſſibile*

bile est illud haberi in aliquo vno; vbi nota descriptionem hanc dari penes considerationem perfectionis; vel virtutis. Rursus infinitum à Scoto finitur per excessum ad aliud quodcunque ens finitum, *vt sit id, quod omne finitum ens excedit, non secundum aliquam determinatam, sed vltra omnem determinatam proportionem*; quæ duæ diffinitiones inuicem copulatæ rectius, quam seiunctim ipsam, quam petimus infiniti naturam attingunt: ceterum prima descriptio seorsim, vel alijs à diffinito conuenire dicenda esset, vel esset in causa, vt gratia Christi ex Scoto diceretur infinita; si quidem illi nihil entitatis gratiæ defuit eo modo, quo possibile erat à creata voluntate gratiam haberi: propterea Scotus diffinitionem vtramque callidè descriptionem maluit, quam diffinitionem appellare; est enim vtraque seiunctim nominis potius, quam rei circumlocutio; licet coniunctim infiniti naturam intimius timentur.

Varia descriptiones infiniti.

49 Similiter philosophare de alia infiniti descriptione Scotica ibidem, *littera A*, qua dicitur *infinitum non posse ab aliquo in entitate excedi*, quæ si appropriatè ad genus qualitatis contrahatur, in hunc modum constituenda erit. Infinitum in qualitate est illud, quod non potest ab alio in qualitate excedi: quam si concesseris vt veram, ex quo gratia animæ Christi nequit ab alia qualitate gratiæ excedi, infinitatem illius in qualitate inuehere teneberis, quod Scoti principijs repugnat *in 2. sent.* infinitum in hisce creatis negantibus: vide Scotum ibi d. 1. q. 3. quamuis primo tibi videatur obtutu problematicè in vtramque partem lusisse. Sed & ibi supponit Scotus, *Infinitum esse id, quod non potest excedi, & pertransiri*, quibus si adæquatam infiniti diffinitionem præstitisse nobis Scotum dixeris, pariformiter ex Scoto dicendum erit tibi, Animæ Christi gratiam fuisse planè infinitam, cum nec pertransiri potuerit, nec excedi: & hæc fortè fuerunt in causa, vt Scoto Medina imposuerit opinionem constituentem gratiam Christi infinitam. Ceterum, vt dixi, & *in quolib. loco citato*, ludens potius describendo, quam diffiniendo locutus est, & *in secundo* problematicè disceptauit, vt splendet in illius quæsiti decursione profitetur; fortè tamen ex his omnibus decursis terminos nobis accommodare voluit, quibus exinde infinitum finire possimus dicendo. *Infinitum est totum ens perfectum à nemine excedi, aut æquari potens*; (plura enim formaliter infinita *quolib. illo 5.* videntur à Scoto) *sed excedens omne ens creatum vltra omnem determinatam proportionem omnino impertransibile, & inaugumentabile*, ex qua descriptione, an gratiæ Animæ Christi infinitatis ratio accommodari queat, infrà monstrabo.

Loca Scoti quæ pugnare videntur.

Descriptio infiniti ex auctore.

50 Notandum interim ex Scoto, considerationem illam gratiæ, vel sub ratione entis, vel sub ratione qualitatis, quã Thomistæ ad huius difficultatis captum vsurpant, non esse Scoti doctrinæ contrariam, qui licet de hac re nullibi appositè videatur locutus, nihilo tamen minus ex his, quæ habet in *1. sent. d. 8. q. 3. littera R*, de quantitate proportionem quandam nobis sentiendi idem de qualitate commodauit: est autem ibi patens opinio Scoti, lineam spectari posse vt ens, & vt quantitas est; ex quo infert, quod si linea esset infinita, non esset infinitum ens, sed esset infinita linea, quæ adhuc in genere quantitatis collocaretur; redditque rationem, quia ad summum in inferiori non sequitur summum in superiori: ex cuius doctrina proportione quadam dicere possumus, considerationem gratiæ in genere entis, & in genere qualitatis, nedum Scoti principijs non esse alienam, sed ijs maximopere conuenire.

Obseruatio altera

Scoti doctrinã sibi propriam adsciuere Recentes.

51 Insuper ex his quæ tradidit de gratia *in eodem 1. d. 17. q. 2. littera duplici GG*, docens necessitatem habitualis gratiæ ex alio capite, quia scilicet est ratio acceptandi actus à nostra voluntate elicitos à Deo, tamquam quidam animi decor, manifestum est iuxta Scoti principia dici posse, gratiam considerari posse vt ens, vt qualitatem, vt decorem, seu vt gratiam ipsam, ita vt Medinæ, & aliorum Thomistarum distinctio ex ipsa Scoti nostri doctrina manauerit.

52 Nec audiendus est Durandus, vel pro eo quispiam à Lugo citatus, considerationem hanc gratiæ, & quà gratia est, & quà qualitas negligens; quià gratia, vt gratia qualitas est; non (inquam) est audiendus; siquidem non

Durandi occursus vanus.

eo inficias, gratiam qualitatem esse, quatenus gratia est, verum gratiam esse totum qualitatis genus inficior; verum tèque sub vna tantum qualitatis specie collocatur: proindè; sicut spectare possumus hominem quatenus homo est & quatenus substantia, vel ens est; ità ex Scoto gratiam pariter spectare licebit.

Quid sit summum ex Scoti doctrina.

53 Rursum pro Scoto monendum, summum in eius doctrina interdum cum infinito confundi, ita vt licet alterum nomen ab altero differ, plerumque alterum pro altero vsurpetur; ità in 3. *sent. loco cit. & quolib. 5.* summum pro infinito sumpsit; *& in 1. præsertim dist. 8. q. 1.* petendo, *an Deus sit summè simplex*, quamuis propriè ibi summitatem visus sit vsurpasse, prout differt à simpliciter, quomodo Deus statuitur simplex, non tamen habere dicitur conceptum simpliciter simplicem, quia solum ens habet conceptum simpliciter simplicē, ō resolubilem in vlteriores conceptus: porrò quidquid sit de hoc, ex illius postulationis decursu constat Scotū sūmi vocabulū pro infinito sumpsisse.

Entis conceptus quis.

Distinctio Vulpis.

54 Inter Scotistas Vulpes 1. *parte disp. 11. art. 4.* summum secundum Scotum distinguit in positiuè, & negatiuè, primū adhuc dupliciter, primo pro eo, quod est simpliciter summum in genere entis, secundo pro eo, quod est summum positiuè in determinato genere sub ente: primo modo Deus dicitur summus; secundo modo attributa Dei, vt sapientia, bonitas, &c. & vtroque modo summum ait reperiri tantum in ente infinito: summū verò negatiuè, quod est summū secundū quid, in genere, seu ente finito: addit deinde, creatum aliquid rationale in genere substantiæ posse dici summum negatiuè, & etiam positiuè secundum quid, & *num. 3.* subdit hæc verba, *Dictum est huiusmodi creaturam esse summam secundum quid positiuè, & negatiuè de facto, quia de possibili non datur summa substantia creata positiuè, quia qualibet re creata potest creare perfectiorem; in genere verò qualitatis datur de facto summum positiuè, qualis est gratia Christi, quæ est summa positiuè de facto, dum non exceditur ab alia, & omnem aliam excedit, de possibili autem solum dicitur summa negatiuè, quia non potest excedere aliam gratiam creabilem.* Hæc ille, qui

Verba Vulpis.

Non Scotizat, nec intelligit quæ dicit

hus nec Scotizat, & pugnantia dicit. Non scotizare ostenditur, quia Scotus nō aliter partitus est summi nomen, nisi in positiuè, & negatiuè, proinde subdiuisio illa summi positiuè distinctionis Scoticæ limites transgreditur. Adde summum positiuè in genere determinato sub ente non posse vocari per Scotum bonitatem, & alia attributa Dei, quæ Scotus non sub genere determinato, sed transcendentia vocat d. 9. 1. q. 3. *littera* E. ex illo principio, quod quæcunque conueniunt enti, vt est indifferens ad finitum, & infinitum, conueniunt enti, non vt determinatur ad genus, & de sapientia, potissimum loquendo *litt.* O. illam ex alio capite vocauit transcendentem.

55 Max ait Vulpes, summum secundo modo positiuè, quod datur in determinato genere sub ente, reperiri dumtaxat in ente infinito. Hoc pugnat, quia ex Scoto ibi prius ens diuiditur in infinitum, & in finitum, quam in genera determinata; esset ergo illud ens summum finitum simul, & infinitum: finitum, quia sub genere: infinitum, quia sub ente infinito, quæ pugnant.

Contradictio Vulpis

Negat Vulpes, positiuè summum secundo modo dari in Creatura; mox rationalem creaturam positiuè summā ait. En quam grandis contradictio. Subdit dari positiuè summum de facto in creatis, de possibili non dari. En contradictio maior. Quæ videntur implicare, magis de facto implicant, quam de possibili, nam Dei potestas ad plura se protendit, quam de facto fiant, quare si de facto, cur nō de possibili? Sed (ait) *Quia Deus qualibet re creata, perfectiorem creare potest.* Bellè, ergo (inquam) creata illa natura summa non est. Rursum, an hæc eius doctrina cum Scoto cohæreat, viderit, si leget 3. *sent. dist. 13. in solut. secunda quæstionis litt.* N. vbi petit, cur non fecit Deus summam naturam, sicuti, summā gratiā? si ergo per Scotum non fecit Deus summam naturam, nec de facto dabitur hæc summa natura creata: dari ergo in vnoquoque genere primū cōcedimus, summū positiuè nō concedimus. Demū in expositione summitatis in genere qualitatis Scoto aduersatur. Ait Scotus in 3. *dist. 3. litt.* C. non potuisse Deum dare Christo summam gra-

gratiam positiuè; Vulpes concedit post Scotum summam gratiam in Christo positiuè. An fortè quippiam factum esse putat, quod tamen à Deo fieri nequiuit? Denique ait, gratiam illam negatiuè summam; quia non potest excedere aliam gratiam creabilem. Indulgeo: à contrario sensu vsurpauit terminos; summum enim negatiuè est, quod non potest excedi ab alio: non verò, quod non potest excedere aliud. Hæc lusisse volui pro Scoto, cuius sententiã mox aperiam.

Summũ positiuè, & negatiuè vnde sumptum.

56 Moneo interim partitionem illam nominis Summi in summum positiuè, & negatiuè ab ipsis nominum indagatoribus esse petitam; & iure; quia in vocum significatis impositoribus standum est; sicuti in qualibet arte standum est peritis in ea. Summum ergo apud vocum indagatores dicitur id, quod est omnium altissimum, græcè ἄκρος; sic Virgilius Iouem vocauit Deorum maximum. *Summe Deum, &c.* Summum itaque vocauit Iouem; quia Deorum altissimum putauit, quo nullus maior, & cui nullus æqualis. Dicitur etiam summum apud eos id, quod à nullo potest excedi; licet æquari possit: ita montium cacumina summa dicuntur, quæ ab alijs æquari, sed excedi non possunt: ita idem Virgilius Aeneid. 4. *summòque vlularunt vertice Nimphæ*. Ex hisce germanis vocabuli summi significatis (germanis inquam, si quidem per Tropum vel per orationis ornatum summum dici quoque extremum, & alias plerasque interpretationes peti apud Rethores non ignoro) ansam arripuit Scotus in 3. dist. 13. q. 1. in principio solutionis partiendi summum in positiuè, & negatiuè; Positiuè, quod superabbundantiam dicens omnia alia excedit, estque idem, quod altissimum apud gramaticos: Negatiuè autem, quod à nullo alio exceditur; estque idem, ac id, quo nihil est maius apud Grammaticos. Ne cui autem videatur partitio in idem incidere, quasi vero idem sit quod est omnium altissimum, & quod nequit ab alio excedi, pensandũ est, positiuè summũ nedũ excedi non posse, sed ipsum excedere alia, itemve æquari non posse; negatiuè verò summũ nõ posse vtique pertransiri, & excedi, æquari tamen posse.

Aeneid. 4. Virgilius Æneid. 4.

Assertio negans gratiam Christi esse infinitã.

57 Hisce decursis. Assero Primo, Christi gratiam habitualem, nec sub ratione entis, nec sub ratione qualitatis fuisse verè infinitam. Assertio, quæ duplici parte constituitur, haud dubiè quoad vtramque traditur à Scoto d. 13. toties citata litt. A. ad secundum; vbi concedit hanc gratiam esse supremam; & finitam, per hæc verba: *Dico, quod, vt intelligitur, quod vltra illam gratiam supremam, &c.* vt corrigendus sit Medina Scoto imponens, quod Christi gratiam propugnauerit infinitam. Scotica igitur assertio tam de infinito in actu, quam de infinito in potentia probatur; deque infinito in actu facilè suadetur ex eius impossibilitate: & primo, si consideretur gratia sub ratione entis, quia ens infinitum vnum est, quod & ipse nouit Aristoteles, quinto Thop. c. 13. dicens; vni soli conuenire, quod dicitur per superabundantiam, est ergo solius Dei propria infinitas entitatiua formaliter, & quæ sunt in Deo identicè, nec vllo modo creatis rebus aptari potest, quia implicat esse totum simul perfectum ex se nullis circumscriptum terminis, nec circumscriptibile, quod est de ratione infiniti actu, & esse creatum, vt in 2. superdictum est. Si consideretur gratia sub ratione qualitatis, patet assertio, ex illo *Sapientiæ* 11. quo Deus statuitur omnia fecisse in numero, pondere, & mensura, quo perinde docemur qualitatem etiam gratiæ propria mensura donatam, nec exinde infinitam esse, cui mensuram nequimus apponere. Secundo, quia implicat esse qualitatem de genere qualitatis verè, & esse infinitam gratiam, quia qualitas, quæ est accidens subiecto, cui inhæret accommodatur, ita vt finiti subiecti qualitas finita sit, alioquin infinitum finito subiecto circumscriberetur, quod pugnat, & ipsam infiniti rationem destruit: quomodo enim infinitum dicitur, quod certo, ac finito subiecto circumscribitur?

Verba Scoti.

Lapsus Medinæ.

Probatur assertum.

Aristot. Thop.

Sap. 11.

Elicitur hæc ratio ex doctrina Scoti d. 13. citata littera F. vbi iacet subiectum accidentis susceptiuum, & accidens ipsum susceptibile aliqualem proportionem exposcit.

58 Alij impossibilitatem aucupantur ex

inclusione in genere, arbitrabitur gratiam Christi infinitam esse non posse, quæ in genere qualitatis collocatur; cum nullum infinitum sit in genere, Fortè tamen argumentatio in Scoti gymnasio luderetur; qui in 1. d. 8. q. 3. litt. R. distinguens infinitatem in ratione entis ab infinitate in genere quantitatis, negat infinitum in ratione entis genere aliquo comprehendi, sub ratione propria concedit, exinde lineam infinitam non qua ens, sed qua linea est ad prædicamentum reuocat quantitatis: impossibilitas igitur tum ex Dei potestate petenda est, quæ nequit infinitum in actu producere oriente repugnantia ex ipsomet infinito, quod fieri impossibile est; tum ex ratione qualitatis, quæ cum sit accidens, proportionari debet subiecto, cui inhæret.

Alia probatio.

59 Rursum, quod nec gratia illa sit potestate infinita, tanquam propositæ assertionis appendix, probatur contra Gabrielem, & Ochamum sustinentes potuisse augeri gratiam Christi in infinitum: ex quo hæc est formalis infiniti in potentia ratio, præceptore Aristotele 3. *phys.* vt eius partes accipientibus semper aliquid accipiendum; probatur inquam ex Scoti principijs.

Aristot. 3. naturalium.

Ratio Scoti.

60 Infinitū potestate, aut est diuisione, aut successione, aut adiectione, sed nullū horū est gratia Christi, ergo nullo modo infinita. Maior patet ex sufficienti rationis infiniti acceptione; probo minorem per singula. Non est gratia Christi successione infinita, quia non est motus, aut tempus, sed est simplex qualitas, quæ cum cæteris alijs permanentibus nec durat, nec mensuratur tempore. Non est infinita diuisione, quia non est quantitas; non adiectione, quia ponatur primus, seu infimus gratiæ gradus, qui vocetur A. & procedatur adijciendo vsque ad X; peto an in X sit status, an vlterior processus; si status, ergo gradus gratiæ infiniti non sunt, quia in infinito potestate quantumcumque accipias reliquum est aliquid accipiendum: si vlterior processus, tunc arguo sic. Quanto aliquis gradus magis excedit A, tanto ipsum, cui infunt gradus perfectius est A; ergo, si progressus daretur in infinitum in gradibus, in infinitam excederetur A in perfectione, & exinde gratiam intensiuè actu infinitam dari necessum esset, vt confirmatur, quia per Aristotelem lib. 3. cap. de infinito in Phys. Quidquid contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu: quæ propositio, licet in successiuis difficultatem patiatur, certè in permanentibus vt vera constituitur à Philosophis; sed infinitas actu in gradibus gratiæ est impossibilis, ergo & in potentia; infinitas igitur potestate nulla est in gratia Christi.

Propositio Arist. 3. phys.

Respōdet Gabriel.

61 Sed respondet Gabriel, negando eo casu excedi A à gradibus, in quibus non est status, sed semper processus; nam quocumque gradu posito additus alius non excederet finitatem: & ad Aristotelis pronunciatum, negat in primis Aristotelem: secundo distinguit de infinito, quod si sumatur syncathegorematicè, concedit argumentum, si cathegorematicè negat. Excidit tamen à propria sententia Gabriel in priori responsione, quo velit, nolit, dum finitatem includit, infinitatem excludit; quod si dicat excludi infinitatem actu, includi infinitatem potestate, hoc vrgebat argumentatio proposita, futurū scilicet, vt aliquando deueniretur ad gradum, qui cum in infinitum defectu ab A distaret, in infinitum A excelleret, & ad excellentiam potestate diuertere argumentum ducitur est; quoniam verè in actu gradus ille in infinitum distans actu excelleret: quare, vel ad finem deueniendum esset, vel ad infinitum, si ad finem, ergo gratia non infinita; si ad infinitum, ergo ad infinitam excellentiam: & planè in hoc hallucinatus est Gabriel, quòd infinitatem qualitatis metitus est ad instar successiuorum, nempè motus, ac temporis, quæ cum simul permanentia non sint, successiuè vtique fiunt partes acquirendo, & acquisitas perdendo, quod non euenit in qualitate, quæ est forma permanens in actu.

Confutatur Gabriel.

62 In alia responsione corrigendus est Gabriel absque ratione Aristotelem negans, cuius pronunciati veritas suadetur, quoniam actus, & potestas, quæ sunt, differentiæ entis, mutuò se comitantur: ita vt ob actum constituatur potentia, & si impossibilis sit actus, superuacaneè constituatur potentia: impossibilitate igitur infinitatis in actu gratiæ, constituta rectè impossibilitas acce-

Rursum arguit.

cretionis eius in infinitumconcluditur, vtporèque de genere permanentium eſt, non ſucceſſiuorum : ex quo dilemmate ridetur poſtrema Gabrielis reſponſio, tanquam impertinens ad argumentum, quod in permanentibus infinitatem ſyncathegorematicè ex impoſſibilitate infiniti cathegorematice euellit.

Arguitur etiam Gabriel.

64 Præterea contra eundem Gabrielem, & Ochamum. Fuit tota ſimul Animæ Chriſti collate gratie, neque vſquam creuit, ſed quam ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit, perpetuò retinuit; atqui ille non fuit actu infinita; quia infinitum in actu etiam per ipſos non datur; quare nec infinita in potentia; quia nuſquam aucta in Chriſto, ſed nec augmentabilis; nam ſi augmentabilis, & non aucta, ſequitur, quod Chriſtus plenitudinem gratiæ, haudquaquam habuerit, quod cum veritate cohærere non poteſt, nam Ioannis 1. dicitur *Vidimus eum plenum gratia, & veritatis*, & paulò infra, *ex eius plenitudine nos omnes accepimus.*

Ioan. 1.

Luca 3.

Nec refert, quod Lucæ 3. dicatur *profeciſſe Chriſtus gratia apud Deum, & homines*, locum enim illum non de ipſa gratiæ collatione, ſed de manifeſtatione gratiæ exponunt Interpretes, qua de re vide Lorinum in *expoſitione Pſalm. 44. verſ. illo Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem propterea vnxit te Deus &c.* Sequitur inſuper, vel fuiſſe Deum impotentem augere gratiam, quæ ſuopte ingenio augmentabilis erat, aut nolentẽ: ſi primum, ergo imbecillus, ſi ſecundũ ergo inuidus: quare concludendum, nec in ratione entis, nec in ratione qualiteris gratiam illam fuiſſe actu, vel poteſtate infinitam.

Lorinus in pſa. 44

64 Sed nunquid in genere gratiæ, vel decoris? Reſponſio petenda eſt ex diſputatione de merito Chriſti, quod an infinitum fuerit, an finitum grauem habet controuerſiam; interim hoc loco ſuppoſito ob aliquam rationem ſaltem ex acceptatione diuina meritum Chriſti quoquo modo appellari infinitum, pariformiter dicendum mihi videtur de Chriſti gratia, poſſe ſcilicet quodammodo nuncupari infinitam, quæ actuum meritoriorum ex diuina acceptatione in infinitum principium extitit; verum hæc infinitas Phyſica non eſt, ſed, vt ita dicam moralis, pacto videlicet, ac diuina acceptatione intercedente.

Quomodò de gratia Chriſti dici queat infinita.

Ex his caſtigande eſt nimia Luiſij Turriani licentia *centuria 2. cenſura Theologica dubia 89.* exiſtimantis non carere temeritate opinionem aſſerentem, habitualem Chriſti gratiam fuiſſe finitam, cũ tamen ex dictis gratia Chriſti, nec ſub ratione qualitatis, nec ſub ratione gratiæ, aut entis phyſicã infinitatem queat induere, niſi morali modo præexpoſito, neque vnquam fuerit Scotus temeritatis nota, niſi ab hoc nouo cenſore in hac re inſimulatus.

Turriani cenſura ſtatum taxa

65 Aſſertio propoſita, non ſolum de poteſtate Dei ordinaria, ſed de abſoluta vrgetur; nam quod fieri implicat nulla poteſtate fieri poteſt, ſed gratiam infinitam dari, ex ipſa ratione creaturæ implicat, nam in 2. *ſent.* negant Theologi poſſe infinitum à Deo creari, quare nulla poteſtate fieri poteſt.

Adhuc ſuadetur aſſertum

Hoc idem argue de infinito poteſtate, quod in qualitate, cæteriſque permanentibus creabile non eſſe argumenta huculque prolata conuincunt; quanquam, cum diſputatio ſit penitus phyſice, ad Phyſicos ipſos deuoluenda eſt.

66 Aſſero ſecundo, Chriſti gratiam non fuiſſe poſitiuè ſummam. Traditur à Scoto *loc. c.* & haud dubiè ex eius doctrina colligitur in 1. *ſent.* locis adductis, quibus nomen ſummi, & infiniti pro eodem ſumpſit, vt vbinde infinitate à gratia Chriſti ablegata, conſequẽs ſit in doctrina eius poſitiuam etiam ſummitatem ablegare. Si quod autem inter ſummum poſitiuè, & infinitum actu diſcrimen naciſcimur, adhuc non fuiſſe Chriſti Animæ gratiam collatam poſitiuè ſummam, ex ipſa ſummi huiuſmodi ratione conuincitur. Summum dicitur poſitiuè, quod eſt altiſſimum omne aliud à ſe excedens, vt nec excedi, nec adæquari poſſit, ſed non ita ſe habuit Chriſti gratia, quo minus adæquari poſſet, ſiue minus excedi; ergo poſitiuè ſumma non fuit. Maiorem ſupra ex ipſa nominis ſummi deſcriptione probaui. Oſtendo minorem. Poteſt Deus abſoluta ſaltem poteſtate creaturæ alij ab Anima Chriſti æqualem impertiri gratiam, ſiue illa ad vnionem in hypoſtaſi aſſumeretur, ſiue non; quo caſu gratia Chriſti eſſet illi æqualis, neque

Non fuit Chriſti gratia ſumma poſitiuè.

Aſſertio probatur

petin-

perinde summa esset.

Monitio necessaria

67 Hoc loco obserua, quod si ad rationem summi constituas necessarium, quod non excedatur, nec adæquetur actu, posse quoquo modo Christi gratiam summam positiuè dici, quatenus scilicet de facto, & fortè etiam de ordinata Dei potestate non habet æqualem; licet Scotus de hac potestate ordinata, an Deus possit aliam creare gratiam huic æqualem non audacter, sed probabiliter locutus dicat *q. 1, dist. 13. litt. G. §. hac iuxta, &c. quod posset dici, quod de potentia ordinata non potest habere æqualem; quia iuxta leges à Deo conditas non erit, nisi vnum caput in Ecclesia, à quo influitur gratia in membra*, & hoc sensu pari possemus doctrinam Vulpis supra citatam, concedentem Christi gratiam summam de facto, non de possibili, non referendo possibilitatem ad actum gratiæ, sed ad diuinam potestatem absolutam. Verum ex his, quæ supra constituimus, & ex Scoto *litt. C*, probante, quod summa gratia creabilis potuit conferri, & est collata Christo, & quod summa gratia creabilis positiuè non potuit conferri Animæ Christi, valdè patenter elicitur, verè summum positiuè intelligi, quod nulla potestate excedi, aut adæquari potest: quo sensu nec Christus summam dicitur habere gratiam positiuè, nec summa gratia dicitur esse creabilis: & ex allata ratione probatur; nam, si est alia æqualis creabilis, summa ergo non est creabilis; quia ab illa alia creata æquari posset. Adde, vt diximus, summum positiuè hoc modo cum infinito confundi ab ipsomet Scoto, nedum *in 1, l. c.* sed *in 3. d. 13. ad 1. q. litt. B.* vbi de summo positiuè loquens, ait. *Primo modo non est, vt dictum est, nisi vnum dictum per superabundantiam.* Hæc ille, quibus iterum infinitum cum summo positiuè confundere videtur, & iterum dum increabilem esse censet summam gratiam, videtur illam cum infinito confudisse, obinde para hæc asserti, vt superior etiam probari posset.

Vulpis doctrina quomodo sustinenda

Gratia Christi negatiuè summa probatur

68 Assero tertio: Christi Animæ gratiam fuisse negatiuè summam. Est eiusdem Scoti *ibi*, & supposito ex nostra interpretatione, summum hoc modo esse, quod pertransiri non potest, seù quo nihil est maius; quamuis æquari queat, suadetur ex superiori; qua parte æquationem patitur: sed primo pertransiri non posse probatur auctoritate Augustini 3. *de libero arbitrio*, qua Scotus vtitur *litt. H.* Argumento ità conflato. Si quod vera tibi melius ratione occurrit, hoc fecisse Deum Christo dicendum est: planè; cum melius sit secundum rationem rectam dicere Deum dedisse gratiam summam Christo, hoc planè Deum fecisse dicendum tibi est. Porrò, quod hoc melius tibi secundum rationem rectam occurrat probatur; quia sic summa Dei misericordia, ac liberalitas in largitione summi muneris, seù gratiæ elucescit magis.

Augustinus

Adde auctoritates illas, quibus plenitudinem gratiæ, vel gratiam non fuisse Christo datam ad mensuram ex scripturis probare possumus, quæ omnes huic asserto fauent; exque iis rationem confla. Christi Anima non ad mensuram, sed plenitudinem habuit gratiæ, quæ tamen ab alia possibili gratia absolutè potuit æquari; ergo illa fuit summa negatiuè: sequela probatur; quia summum negatiuè illud est, quod mensuram non habens excedi nō potest, quamquam potest æquari.

Alia probatio.

69 Præterea: probabile satis est, ac pium asserere, omnem gratiam creabilem à Deo Animæ Christi largitam: sed gratia hoc modo creabilis fuit: ergo probabile est datam à Deo Animæ Christi. Maiorem probat auctoritas Augustini allata, & pietas, qua ducimur in commendando Christum melius esse excedere, quam à debita laude deficere, & coniectura, quoniam sciscitandum superesset, cur si potuit noluit; Cum præcipuè alias tam naturam illam à Verbo assumptam dignificarit? Minor probatur. Quod ab intellectu diuino vt vnum creabile videtur, vtiquè id creabile est: non enim, quæ Deus distinctè videt, falsò videt; propterea sicut factibilem vidit gratiam hanc summam, vtiquè illa factibilis est: porrò cognosci ab intellectu diuino summam gratiam factibilem is negaret, qui inscium faceret Deum.

Probatio alia

70 Nec satis est cum Medina dicere, non cognosci summam gratiam creabilem, quia summa gratia creabilis non datur, nec

Instantia Medinæ nulla

nec potest Deus summam gratiam creabilem creare: responsio enim pugnet in terminis, nam si gratia summe creabilis est, quomodo non potest creari? certè increabile nequit creari. Forte aiet, hanc gratiam esse increabilem, quia quacunque gratia creata creabilis est maior, & exinde nusquam creabitur summa gratia. Contra. In gratie, & cæteris, quæ ex nihilo fiunt deueniendum est ad quendam determinatum suæ perfectionis gradum, vltra quem non est transitus, sed in eo datur status, alioquin ad infinitatem progrediendum esset, quæ finitis, & creatis hisce conuenire non potest; siquidem implicat augeri in infinitum, quod in termino est, & assignandus est hisce creatis terminus, vt terminata dicantur, alioquin si interminata essent, infinita essent: neque inaniter confugiendum est ad infinitatem syncathegorematicam, seù in potentia, quæ in permanentibus, vt supra dictum est locum non hebet, sed solum in successiuis, in quibus non datur status, vt in permanentibus. Neque hic gratiæ terminus aut ex terminate capacitate Animæ Christi, vt perperam putabat Gottifredus, aut à solo Deo constitutus est, sed ex ipsa rei natura exigitur, quandoquidem implicet finitum non esse finitum, dum finitum, & non finitum, seù infinitum contradictorium more regalentur; quarè gratia, quæ finita est tum in genere entis, tum in genere qualitatis, & gratiæ; licet moraliter infinita nuncupetur, physicè infinita esse non potest; debetquè proinde certum aliquem sortiri gradum, vltra quem transitus tam sit impossibilis, quem impossibile est finitum ad infinitatem pertransire.

Infinitas in potentia nō habet locum in permanentibus.

71 Ex his colligendum est, non posse Christi gratiam aliqua potestate augeri; non oriente quidem repugnantia ex parte subiecti, cuius capacitas nec ampliatur, nec minuitur; cum sit in potentia obedientiali ad quantamcumque gratiam, vt monet Scotus littera I; sed repugnantiam præstolante ipse gratiæ summæ naturæ, quæ non esset summa, si posset augeri, nec esset in termino, si possat fieri maior. Colligendum insuper contra Thomistas maiorem gratiam non posse à Deo conferri naturæ, sed nec simpliciter creari, alias hæc non esse summa, cuius alia esset maior, cum tamen hæc dum maiorem non habeat, sed nec æqualem, licet æqualem possit hebere.

Duæ difficultates notabiles.

72 Vniuersæ propositæ difficultatis captus solutionem duarum physicarum disputationum supponit. Prima est, num infinitum potestate dabile sit in permanentibus. Secunda est, an detur maximū, & minimum in creatis; illam in 3. *phys.* hanc in 1. *eiusdem operis* prosequuntur Philosophi, vbi pro Scoto vide Tataretum *cap. 2. quæst. 1. §. 4. sciendum &c.* ex quo distinctionem illam de summo positiuè de facto, & de possibili excerpsit Vulpes, minus tamen distinctè, vt diximus, & Tataretus ibi monet, cauet pro Scoto respondendum, quia omnes Doctores sunt contra eum. Quo verò ad distinctionem Vulpis, sic ea vti mauis recapitulando dicas, gratiam Christi de potentia ordinaria posse etiam dici summā positiuè, quia nec maiorem, nec æqualem creauit Deus, sed neque ordinata potestate creare potest, & secundum eandem potentiam esse summam negatiuè, quia à nulla æquatur, verum de potentia absoluta posse creari gratiam æqualem, non tamen maiorem, cum hæc sit in termino, & proinde hac potestate spectatā summitatem positiuè illi non conuenire, & hoc modo distinctiones Tatareti, Fabri, & Vulpis de summo de facto, & de possibili aliquam hebent veritatem. Attamen, vt supra monui, distinctionem hanc Scotus disputatiuo potius, quem assertiuo sensu præstit §. *Hic iuxta primum membrum &c.* cuius hæc sunt verba, *Hic posset dici, quod licet Deus de potentia absoluta posset tantam gratiam conferre alteri naturæ &c.* antea verò assertiuè dixerat, summum positiuè non esse creabile, vnde ex §. illo, solum deducitur gratiam Christi spectato rerum ordine, & in facto esse, esse quidem negatiuè summā, sed positiuè summam iam antea excluserat, verum absoluta Dei spectata potestate nec summam negatiuè futuram.

Tataretus.

Vulpes.

Defensio Vulpis in gratiam affectatum.

Scoti verba.

73 Vno verbo, summum negatiuè in via Scoti videtur mihi illud, quod ad se relatum augeri non potest, ad aliud verò relatum non potest per vllam po-

Quid summum negatiuè quid positiuè, ex auctore.

tentiam excedi, licet per absolutam duntaxat potestatem possit æquari; positiuè verò summum id, quod ad se referri nõ potest, cùm sit maximum, ad aliud verò relatum nec excedi potest, nec adæquari per vllam etiam Dei absolutam potentiam; propterea gratia est summa in Christo negatiuè duntaxat; quia licet de facto à nullo adæquetur, adæquari nihilominus per absolutam Dei potentiam non implicat, non est autem positiuè summa, quia non ita alias excedit gratias, vt nullatenus etiam per absolutam Dei potentiam possit adæquari. Ex hac distinctione, & nostrorum Scotistarum lapsum in explicanda Scoti sententia, & aliorum Scolasticorum placita cribrare, ipsorumque argumentis obuius ire poteris.

Dubitatio de gratia Virginis & aliorũ Sanctorũ

74 Superest hoc loco dubiusculum, qui dicatur Christi gratia summa, quiuè dicatur ea donatus ad plenitudinem Christus, Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius gloriam quasi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & Veritatis*, cum eadem plenitudo Virgini Deiparæ tribuatur. Cœleste Nuncio attestante Lucæ 1. *Aue gratia plena*, *Lucæ 1.* immò, quod magis difficultatem auget, plenitudinem gratiæ in pluribus Sanctis attestatur Scriptura, præcipuè in Stephano Actorum 6. *Stephanus plenus gratia*. *Act. 6.* Sunt, qui hanc gratiæ plenitudinem in Christo Seruatore ad gratiam vnionis referant cum Bonacina, & Recentioribus, immò, vt videtur, etiã cum Scoto in 3. d. 13. q. 3. post propositionem argumentorum, vbi citat Augustinum lib. 13. de Trinit. cap. 19. dicentem, *quod summa gratia in rebus per tempus ortis est, quod homo in vnitate personæ sit Deo coniunctus*. Verum plenitudinem hanc, quam possimus ad gratiam vnionis deuertere, locolum potius, quam sensatum est diffugium; quasi verò vnio ista accretionem, & gradus pati fuerit vnquam, aut pati potuerit, quæ in propre ingenio erat simplex relatio, cuius est proprium non suscipere magis, & minus; quamuis alio sensu dicatur maxima, vt in propria disputatione notaui. Nec Scotus ibi ex propria locutus est sententia, qui arguendo in oppositum id duntaxat posuit ad inuehendam in Christo summam gratiam, nedum ex vnione, sed ex habituali gratia,

Bonacina sensus.

August.

Arguitur Bonacina

quam iuxta Ioannis 1. pronunciatum tantam in Christo ponendam statuit, quanta Vnigenitum Dei decebat, quod intellige, non ità, vt data credatur gratia Christo, tanquam personæ vnigenitæ à Patre, sed naturæ humanæ vnitæ in hypostasi Vnigenito Patris filio.

75 Propositum igitur dubium aliò tendit, illud autem prosequitur S. Thomas 3. *p. q. 7. art. 6. & 7.* quod, & plurium difficultatum nodes diluendos inuoluit, præcipuè, an Virgo Deipara fuerit ab instanti suæ Conceptionis gratia plena, an verò semper profecerit, maximumque habuerit in Incarnatione Verbi gratiæ incrementum, sed & deinde etiam per Baptismi, & Eucharistiæ susceptionem adhuc profecerit: nam, si hoc secundum concedatur, non diceretur verè, & rigorosè gratia plena, & Angeli annunciantis allocutio interpretatione indigeret quam maxima; qua de re nihil certi apud Scotum; quamuis in 4. dist. q. 6. littera B, dubitatiuè loquens in eam videatur propendere sententiam, quæ statuit, Virginem eam gratiæ plenitudinem in filij Conceptione recepisse, ad quam decreuerat Deus illam peruenire; de qua re supersedendum in præsentia; interim pro capitis sigillo, proque dubij propositi enodatione, supposito plenitudinem hanc non ex subiecti capacitate mensurandam, de quo Scotus *dist. 13.* citata docet, ex maioritate, vel minoritate gratiæ neque augeri, neque comprimi subiecti receptiui capacitatum, quod est quantæcunque gratiæ capax, dissero, Christum duntaxat verè dici gratia plenum; quia summa gratia negatiuè donatus fuit; Virginem autem non eo dici gratia plenam, quod verè summam habuerit gratiam, cum tollet Virginis gratiam nedum à gratia Christi adæquatam, sed longius excessam; sed

76 quia post Christum cæteras creaturarum gratias longius excessit, nec ità aliorũ Sanctorũ gratia quoquomodo adæquatur; dixerim etiã, plerosque alios Sanctos, & Stephanũ plenos gratia nuncupari, quatenus gratia à Deo acceperunt, quæ plenè, & sufficienter munus propriũ obire poterant,

77 ad quod erant à Deo disponente electi; cæterum veram gratiæ plenitudinem in Christo duntaxat Seruatore collocasti.

S. Thom. 3. p. q. 7. art. 6.

An Virginis gratia creuerit, & quando? pulchra dubitatio

Scoti sensus.

Solus Christus verè gratia plenus

Virgo Deipara alio modo gratia plena.

DE

DE GRATIA CAPITIS IN Christo.

DISPVT. XII.

1 VT hactenus, licet crasso Marte, digestum est, creatal animæ Christi voluntas habituali gratia donata est; eiusq; humanitati Vnionis gratia; gratiam etiam in eo, vt Ecclesiæ caput est, comminiscimur; & Incarnationem quidem ipsam vnionis gratiam, habitualem verò gratiam singularis personæ nuncupamus; aliam deniq; gratiam capitis: quamuis in rigore perperam gratia habitualis gratia singularis personæ vocitetur; cum singularis illa in Christo persona, vtpotè diuina Verbi, & æterna ab re dicatur gratia donata, quæ est totius gratiæ donatrix; nisi personæ nomen latè pro indiuidua illa natura sumatur, vel nisi vulgo pronunciatum interpreteremur, ità vt in Christo habitualis gratia gratia singularis personæ denominetur, hoc est, quæ generatim singularibus confertur personis, quamuis desiderata in Christo humana persona, humanæ atomæ fuerit collata naturæ. Vtcumque sit, disceptationes de gratia vnionis latissimè profusas, & gratiæ habitualis in Christo notitiam vtcumque propositā disquisitio de gratia capitis sequitur, quæ quid sit, & an sit in Christo petendum: in re tamen facili codicem potius, quam doctrinam augere poterit profusa locutio, quæ breuiter quidpiam supponit, quidpiam petit. Supponit Christum esse Ecclesiæ caput: gratiam eius quantam, qualemque exposcit: Age, quamuis contra suppositum disceptare à logico distet, ne arguatur de petitione principij, deque commiatione suppositi, & postulati, suppositi ipsius veritatem timemur, vt ex eius cognitione in postulati decisionem dilabamur, totamque disputationem triplici breuiusculo capite persoluemus, nostro paululum ordine immutato.

Quid gratia singularis personæ.

AN CHRISTVS SIT CAPVT Ecclesiæ.

CAP. I.

2 NOn loquimur hic de Christo, vt Deo, de quo idem, ac de Patre, & Spiritu sancto iuditium ferre necessum est indiuisis Trinitatis adorandissimæ operibus ad extra, sed de Christo homine, de quo vt præsens exigit caput, caput ipsum contemplantes, supponimus, vt ea scripturæ patentissimum, vniuersam Dei Ecclesiam corpus Christi misticum nuncupari, propter quandam ad corpus ipsum naturale similitudinem, quam Paulus Rom, 12. expressit, aiens, *quod sicut in vno corpore multa habemus membra, omnia autem membra non habent eundem actum; ita nos vnum sumus in Christo corpus*; quibus ex duplici similitudine corporis naturalis, Ecclesiam vniuersam corporis mistici nomenclatura decorauit; prima, quia in corpore naturali multa sunt membra, & in Ecclesia fideles multi: secunda, quia corporis naturalia membra singula singulis proprijs inhærent operibus, & in Ecclesia alij sunt Doctores, alij Rectores, alij Prophetæ, &c. Fortè tertiam ex actibus Apostolorum similitudinem nancisci possemus; quia sicuti membra naturalis corporis vno reguntur, ac fouētur animo; ita de credentibus effatur Actorum scriptor. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, exinde quemadmodum se habet totum ad totum, ita pars ad partem; sicuti in naturali corpore mēbrum aliquod principem sibi constituit sedem, quod proptereà caput membrorū dicitur; ita in mystico Ecclesiæ corpore Principem locum Christo tribuit Paulus plurities, & ad Col. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*; ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*, & cap. 5. *sicut Christus caput est Ecclesiæ*, itidem ad Colos. 2.

Rom. 12.

Similitudo corporis naturalis, & Ecclesiæ

Actorum

Col. 1. Ephes. 1. & 5. Col. 2.

3 Similitudo autem capitis cū Christo triplex à S. Thoma fertur *art. 1. q. 8.* Ex ordine nimirum, perfectione, & virtute. Ex ordine, quia caput est prima

pars corporis, Christus prædestinatorũ primogenitus, Deoque ipsi propinquior ex perfectione, secundum quam in capite omnes vigent sensus; in Christo omnia gratia, *Vidimus eum plenum gratiæ, &c.* ex virtute secundum quem cætera membra capite directore reguntur, & Christus in cætera Ecclesiæ influit membra. Addit Gabriel quartem similitudinem, quam ex conformitate variatur; est enim caput conforme corpori in natura; quia est compositum ex eadem carne, eademque animæ formatum, qua corpus. Similitudo vero magis erit capitis ad membra, quam membrorum ad caput, non tamen futilis, sed multi ponderis.

Ioan. 1.

4 Quoniam vero similitudo ab identitate differt, nec obinde similitudinẽ absque dissimilitudine comperimus, adest discrepantia multiplex inter naturalis, & mystici corporis caput; hoc enim nullo indiget membrorum adiutorio, nullo alimento, opitulatione nulla, at corporis naturalis caput è contra; insuper de non membro membrum adsciscere sibi potest, naturalis autem corporis caput non ita, vt verũ sit Gymnasiorum nostrorum pronuncia tum, exempla, ac similitudines non currere quatuor pedibus, crassa quidem sed vera Minerua. Porrò hæc ex ipsis suppono scripturis, de quibus vberiorẽ doctrinã differentes vide S. Thomæ Interpretes in *comment. q. 8. 3. p. art. 1. & 2.*

Dissimilitudo varia capitis corporis naturalis. & mystici.

Difficultate premimur non leui, cum Ecclesiæ partitionem ex communi Patrum, ac Scolasticorum confessione patiatur in Triumphantem, ac militantem, numquid Ecclesiæ vtriusque caput sit Christus, non ita vt duplex sit caput; sed vt compaginata ex Triumphanti, ac militanti Ecclesia; an eius sit caput Christus. Rursum sub Ecclesiæ vocabulo complectuntur fideles illi, quos ab humanis ereptos igne purganti mundari fides contra Græcorum insaniam, Purgatorium negantem, docet: quamuis ij, nec in Triumphanti adhuc Ecclesia constituti sint, vtpote beandi, sed nondum beati; nec planè in militanti, dum meriti tempus exegerunt, vitæ mortalis cursu peracto: Nec desunt qui Ecclesiæ generica appellatione nedum fide per baptismum acquisitos, sed & infideles, & qui perpetuis inferorum carceribus detenti igne cremantur æterno; sed sub eiusdem Ecclesiæ nomine beatos quosquè intelligi voluerint tam Angelos, quam homines; itaut Ecclesiæ nomen vniuersam creatorum, creandorumquè hominum, & Angelorum multitudinem significet; qua significatione concessa mille suppetunt dubia. An Christus sit Angelorum caput, sicut & hominum. An sit solum fidelium caput Christus; an etiam infidelium, an sit damnatorum caput; an dæmonum. An demum creatorum omnium.

Præcipua difficultas

5 Duplici tamen distinctione singulis difficultatibus in re morali fiet, vt puto satis. Prima est: Ecclesiam bifariam spectari, latiori, scilicet, ac arctiori significato, & latiori quidem nedum vtramque significare Ecclesiam, quæ scilicet in re, & quæ in spe Deum videt, militantem hanc, triumphantem illam aiunt, sed ad quoscumque mentis, ac rationis capaces homines; immò latius creaturas diffundi, quo sensu, & qui Deum vident homines, & qui Deum per fidem credunt, & qui nec audiunt, nec credunt infideles (lato etiam significato infidelitatẽ sumendo, prout ad quoscumque tam ethnicos, quam à vera fide deuios, vel hæresi, vel scismate, vel etiam censura protenditur) & Angeli, & Dæmones sub Ecclesiæ nomine valent includi; strictiori autem significatione adhuc bifariam Ecclesiæ vocabulum sumi; primo prout viatores dumtaxat suo sinu complectitur homines quocunque titulo, vel lege præfultos; secundo arctius, prout fidelium Christi dumtaxat cœtum, ac congregationem designat.

Distinctio notabilis.

6 Altera distinctio est nominis huius *Capitis*, quod adhuc bifariam vsurpari potest; propriè, videlicet, & impropriè, & priori modo adhuc dupliciter; lato, scilicet, ac arcto significato. Caput propriè, quamuis latè sumptum, initium rei designat, quomodo itineris principiũ viæ caput nuncupamus; similiter & aliarum rerum mente carentium; vocatur autem acceptio hæc capitis propria, quatenus ex accommodato loquentiũ vsu ita loqui consueuimus: porrò vsum qua-

Alia distinctio.

quasi alteram legem notunt Iurisperiti. Caput propriè ac verè, & arctè acceptum præcipuum corporis membrum designat, in quo mens, si loquamur de homine, sensus omnes, animique sedes saltem ex medicis insidet. Caput denique impropriè, & quasi per metaphoram, tropumque acceptum principatum denotat, ita Reges, & Proceres capita Prouinciarum, regnorumque interdum appellari consueuerunt.

Tertia distinctio.

7 Libeat & tertiam distinctionem adiungere; ex duplici in vno Christi supposito coeunte natura sumpti, vt dum de eo effamur distinguamus de Christo homine, vel Deo, obinde hoc loco loqui nos posse de Christo, vt homo est, vel de eo, vt est Deus; & quidem si de Christo Deo, humanitatis consideratione præcisa, loquamur; non Christus magis, quam Pater, & Spiritus Sanctus capita sunt; immò rectius caput est Ecclesiæ (non, n. plura sunt capita, sed vnum caput) tres diuinæ personæ, sicut vnus est Deus, quia vnus est Dominus; & hoc loco capitis vocabulum rectius Deo aptatur vt Principatum significat, quam vt caput strictè, & propriè; quod, cum debeat esse eiusdem rationis cum cæteris Ecclesiæ membris, minus aptè Deo accommodatur, cuius natura nihil habet commune, aut affine cum creatis, nisi entis conceptum: si autem de Christo Deo disseramus, cui humanitas vnita est: adhuc distinguendum est; nam, quà Deus est, vno modo caput Ecclesiæ quibit nuncupari, quod nuncupari vt homo eodem mode nequibit; etsi namque Christus vt homo dominus sit omnium, vt alibi dicemus, ex illo psal. 8. *omnia subiecisti sub pedibus eius &c.* non tamen eo modo, quo Deus; & qua homo est vno modo caput poterit appellari Ecclesiæ, quo nequit appellari vt Deus; strictè scilicet capitis nomenclaturam sumendo: & sic habes, quod præcisè, qua homo est capitis propria, & arcta significatio ad Christum in ordine ad Ecclesiam transfertur, non ita vt rigorosa acceptione capitis caput naturale sit Ecclesiæ, sed proprietatē vocis ad tropū (prout ex similitudine humani naturalis corporis ad totum Ecclesię corpus sermonem transferimus) transferendo.

Psalm. 8.

Assertio prima de capite principum.

8 Ex his consequenter mihi videtur Dicendum primo; Christum posse dici creaturarum omnium tam ratione carentium, quam vtentium caput. Ratio est, quia omnium est Princeps, & capitis vocem pro Principatu sumendo assertum nullam habet inter Catholicos difficultatem, quam ipsemet Seruator diluit Matth. vltimo *data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, & tot antè sæcula prædixerat Dauid psalm. 8. *omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper, & pecora campi; volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Hac tamen significatione capitis vocabulum latè funditur, vt diximus, quoniam propriè, etsi Rex aliquis Dominus dicatur agrorum, vel pecudum, satis tamen ineptè, & impropriè dicitur caput pecudum, vel agrorum; quare in hunc sensum dici potest Christus creaturarum omnium caput impropriè, Dominus, ac Rex propriè, vt alibi dictum est.

Matt. vltimo.
Psal. 8.

Assertio secunda de capite pro initio.

9 Dicendum secundo, Christum Dominum verè creaturarum omnium caput dici posse, & esse, capitis nomen pro initio sumendo. Hæc ipsa assertio ex alio loco veritatem sumit, nimirum ex ordine diuinæ electionis, in quo, sicut prædestinatorum Principem vocamus Christum, ità omnium creaturarum caput, & initium; non ità vt per ipsum facta sit electorum prædestinatio; quasi verò is aliorum prædestinationem meruerit: hoc enim in superioribus euicimus; sed vt ordine dignitatis, & excellentiæ præelectus, & antè omnes creaturas dicatur volitus, iuxtà illud Prouerb. 18. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio*, vbi aliæ lectiones habent, *initium viarum suarum*. Quod autem initium est, hoc & caput esse dixi in obseruationibus.

Prou. 18

Porrò locum illum, quamquam Deiparæ Virgini accommodatum, de quo ego etiam in mea de Immaculato Virginis conceptu concione fusè disserui, rectissimè de inhumanata Sapientia Dei intelligendum, vide quæ docent Interpretes, & præcipuè ibi ex Recentibus Ferdinandus à Salazar; in qua re moraliter penitus, ac difficultate carente non immoror; nam & ipsi Thomistæ, qui

Auctor in conc. de cōcep. Virginis.

Ferdinandus Salazar.

Chri-

Christum electũ putant in ordine ad redimendum humanum genus à peccato dumtaxat; & obinde post Adamici lapsus præuisionem: nec etiam facilè concederent, Christum hominem à Deo volitum post alia volita, & post creaturas; ne in hoc sensu Christum membrum potius, quam caput affirment, quod vtique non concederent, ne Paulo irent obuiam ad Colossenses *cap. 1.* Christum vocante creaturarum omniũ primogenitum, iuxta illud eiusdem Sapientiæ, *ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*. Hisce duobus modis nedum hominum fide præditorum, sed & infidelium damnatorũ, & ipsorum etiam Diabolorum caput dici potest Christus, cum omnium sit rector, & Dominus, & ante omnes volitus, & electus: cautius tamen loquendo capitis nomen in hisce assertis haud quaquam liberè vsurpandum est; cum verba, seu nomina simpliciter prolata, semper, aut planè vt plurimum in strictiori significato, quod formale significatum Nostrates vocant, vsurpentur.

Eccles. 24

Assertio tertia de capite proprio.

10 Dicendum tertio, capitis vocabulũ accipiendo propriè, tropo deducta ex capite, quod est præcipua naturalis corporis pars, Christum creatorum omniũ fidelium hominum, & comprehensorum rectè caput dici posse. Hæc assertio, quæ de solis hominibus, vel beatis, vel in via apposita est, vix etiam difficultatem habet; quatenus tamen sub viatorum hominum voce homines quoscumque tam bonos, quã malos intelligimus, exactè probanda est; & generatim quidem hoc modo. Christus idcirco aliquo modo ratione nostri caput sibi vendicat; quia capitis naturalis instar in membra influit perfectiones, gratiam, & gloriam; cæteraque membra eo rectore gubernantur, qui est ordine, ac dignitate primus; sed hæc omnia Christus exequitur cum beatis, & cum fidelibus viatoribus; ergo rectè fidelium viatorum caput nuncupari potest. Maiorem sub ipso capitis vestibulo expressimus, declarata naturalis capitis cum mystico capite similitudine. Minor probatur. Gloria Beatorum ex Christi meritis habetur; similiter & viatorum fidelium gratia; quæ sunt veræ animi perfectiones, & eorum caput Christum esse ostendi paulo superius, eoque rectè dirigi satis ostẽdit Paulus *Act. 17.* Poetæ illius effatum vsurpans; *In ipso viuimus mouemur, & sumus*; non itaut Christus sit animus noster formaliter; vt perperam Cato ille in suis dictabat distichis aiens, *Si Deus est animus nobis, Ut carmina dicunt*; sed quia caput est; quo dirigente, ac iubente ita viuimus, mouemur & sumus; vt cerebro nostro animi sede dictante, quod in capite residet, dirigimur, viuimus, & mouemur.

Probatur primo.

Act. 17

Cato in moralibus.

11 Præterea. Si quorum non videbitur Christus esse caput: planè viatorum fidelium gratia tamen destitutorum, in quos tantum fidem, non tamen Charitatem influere videtur; sed peccatores gratia destituti non videntur vllo modo effugere, quin eorum sit caput Christus: ergo nullus remanet, quamuis peccator, fidelis, qui sub Christo capite non vigeat. Minorem, seu assumptum probo; quia, præter fidem, quis tot mouentis, præuenientis, excitantisque gratiæ auxilia peccatoribus elargitur, nisi Christus Dominus? Et quidem vt Deus effectiuè cum Patre, & Spiritu Sancto, vt homo Deo vnitus meritoriè: gratia siquidem, & gloria per Christum dantur; quare & ij influxum gratiæ præuenientis à Christo recipiunt, & fortè aliquando (si electi scilicet sunt absque dubio) habitualis gratiæ sanctificantis influxum recipient, & gloriæ pariter: si autem electi non sunt, sat est, posse eos habitualis gratiæ influxum recipere; sicuti actualiter aliarum virtutum influxum recipiunt: quod verò actú numquam talis gratiæ perseuerantis influxum recepturi sint, id non officit, quo minus illorum caput Christum dicamus; cum sit satis posse influere, vel per ipsum non stare, quo minus influat, sed per reprobos ipsos à Deo obstinata voluntate auersos: sicut nec humanum corporis nostri caput desinit illorum membrorum esse caput, quæ vel infirmitate, vel alio cado quasi mortua sunt, & exiccata. Porrò in hunc modum Sacrosanctum Tridentinum Concilium *sess. 6. de iustificatione cap. 7.* Iustificatos dumtaxat viua Christi membra nuncupauit, vt plane

Probatur secundo.

Conc. Tr. sess. 6.

nè iudicet, non iustificatos membra Christi vtique esse, sed non viua, sed mortua.

Obiectio diluit.

12 Quod si vrgeas: Concilium ibi solos iustificatos appellare Christo insertos: ergo non iustificatos indicauit, neque vt mortua, nec vt viua membra Christo insertos. Respondeo, in primis, Concilium appositè loqui de iustificatione baptismali; ait enim sic *Iustificatum recipere per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*, Quæ plane receptio in solo baptismo fit regulariter, quo fides infunditur: nos hic autem loqui de peccatoribus fidelibus; hoc est iam antea baptismi merito sanctificatos Christo insertos, & fide, ac spe, & charitate donatos, qui non indigent amplius Christo capiti inseri, nisi vt membra viua recipiant influxum. Secundo respondeo, vt extremis verbis superioris responsionis tetigi, peccatores posse denuo dici, licet fideles, Christo inseri, hoc est vniri, vt membra viua capiti, vt influxum recipiant; quamuis etiam sub peccato existentes mortua Christi membra queant appellari.

Tertia probatio.

13 Præterea Christus à Paulo *locis sub capitis initio citatis*, Ecclesiæ caput dicitur, sed peccatores fideles membra sunt Ecclesiæ, ergo eorum pariter Christus est caput. Assumptum, sed minorem hisce parabolis scripturæ testantur. Prima tritici, & zizaniæ, quam vna cum tritico vsque ad messem crescere Paterfamilias iussit, quia, scilicet mixti sunt in Ecclesia Dei reprobi cum bonis. Secunda sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congregantis. Tertia decem Virginum, quarum quinque erant fatuæ, quinque prudentes, Matth. 25. quem locum explicans Beatus Gregorius *hom. 12. in Euangelia*, inquit, *nomine Regni cælorum intelligi Ecclesiam, in qua reprobi cum bonis, & mali cum electis admixti sunt; & propterea rectè similis decem Virginibus*, quarum fatuis, quæ prudentibus renunciant.

Parabolæ Euangelicæ.

Matt. 25

Greg. homil. 12. 9

Canus lib. 4. de locis.

14 Mitto cætera in re tam facili, quamuis enim Canus *lib. 4. de locis cap. vltimo*, vereatur reprobos appellare Christi membra, dum sunt viatores, sed potius partes: alijs autem, velum suetis eos appellare vel membra æthrogenea, vel in potentia tantum, iam verò ex Concilio Tridentino *loco citato* literè dirempta absque hæsitatione dicendum est (quod etiam quadrat explicationi Gregorij supra allatæ) etiam reprobos Ecclesiæ Christi membra esse, licet non viua; porrò si gratia habituali, ac perseueranti donarentur, viua forent membra; sunt ergo viua membra in potentia; mortua in actu; si certè de facto damnabuntur, possunt tamen saluari, sed ex ipsa humani corporis naturalis structura, è qua sit hæc mystici corporis denominatio liquet, membra arida non amittere nomen membri, dùm corpori vnita insident; quia de ratione membri non est, vt simpliciter viuat, sed vt sit aptum natum viuere; inde vngues, & pili membra dici nequeunt, vt potè inepta viuere, & propterea labitur Medina *in comm. art. 3. q. 8. 3. partis*, dum malos, ac reprobos in vita vnguibus comparat, ac pilis in humano corpore, cum tamen hæc vix partes corporis latè sumpti appellari possint, vt alibi dixi, membra verò nullo modo, de quorum ratione est, vt sint saltem viuere apta nata, si minus viuant; & ex hoc etiam educitur minus probata Sancti Thomæ sententia, ubi asserentis, malos licet fideles, esse secundum quid membra Christi; nam si ij sunt secundum quid membra; ergo Christus secundum quid caput eorum; aut ergo non simpliciter Christus Ecclesiæ caput, aut ij non simpliciter de corpore Ecclesiæ, quorum vtrumque est falsum, nam Paulus in primis absolutè, & simpliciter totius Ecclesiæ caput nuncupauit Christum, & Christus apertè simpliciter constare præsentis temporis Ecclesiam ex reprobis, & electis docuit, vt in parabolis adductis liquet; si autem S. Thomas secundum quid putat in ordine ad vitam, opinio eius haud satis ab expositâ à nobis sententia distat, qui statuimus reprobos, & malos esse simpliciter membra Ecclesiæ, & Christi, non tamen actu viua; porrò actualis vitæ defectus rationem membri simpliciter non euellit, sed solius membri actu viui; sat est enim ad membrum potentia vita.

Medina lapsus.

Arguitur Thomistarũ doctrina.

14 Quid verò de prædestinatis vita functis, sed nondum ad vitam ingressis, verùm potè purgatorij igne detentis? Quid rursum de reprobis iam vita functis, &

Dubitatio de ijs qui igne purganti tenentur.

æterno igne adscriptis ? ex his vtriusque petitionis suppetit responsum tibi; si dicta hucusque perpendas. Planè cū purgatorij locus non sit vltimus animarum locus, ac terminus, influentiam illuc à Christo capite denegare, tolerantiæ videlicet, & aliorum bonorum, fortè Angelicæ visionis, celeris ad Cælos assumptionis, reuelationis, & similium satis impium reor: cum ij præsertim viua sint Christi corporis membra charitate formata, & mox beatitate formanda. Deinde, cum de ratione membri sit, vt viuere possit vnitum corpori, rectè deducitur, damnatos à Christi corpore seiunctos haud amplius spiritualis vitæ capaces, vtpotè abscissos à corpore, in termino non amplius in via, consequenter dicendum est eorum caput Christum non esse; quidquid contra Puteanus somniat *quæst. 8. dub. 1.* quod eos Christus puniat citrà condignum: Verum, an hoc eis beneficium ex Christo, an ex Deo impartitum sit, discutiendū erat Puteano; præterquamquod huiusmodi influxus non est de ratione capitis propriè sumpti, de cuius ratione est, vitam spiritualem, motusque huiusmodi influere, vt dixi; ille autem influxus, siquis est, munus est capitis latè sumpti. Hactenus de fidelibus.

Puteanus

Assertio 4. de infidelibus cōtra Thomistas.

15 Dicendum quarto, infidelium, quo nomine singulas sectas intelligi volo tam Iudæorum, quam Turcharū, aut Ethnicorum, seu Paganorum, Christum non esse verè, ac rigorose caput. Assertio videtur opposita doctrinæ Thomistarum, qui post S. Thomam *loco citato*, omnium hominum Christum nuncuparunt caput, & ipse S. Doctor *art. 3. in solut. 1.* id dilucidè concedit de infidelibus, qui non actu, sed potestate sunt de Ecclesia: tum quia possunt fieri fideles: tum quia Christus est sufficiens ad omnium salutem. Ipsi autem Thomistæ aliunde etiam rationem veram capitis in Christo respectu infidelium venantur: quidam ex influxu actuali; quidam ex potentiali Christi influxu; quatenus scilicet potest in eos influere. Actualem influxum vocationis ad fidem agnoscit Lugo; potentialem Bonacina post Suarezium, Becanum, & alios ab eo citatos. Est autem in his auctoribus mirabile dictu, quod infideles non sunt verè, & propriè membra Ecclesiæ, sed Christus est verè & propriè ipsorum caput; mirabile (inquam) dictu; nam, si Christus est caput corporis Ecclesiæ, planè caput est membrorum Ecclesiæ; siquè aliqui non sunt membra uera, nec Christus est verum ipsorum caput; quia eo modo caput est membrorum corporis caput, quo membra sunt corporis membra: idcircò namquè quod est caput corporis, est caput membrorum, quia membra sunt corporis membra; nisi enim essent membra corporis, caput non esset illorum caput: quarè quo modo relata ea ad corpus membra sunt, eo relatum ad ea caput caput est; siquè per Aduersarios infideles sunt impropriè membra Ecclesiæ, impropriè sunt membra illius corporis, cuius Christus est caput; & obinde Christus impropriè est eorum caput.

Influxus in infideles varius ex Lugo, & Bonacina.

Quid sit de ratione membri.

16 Arbitror deceptionem vniuersam esse nedùm in nomine capitis, quod quo ad infideles latè sumitur; sed etiam in nomine membri, de cuius ratione est, vt sit corpori vnitum; nam à corpore abscissum desinit esse corporis membrum; corpori insitum incipit esse corporis membrum: quare de ratione membri in ordine ad caput est nedùm influxum recipere, sed influxum talem, qualis debetur membro corpori insito: obindè, cum quocumque nomine appellari infideles Christi corpori insita membra non sint; deficiente fide, qua homo inseritur Christo, fitquè Christi membrū; neque eorum verè, ac propriè caput nuncupabitur Christus.

17 De his infidelibus aiebat Paulus, *Quid mihi de his, qui foris sunt*, Consimile iudicium ferendum est de hæreticis, ac scismaticis; vtpote à Christi corpore, quod est Ecclesia, abscissis, fide destitutis; quæ cum vnus, simplexque sit habitus, vt alibi dixi, ex incredulitate penes vnicum articulum, vniuersa amittitur; proinde miror, quonam modo Medina *in calce comm. art. 3.* audeat asserere, scismaticos recipere influxum internum fidei à Christo, *fides enim* (ait Medina) *in scismaticis sufficit, vt recipiant influxum à Christo*, sed quæ nam fides; ego inquam, in scismatico, qui se à Christi corpore scidit? Certè non credens Catholicam Ecclesiam fide nō

Medina corrigitur.

datur

datur ob incredulitatem vnius articuli Apostolorum Symboli, scismaticus apertum, dum se à visibili Ecclesiæ capite scindit, à corpore Ecclesiæ scindit, nec obinde verè Catholicam credit Ecclesiam; nam si crederet, vtique crederet mea caput; quo non credito, nec corpus ipsum credi dicendum est, nisi acephalum. Vide quæ habent Recentes de scismate; & an; quoque modo ab hæresi differat.

Dubitatio an Christus sit Angelorū caput.

19. Maior vrget difficultas de Angelis, vtrum scilicet eorum caput sit Christus; quæ res controuersiam habet. Gabriel enim d. 13. 3, negat, & plerique cum eo. Alij absque distinctione affirmant, putantes Christi merito electos Angelos, & exinde influxisse in eos Christum primam gratiam, & gloriam ante præuisionem peccati, & nunc etiam gloriam influere; ita ex Nostratibus Vulpes, tam in *prima part. tom. 2. disp. 38. art. 8.* vbi de Angelis, & hominibus idem censet, vt Christi merito præuisi gratiam, & gloriam habuerint antecedenter ad præuisionem peccati in electione diuina, quam in *2. parte disp. 22. artic. 1. num. 3.* vbi auctoritate Bernardi *serm. 22. in Cantica*, dicentis Angelos fuisse redēptos sustultos, ait per Christum saluatos Angelos; quoniam ex Christi meritis gratiā, & perseuerantiam acceperunt, citatque pro se Scotum in 4. d. 4. q. 2. docentem, de facto nulli gratiam dari, nisi per aliquam causam meritoriam; additque rationem, quia finis vltimus Angelorum est etiam supernaturalis secundum attingentiam: tenetur ex his elicere Vulpes, verè Christum Angelorum caput, ad quos gratiam influit, & gloriam. Hausit tamen more suo Vulpes sententiam à Suarezio *disp. 42.* in eam quoque inclinat Lorinus *comm. in psalm. 44.* verba illa perpendens, *propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus, seu participibus tuis;* vbi per oleum, ex communiori Interpretum sensu, gratiam sensit, per consortes, & participes, cum Hugone Cardinale, Eugubino, & Agellio; imnò, & Athanasio, *serm. 2. contra Arianos*, homines & Angelos. In hoc tamen à Suarezio, & alijs distat Vulpes; quod ij per merita Christi passionis præuisa collatam Angelis gratiam arbitrantur, & gloriam, Vulpes vero per merita alia Christi ante præuisionem peccati, & ante decretum de carne passibili præuisa.

Opinio Gabrielis

Opinio Vulpis.

Bern. ser. 22. in Cant.

Vulpes à Suario descripsit Lorin. in psal. 44.

Hugo, Eugubinus Agellius Athanas.

20. Alij distinctione vtentes prima quidem auxilia negant impertita Angelis ex merito Christi, atqui donum perseuerantiæ datum tenent ij ex merito Christi; ita Ioannes à Lugo *disp. 25. sect. 3. num. 27.* Alij demum nullum horum, sed sola accidentaria auxilia illustrationis, illuminationis, & aliorum similium, missionis, imperij, & huiusmodi, gaudij de reparatione sedium ipsorum, & similium, ita Vasquez *disp. 49.* alijque post eum, & opinionem ex Alense, & S. Bonauentura sumpserunt; ille quidem *3. p. q. 12. memb. 3. art. 3.* hoc vero in *3. d. 3. art. 2. q. 3.* cum quibus Maior, Paludanus, ac Durandus.

Opinio Lugo.

& Vasq. S. Bonau. Alensis Maioris Paludani Durandi

21. Proposita difficultas disceptatione de merito Christi discutienda est. Interim ex nostris hucusque constitutis in Scoti sententia principijs, vt ad rem spectat, dicendum, quod, etsi Christi futuri præuisio peccati Angelorum, & hominum præuisionem antecesserit, fueritque prius decretus Christi aduentus, illique consitrata gloria, ac summa gratia antecedenter ad peccati cuiuslibet præuisionem; in illo tamen signo, quo Christi primo, & exinde aliorum electio facta est, nihil penitus de merito illorum præuidebatur; sed decreta singulis electis gratia, qua meritorium opus elicituri erant electi, præuidit Deus homines Adami demerito casuros; exinde subsecutum est decretum de Christi merito in ordine ad homines; vt scilicet adueniret Christus in passibili, & caduca carne, qua patiens hominem in peccata dilapsum restauraret; vniuersum autem Angelorum negocium decreto, ac signo illo, quo singuli electi fuerunt, completum est; nam simul Deus elegit homines, quos voluit, & Angelos nullum habens actum positiuum ergà præscitos v. g. ergà Iudam hominem, & Luciferum Angelum; mox vidit casurum vtrumque, Angelum scilicet, & hominem; & hominem quidem omnem, Angelum verò non omnem, sed non electum tantum; sequenti proinde signo electis hominibus, quos cum Angelis

Ordo in prædest.

Apostatis casuros videret, medelam decreuit Christi aduentum, qui sua passionis merito hominem perditum restauraret, & propterea merita Christi in ordine ad homines singula constituta sumpta, & decreta in carne mortali; nam, vt dixi, antecedentibus lapsu nulla habitudo Christi meritorum ad homines, nulla ad Angelos; quæ doctrina maximè consonat doctrinæ Scoti, tum in 3. d. 18. tum in 1. d. 41. signa illa diuersa commiscens in electione æterna prædestinatorum, vt alibi dixi.

Ordo in prædestinatione.

22 Et allatum Scoti testimonium à Vulpe voluntariè vrgetur, ibi. n. Scotus de facto loquitur de hominibus, quibus certum est gratiam, & gloriam conferri per aliquam meritoriam causam, quæ est Christi passio.

Assertum

Ex his ergo dico post Scotum, cuius mentem in hoc rectè assequitur Faber in 3. *disp.* 48. *cap.* 1. *circa finem*, Christum nec gratiam, nec gloriam essentialem Angelis meruisse. Ratio est; quia, vt dixi, meritum Christi ad alios in æterna præuisione, ac decreto non fuit relatum ante decretum de eius aduentu in carne passibili; proinde si non fuisset casurus Adam, vel non fuisset præuisus casurus, post signū illud intercessisset decretum relatiuum meritorum Christi ad glorificationem aliorum hominum, de facto autem nullum Christus exhibuit meritum, nisi in carne passibili, quā tamen non propter Angelos, sed propter homines sumpsit ex fidei decreto. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutē descendit de cælis*, in symbolo Niceno; immo id ipsum contestatus est Angelus in Christi natiuitate Lucæ 2. *Natus est* (inquiens) *vobis hodie saluator*, neque confugiendum est ad illud decretum prius, quo Christus destinabatur ad gloriam, & ad gratiam; quia hoc decretum in ipso secundum se Christo complebatur, nec referebatur ad alios aut homines, aut Angelos.

Symb. Nicenum.

Lucæ 2.

23 Non equidem inficior, influxum aliquem accidentalis gratiæ, & gloriæ à Christo in Angelis; sed non ob inde asseuerandum mihi esse videtur, Christum esse Angelorum pari modo caput, & hominum; vt ad rem nostram reuertamur, in cuius gratiam paulò longius digredi fas fuit, quam præsens loci postularet occasio. Kio igitur Christum caput Angelorum dici; id testificante Paulo ad Colos. 2. *Qui est caput omnis principatus & potestatis*: & idem videtur de alijs ordinibus iudicium ferendum; licet fortè hæc auctoritas intelligi posset de principatibus, & potestatibus, non in ordinibus Angelicis, sed in Regimine humano, sicut etiam paulò infra subdidit Apostolus, *expolians principatus & potestates*; quia per eius mortem ablatum est Iudæorum sceptrum, expoliatæ sunt potestates, nudati principatus; nisi & hanc etiam mauis de Angelis malis interpretari ex ordine principatus, & potestatis, qui in Christi morte sunt facta auctoritate expoliati; immò de facto auctoritate in mortuos, quos Christus traduxit triumphans, expoliati. Vtcumque sit, Christum caput Angelorum confiteor, non dum ob accidentalis gloriæ influxum, sed ob illud, quod in eis exercet imperium mittendo; vt operationes impositas exerceant: est ergo caput eorum, quasi latè; quia Rex, & Dominus speciali iure Angelorum, vtpotè domesticorum eius, qui adhuc, dum viueret, accessisse leguntur, vt ministrarent ei, & nunc temporis, millia millium ministrare, & decies millies centena millia assistere dicuntur; dominationis igitur excellentioris munus in eos exercens iure eorum caput appellatur.

Col. 2.

24 Verum eo modo caput Christum esse Angelorum, ac hominum inficior; tū quia capitis ratio postulat, vt sit eiusdem rationis, cum membris, Christus autem, vt homo, non est eiusdem speciei, & rationis cum Angelo, nec etiam penes animam, quæ sit minus species, saltem, vt pars speciei differt ab Angelo; si ergo Christus caput Angelorum eo modo statueretur, ac hominum; eo modo Angeli constituendi essent corporis Christi membra, ac homines: at hoc falsum est; quia homines, vt forma, & materia compacti, carne, & animo præditi, sunt corporis Christi membra; Angeli autem materia, & forma nudati carnem, & animam non habēt; ergo & illud falsum est: tum etiam, quia non tam in Angelos, quam in homines influit; nam in homines gratiam & gloriam essentialem; in eos accidenta-

Christus quomodo caput Angelorum.

lem

lem dumtaxat, in homines alia dona, quæ non ex Christi merito habuerunt Angeli; vno verbo, in homines omnia, in Angelos aliqua; quare non ita Angelorum, vt hominum, in quos præcipuè munus redemptionis eluxit, non autem in Angelos.

25 Iam verò, vt capitis materiam aliquãdo sigillemus, concludendũ est, Christum esse caput Ecclesiæ, siuè militantis, siuè triumphantis; quia cum sit caput hominum; tam militans, quam triumphans Ecclesia hominibus replebitur: hæc comprehensoribus, illa viatoribus; quia tamen proprium Ecclesiæ nomen fidelium cœtum designare videtur, secundum hanc partem etiam magis dicitur Christus caput hominum, quam Angelorum, qui sunt comprehensores, non autem viatores; & rursum cũ cumulatiuè Ecclesia, quæ sursum est nedum homines complectatur, sed Angelos; quoquo modo magis dicendus videtur Christus caput Ecclesiæ triumphantis, quam militantis; tum quia ibi est caput Angelorum, & hominum, hìc autem hominum dumtaxat; tum etiam, quia ibì gloriam, hìc gratiam infundit; est autem gloria quacumquè gratia præstantior habituali, vel gratis data; genericè tamen omnium est caput hominum fidelium, & comprehensorum; quia omnes hi viua sunt Christi corporis membra, vel si minus actu viua, vt accidit in peccatoribus; potestate tamen propinqua viua; vtporè quæ per fidem, quæ est quasi Ecclesiæ collum, iuxta illud Cant. *collum tuum sicut turris eburnea*, corpori aggregata Ecclesiæ Christi capiti inseruiuntur.

Christus vtriusque Ecclesiæ caput.

Cant. 4. 26 Ex his, si quæ sunt Sanctorum auctoritates, quibus indicari videatur eo modo Christum esse omnium hominum, & infidelium caput, & consimili modo omnium hominum, ac Angelorum, facile dilui possunt, aut explicari. Et primo, dum Angeli vocantur, conserui hominum Apocalipsi 19. *conseruus tuus sum* (aiebat Angelus Ioanni Apostolo) indicatur hominem, & Angelum respicere Christum, vt caput imperans, non vt eo modo influens, aut vt eiusdem rationis cum membris. Rursum, cum Paulus ait Ephesiorum 1. *Christum constitutum ad dexteram Dei super omnem principatum, potestatem, virtutem, dominationem, &c.* quod testimonium maximè vrgent Recentes, de Christo vt capite imperante intellige; id enim sequentibus verbis indicat Paulus aiens, *omnia subiecit sub pedibus eius, &c.* Iterum cum Dauid Angelos vocat Christi consortes, ac con participes *psal. 44.* nihil indicat prætera, nisi gloria frui Angelos, qua fruitur Christus; sed non obinde ait frui Angelos gloria per Christum, si de Angelis locus ille intelligatur, cum plerique, Interpretes de solis illum interpretentur hominibus. Dum Bernardus Angelos nuncupauit redemptos, latè redemptionem sume pro repletione locorum inanium in cælis, restaurante Angelorũ ruinam Christo per homines, quos merito suæ passionis redemit; sed ipse semet Bernardus *Sermone feria 4. maioris hebdomada* exponit, dum ait. *Passio Christi data est homini; quia alteri dari non potuit; non Angelo; quia non indiguit, &c.* Demum ratio Vulpis nulla est; quoniam, & si finis Angelorum supernaturalis est; non obinde concluditur debere haberi per Christi merita.

Apoc. 19

Ephes. 1.

Bernardus.

QVAE SIT HAEC GRATIA capitis in Christo.

CAPVT II.

27 Superius caput, quod breue forè spopondimus, sponsionem mille dubitationum incremẽtis auctam frustrauit; sed fortassè breuitatẽ in hoc ipsum remittens excusationem prolixitatis æqui boníque faciendam sibi pollicetur. Thomistæ dubitationem præsentem cum Sancto Thoma *q. 8. art. 5.* prosequuntur, vbi Suarez *disp. 23.* & Vasquez *disp. 48. cap. 4.* Lugo, *disput. 17. num. 11.* Bonacina, *disp. 2. q. 18. puncto 2.* cæteri Doctores in 3. *dist. 13:* vbi S. Bonauentura, Durandus, Gabriel, & alij.

S. Thom. Suarez Vasquez Lugo. Bonacina S. Bonau. Durãdus Gabriel.

28 Quid sentiat Scotus infra monstrabo. Interim præfati Auctores dissident, existentibus Antiquioribus Theologis, solam

Christi gratiam habitualem nuncupari gratiā capiti; contra Recentibus cum Vasquezio, & alijs gratiam capitis nedum ad habitualem, sed ad gratiam vnionis reuocantibus. Conciliat dissidentes Lugo distinctione media: distinctio est, quod Christi gratia ad operationes capitis dupliciter influit. Primo dignificando opera Christi, vt valorem habeant condignum ad merendum, & satisfaciendum pro alijs. Secundo in genere causæ efficientis elicicendo ipsa opera meritoria, quibus alijs mereatur: primo modo gratia capitis est gratia vnionis, quæ magis videtur pertinere ad constituendam dignitatem capitis in Christo: secundo modo est gratia habitualis.

Scoti placitum vbi habeatur

29 Meminit gratiæ capitis in Christo Scotus *dist. 13. q. 1. paulò ante litt. H.* his verbis *secundum leges iam positas à sapientia diuina non erit, nisi vnum caput in Ecclesia, à quo fit influentia gratiarum in membris.* Hæc ille loquens de quantitate gratiæ habitualis Christi, & constituens de potentia ordinata non posse Christi gratiam adæquari; quia vnum est Ecclesiæ caput Christus influens in membra, quæ ratio nullius esset valoris, ac ponderis, nisi apertè concederet solam gratiam habitualem esse gratiam capitis in Christo. Hoc igitur loco ad mentem eius missa Gabrielis partitione de gratia capitis in gratuitā Dei volūtatē, in naturā humanam Christi conformem nostræ, & in habitualem gratiam animæ Christi, quam nō recepit ad mensurā; hac inquā partitione dimissa, vtpotè non generis in species, nec superioris in inferiora; cum diuina essentia nec sit gratia, nec gratia inferior, & propterea improprijssimè in eam nomen gratiæ capitis, deuoluatur; & adhuc recepta generica illa scolasticorū partitione gratiæ Christi in gratiā capitis habituale, & vnionis non vt generis in species, sed saltē vt vocis in sua significata; secundum quam gratia habitualis Christi vocatur etiam gratia singularis personæ, quod tamen sano sensu intelligendum est; quia vt alibi obseruaui, gratia non personæ Christi, sed ac homæ naturæ; siue animæ Christi concessa est; an autem anima sit verè persona difficultatem habet, cum non sit incommunicabilis, vt patet, distinguimus hoc ipsum gratiæ capitis vocabulum alio modo.

Distinctio Gabrielis vana.

30 Gratia capitis intelligitur, vel gratia illius, quod est caput, vel gratia, ratione cuius aliquod est caput: distinctio ex ipsa capitis energia ortum habet; nā primum membrum distinctionis indicatur ex modo loquendi; quæ est enim gratia Francisci, nisi gratia, quam habet Franciscus? Secundum membrum ex appropriatione vocis facta à Scolasticis, apud quos eadem est gratia capitis, & gratia ratione cuius aliquod est caput. De priori parte diuisionis dubitatio leuis est; nam Christi gratia non vna est, sicuti secundū se multiplex est gratia; est .n. gratia donorū, gratia habitualis, gratia actualis, gratia gratis data, & aliæ de quibus partim hucusque, partim in sequentibus dicendum est. Quæ sit autem gratia ratione cuius Christus dicitur caput, quamquam dissidere videantur præcitati auctores; liquescet tamen ex præcognita capitis in membra actione, & quidem caput vt superiori capite diximus, est aliorum corporis membrorum Initium, Princeps, ac Rector, consimilis naturæ cum alijs membris, influens in eam motus, & operationes; quare & eam per consequens gratia nuncupabitur capitis, quæ ratio erit in capite ad hæc obeunda in membris sua munera, & officia, & exinde à primo ad vltimum cum gratia habitualis Christi, quæ est actuum meritoriorum principium, causa sit gratiæ nostræ, & meritorum ab humana voluntate manantium, influens obinde in totum Ecclesię corpus merita; secundum quam Christus ita principatur, vt excedi eius gratia nulla potestate possit, sed nec adæquari ordinatas a Deo spectando leges; ex inde primogenitus in multis fratribus nuncupetur; quia ordine dignitatis cæteros in electione ad gratiam, & ad gloriam antecellit; nihil præterea vocabulo gratiæ capitis in Christo poterit denotari, nisi habitualis Christi gratia, secundum quam influit quicquid boni habet Ecclesia. Nec vllo modo ad hanc gratiam vnionis gratia spectat; siquidem vt potuit Deus tantam gratiam dare naturę non assumptæ, ita Doctore Scoto, natura illa non assum-

Distinctio gratia capitis ex auctore.

Vnionis gratia non facit ad gratiā capitis.

pta,

pra caput esset Ecclesiæ; quia homogenea cum membris, quia membrorum Princeps; quia influens in membra; è contra verò, si Christus naturam non gratificabilem assumpsisset, illa caput Ecclesiæ non fuisset eiusdem rationis cum membris futura, & fuisset per naturam gratificatam merito gratiæ accessa, licet non merito vnionis; quare vnio ad integritatem gratiæ capitis non spectat, sed nec simpliciter ad valorem dandum operibus intrinsecè; vt de Christi merito disceptã fo dicam, propositionem illam exponendo, *actiones sunt suppositi, non natura*, & nonnihil etiam dixi, dum peterem, an purus homo, scilicet, non vnitus in hypostasi, potuisset Deo pro alijs facere satis, affirmatiuè respondens.

DE DONIS, VIRTVTIBVS, *& gratijs gratis datis.*

CAP. III

31 Disputatio proposita limites videatur disputationis vniuersæ de Christo capite excedere, ad quod virtutes, dona, & gratiæ gratis datæ minimè videntur reuocari: quoniam verò gratiarum Christi tum hac, tum superiori disputatione ex instituto meminimus, ex quo gratiarum vocabulo gratiæ etiam gratis datæ intelliguntur; & ijs proximè accedunt, vel antecedunt petitiones de donis, & virtutibus, ideo breuiter vno verbo, vel altero, crassa quadam Minerua in præsenti petimus, & petendo resoluimus; An Christus virtutes habuerit omnes, an dona, an gratias gratis datas: Verum autem dona distinguantur à virtutibus non est præsentis loci disceptare: videatur Scotus in 3. d. 34. vbi Gabriel; & S. Thomas *prima. 2. q. 68. art. 1. & sequentibus*, vbi Thomistæ cum non leui dissidio; negantibus Scotistis; affirmantibus D. Thomæ Asseclis; de qua ra quid quid sit in præsentia incipiendo à donis.

Scotus Gabriel S. Thomas.

32 Certissimum reor dona Sancti Spiritus Christo domino data à Deo iuxta Isaiæ vaticinium cap. 11. *& requiescet super eum* (loquitur autem de Messia) *Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus &c.* vbi quamuis primo videatur obtruitu non ipsa dona Sancti Spiritus, sed ipsum Spiritum Sanctum in Christo futurum; ait enim Isaias *requiescet Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, &c.* quasi diceret, replebitur Spiritu Sancto, qui est Spiritus sapientiæ, intellectus, scientiæ, pietatis, fortitudinis, consilij, & timoris: nihilo tamen minus cum Christus spectari possit, vel vt Deus, vel vt homo, vtiqua vt Deus ipsam habuit per circumincessionem admirandam personarum Spiritus Sancti personam; vt homo autem habuit potissimum Spiritum Sanctum in donis, & gratijs; & ita locum illum duo Antiquissimi exponunt Interpretes, Tertullianus *lib. 3. contra Marcionem*, & Origenes *hom. 6. in Num. cap. 6.* Hoc idem Sanctus Thomas probat auctoritate. Isaiæ 4. *apprehendent septem mulieres virum vnum*; hoc est, interprete glosa *septem dona Christum.* Probatio tamen minus textui quadrat; quo septem illæ mulieres clamara loquuntur viro illi, *Aufer opprobrium nostrum*; pero namque, quod nam erat donorum Sancti Spiritus opprobrium à Christo auferendum? possetque ratione persuaderi; quia dona hæc à Spiritu Sancto infunduntur; vt rationalis creatura facile à Spiritu Sancto regatur; quare ex effectu arguendo causam, cum perfectissimè à Spiritu Sancto anima Christi directa fuerit, vnde sæpè in Euangelio dicitur Christus à Spiritu Sancto actus in desertum Lucæ 4. & Marci 1. *expulit eum Spiritus in desertum*, & Matt. 4 *ductus est Iesus in desertum à spiritu*; dona hæc Christo collata inficiandum non est; quamuis enim dona per Scotum d. 34. cit. à virtutibus minimè videantur distingui, hanc tamen distinctionem intelliga tu (vt ad præsens spectat) ita, vt non intelligantur dona distinctos habitus constituere à tribus Theologicis, & quatuor moralibus; non ita tamen, vt nulla ratione à virtutibus distinguantur, cum latius virtutes pateant, quam dona; quia virtus habitum omnem designat inclinantem ad operationes virtuosas; siuè habitus ille designatus infusus sit, siuè acquisitus, donum verò habitũ eundem infusum: aliqua igitur ratione dif-

Dona asseruntur in Christo

Tertullianus Origenes Isaiæ 4

S. Thoma explanatio non probatur

Lucæ 4. Marci 1. Matt. 4.

Distinctio donorum à virtutibus qua

Isaiæ 11.

ne differunt; licet non tanta, vt Thomistæ contendunt.

Duo obiecta. Primum. 33 Verum hæc, quæ de donis diximus, duo perturbant obiecta. Primum de timore, quinō videtur fuisse in Christo; quippe cuius obiectū statuitur Deus vt mali causatiuus; Christus autem vtique nouerat Deum, vt determinatum ad non inferendum sibi malum per se obinde nouerat Deum non vt obiectum timoris. *An timor in Christo fuerit.*

Secundum obiectum. Alterum dubium est: quomodo dona statuuntur in Christo, in quo habitus spei, & fidei negatur, si dona non sunt distincti habitus à fide, spe, charitate, prudentia, fortitudine, Iustitia, & temperantia? ita namque per Scotum philosophandum est, vt in donis septenarius habituum illorum numerus complectatur. Prudentia quidem per spiritū consilii, quæ prudentia est habitus consiliatiuus, est namque habitus practicè syllozizandi, practicè autem syllozizare, est consiliare: Fortitudo proprio nomine exprimitur: Timor exprimitur nomine temperantiæ: Pietas, quæ est eadem cum misericordia, ad nomen iustitiæ: Sapientia ad charitatem reuocatur; Est autem sapientia habitus, quo sapit obiectum sapidum habenti; ex qua descriptione innuitur habitum quoque Spei significari per sapientiam; nam si quod sapit mihi bonum est, diligo illud, & sic est habitus charitatis; & vt sapit in se, quod mihi sapidum est, spero illud; sicque proindè spei habitus descriptio: Fides designatur per donum scientiæ, & intellectus; quarè, si spei, ac fidei habitus desiderabantur in Christo, vtiquè dona scientiæ, & intellectus, & sapientiæ, quæ ijdem habitus sunt cum illis, desiderata esse dicenda videntur. *Dona quo modo in virtutibus contenta ex Scoto.*

Diluditur secundum obiectum. Occurrendum tamen postremo dubio, in primis non assertiuè à Scoto constitui, non distingui virtutum habitus à donis; ait enim in 3. *dist.* 34. *q. vnica litt. B. ad istam quæstionem potest dici sinè assertione, &c.* Non igitur asserendo, sed probabiliter opinando virtutum habitus à donis non distinxit; sed, licet dixisset non distingui, adhuc aliqualem intercedere distinctionem monuimus. Porò ex aliquali illa distinctione fit, vt dona Spiritus Sancti col-

locentur in Christo, quamquam spes, & fides non collocantur in eo, qui vnà viator, & comprehensor fuit; mihi tamen distinctio habituum à donis maximopere probatur, vt alibi dicam. *Authori dist. habituum à donis probatur.*

34 Alterum obiectum de dono timoris distinctione enecuatur. Timor alius seruilis, filialis alter: is respicit Deum, vt potentem infligere malum, hic Deum, vt infinitæ celsitudinis verendum: is absolutè timor, hic timor reuerentialis nūcupatur; & hi duo timores mutuò se in nobis comitantur vt plurimum, qui ex timore seruili timore filiali afficimur: Vnde Dauid in psalmo *Confige timore tuo carnes meas;* en timor filialis, qui est donum; *Dei, à mandatis enim tuis timui,* ecce seruilem: distinguuntur igitur; sed vt plurimum filialis seruilem sequitur; in Christo igitur filialis, siue reuerentialis fuit timor non, verò seruilis; hic enim ex malo imminente propendet, filialis autem ex ipsa maiestatis diuinæ contemplatione. *Primum obiectum diluitur.* *Psal.* 118

35 Scio, Thomistarum aliquos hunc etiā Christi timorē referre ad malum; quatenus anima Christi agnoscens à Deo posse annichilari, Deum verebatur. Verum timor hic à malo nusquam futuro perperam deducitur: etenim, quamuis agnouerit Christus, sublata Dei manutenentia probabile futurum, vt in nihilum abiret, hoc tamen malum, vtpotè nusquam futurum de facto, nec de ordinata potestate possibile, neç proindè imminens timorem incutere non debuit. De hoc filiali timore aiebat Dauid. *Timor Domini Sanctus permanens in Sæculum Sæculi,* quippe qui ab ipsis minimè desideratur beatis: de timore autem seruili est illud *perfecta charitas foras mittit timorem,* Ioan. 4. Hactenus de donis. *Psal.* 18. *1 Ioan.* 4

36 Nunc leuia quædam de virtutibus; de quibus fusè hic aliquid ignorato adhuc illarum obiecto, quod in proprio tractatu rimantur Scholastici, diffinire non licet. Est autē virtutum secundum se duplex genus, quoddam immediatè à Deo infusarum, quoddam verò acquisitarum per actus: dum hic autem genus duplex memoro, haud planè Logicè loquor de genere; sed genericè partitio tē venando virtutum eas in duplici collocaui discrimine; logicè namque exprimere *Virtutū distinctio*

primè res dubia est, an virtutes infusæ, & acquisitæ eiusdem sint, an diuersæ speciei, qua de re est illud commune dictum, *diuersitas ortus non facit diuersitatem naturæ*; de quo alibi, sed & de hac petitione vide Scotum *in 4. dist. 45. q. 2. paulò ante litt. A*, sed & infusarum virtutum adhuc duplex est genus quoddam per se, quoddam per accidens, vt ita dicam

Virtutes Theologica cur ita vocantur

primũ virtutũ infusarum genus, voco illud, in quo virtutes illæ ita necessario infusionis genus paciscuntur, vt aliunde haberi nequeant; ita Theologicæ virtutes infusæ dicuntur, quia à Deo immediatè dentur, nec queunt ex actibus aggenerari Theologici habitus, qui obinde esse Theologici dicuntur, quia Deum habent vt obiectum, & etiam vt largitorem; alterum virtutum infusarũ genus voco illud; in quo donantur quidem virtutes à Deo, quas tamẽ proprio marte valeret sibi animus ex actibus cõparare: hoc modo qui necessitatẽ esse

Vide quæ de virtutibus infusis paruulo sentias

inuehunt virtutum moralium, statuũt illas infundi in paruulis decedentibus, quas tamen si paruulus ille viueret ex actibus sibi comparasset; quæ propterea per accidens infusæ appellantur: Acquisita virtus exinde dicitur, quæ proprijs animi viribus comparatur conflando scilicet, ex frequentatis actibus habitũ. Virtutum harũ discrimina varia in tractatu de virtutibus discutienda sunt, sicut & similitudines.

Acquisitarum cum infusis virtutibus conuenientia

37 Interim hanc vnam memoro. Conuenire infusas cum acquisitis; quia singulę inclinant ad actum, disponendo videlicet potentiam, vt promptius, & facilius egrediatur ad actum; nec enim, vt perperam sibi Thomistæ persuadent infusæ tales dicuntur; quia scilicet simpliciter necessariæ sunt ad actum, alias nõ habitus, sed potentiæ essent, vt egregiè de fide loquens docuit Scotus *in 3. d. 23. q. vnica paulò antè litteram F*, sed dicuntur infusæ, vt solum Deum auctorem agnoscunt; singulæ etiam virtutes tam infusæ, quam acquisitæ spectari possunt quo ad habitum ipsum secundum se potentiam informantem, & quo ad actum.

Virtutes infusæ.

38 His autem vtcumque delibatis, infusas virtutes in Christo fuisse tam certum est; quam vt certissimum non desiderata fuisse in Christo dona illa, quæ iustis, ac amicis suis commodat Deus, cum nullus Christo iustior, Deoque coniunctior omnino; quare si gratiam, & charitatem alijs, multo magis humanitati illi sanctissimo nexu Verbi personæ vnitæ charitatẽ, & charitatis, & gratiæ plenitudinem largitus est Deus; quod ut de charitate habitu infuso dictum est, idem de moralibus infusis virtutibus dicendum est pari forma coniectura arguendo à minori ad maius affirmatiuè, vt Logici norunt; quamuis certius sit infusam

Asseruntur in Christo

charitatem in Christo datam, quam cæteras virtutes morales; siquidem necessitatem charitatis maiorem agnouerunt Theologi, quam virtutum moralium infusarum; vnde Scotus *in 3. d. 36. litt. O*, necessitatem ponendi virtutes morales infusas omnino negligere videtur, sufficiente charitate in patria ad disponendam voluntatem ad omnia volibilia in vna ratione volibilis, & sufficientibus in via virtutibus acquisitis in habentibus illas, vel habere potentibus, & notanter dixi, *in habere potentibus*, ad differentiam paruulorum, qui ob liberi arbitrij vsus defectum decedentes absque virtutibus moralibus acquisitis, vel eas nusquã habebunt infusas; vtpotè non necessarias ad perfectionem status comprehensoris; vel si habebunt infusas, habebũt in instanti beatitudinis, vel habebunt acquisitas ex actibus proprijs. Vide Scotum ibi, vbi de habituum moraliũ infusionis necessitate satis ambigere, immo potius illã negligere videtur.

39 Verum de hac re, quidquid sit in præsentia, constituto in alijs virtutes morales infusas dari, siue necessario, siue probabiliter; necessario multo magis, aut probabiliter Christi animæ datas concludendum est, in quo maxima diuinæ largitatis multitudo eluxit; & hæc indiscriminatim de virtutibus infusis in genere, tam quo ad habitus, quam quo ad actus; non ita, vt actus dicantur infusi, sed vt eliciti ex habitibus infusis, quos in Christo fuisse ostẽditur tum ex paritate in alijs Deo charis, & iustis, tum ex actibus ipsis in Christi vita exhibitis amoris Dei, iustitiæ, fortitudinis; & aliarum virtutum. Sola superest difficultas de alijs virtutibus infusis Theologicis; nimirum spe, & fide, an in Christo fuerint, cum quoad

Difficultas de fide, & spe

actum

actum, tum quoad habitum, an saltem quoad habitum; sin minus quoad actũ. Sed hæc etiam difficultas in materia de fide exigenda est, in qua non defuerunt, qui cum Durando *in 3. d. 24. & d. 31. q. 3.* quibus in locis consensit Paludanus; assererent fidem in patria manere; sin minus quoad actum, saltem quo ad habitum: ex qua sententia mansisse in Christo, qui comprehensor erat, fidẽ in habitu consequenter videtur asserendum; quod placitum non displicuisse Turriano *censura Theolog. centuria 2. dub. 4* argumento est; quod illud non improbabile, nec vlla tetur censura dignum; nec multum distat Suarez, quem sequitur Lugo *disp. 16. sect. 7.* dum licet inficietur Christum habuisse voluntatem efficacem credẽdi ait, eũ potuisse habere affectum conditionatum obediendi fidei, si daretur occasio, qui affectus procedit ab habitu piæ affectionis. Verum hic habitus satis diuersus est à fide, si qui datur; non enim multiplicandi sunt ab ea habitus præsertim ex doctrina Scoti *loco citato*, vbi ad refellendam habituum multiplicitatem; satis in eam propendet sententiam, qua constituitur non differre dona ab habitibus, seù non constituere dona habitus diuersos ab ijs saptem: porro, qui fidei habitum in patria agnoscunt, & spei habitum agnoscere tenentur; exque vnius collocatione in anima Christi collocatio videtur subsequi alterius: & iuxta regulã logicam, sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis, ita è contra; ex Augustino autem, *in Enchiridione* vbi non est fides, non est spes; ergo vbi fides, ibi spes; quare si in Christo concedatur fides, concedetur, & spes.

Opinio Durandi et Palud.

Subscribit Turrianus, & Suarez, & Lugo.

Aug. in Enchirid.

40 Fidem autem in Christo collocandam quoad habitum, hæc suadent obiecta. Primum; quia de facto Paulus ad tertium vsque cœlum raptus arcana Dei vidit, fuitque verè comprehensor, etiam ex Scoto *in 4. dist. 49. q. 12.* vbi Augustinum citat *lib. 83. qq. quæst. penultima* asserentem Paulum vidisse Deum eo modo, quo Sancti vident in patria: nec tamen Paulus fidem amisit; quare idem videtur de Christo dicẽdũ. Secundum; quia fidei habitus maximè intellectum exornat, estque humani intellectus celebris perfectio: vt quid ergo negatur à Christo?

Rationes innuentes in Christo fidē.

Dicendum tamen; in Christo fidei, & spei habitum non mansisse. Enimuero nihil de hac re appositè de Christo Scotus; dum autem negat, in Patria manere fidem, ac spem, planè idem de Christo sensisse dicendus, qui etsi viator, & comprahensor etiam fuit à primo suæ Incarnationis instanti, quo animus ille corpori vnitus, totaque humanitas hypostaticè Verbo vnita summa fuit gratia, summaque visione donata. Cæterum non manere in patria spem, nec fidem, disertis, & ex instituto profusis verbis docet Scotus *in 3. d. 31. litt. A*, vbi docet euacuari in Patria spem, ac fidem; quia vbi est verum patens, non est fides, quæ ex Apostolo Hæbreorum 11. Est *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. Et rursum, vbi est bonum habitum, non est spes, quæ est de bono absolutè.

Enerua[n]tur.

Fidei finitio Hæbr. 11.

41 Quod si dicas; ex his conuinci ad summum non esse ibi actus spei, ac fidei, nihil vero ad habitus. Contra; frustra est habitus, cuius inclinatio ad actum est impossibilis; sed inclinationes fidei, & spei sunt impossibiles in Patria: ergo habitus spei, ac fidei frustra. Maior probatur; quia ad actus infunduntur habitus; siqui igitur actus impossibiles sunt alicui per habitum, habitus superfluit: & rursum habituum necessitas non ex alio capite manat, nisi vt potentia possit promptè operari circa obiectũ; sed in cælo potẽtia est facilitata ad promptè operandum; obiecto semper præsente, & in potentiam agente; ergo habitus ibi necessitas nulla. Minor patet, quia ex obiecto, & statu gloriæ facilitata potentia non quit inclinari ad sperandũ, quod habet, neq; ad credendũ, quod videt; & hęc ipsa ratio de anima Christi cõuincit, cuius intellectus ex visione Deifica habilitatus, atq; intima obiecti presẽtia beatus nec credere, nec sperare debuit.

Obiectio nona expeditur.

Obserua, totam huius argumenti vim in eo sitam, vt ablegetur à Christo fides, & spes; non quia in Christo actus visionis formaliter euacuauerit habitũ fidei, nec actus possessionis habitum spei; sed quia in Christo vidente Deum, Deumque intimè possidente superuacanei fuissent habitus fidei, & spei.

42 Ex his tolle obiecta. Primum de

raptu

Moises, et Paulus quomodo viderint Deum.

raptu Pauli, & illi addi potest visio Moisis in monte, vbi ex consortio visionis Dei cornuta facie radiorum claritate apparuit; tollitur concedendo Paulum, & Moisen vidisse, nec tamen euacuatam in ijs fidem in habitu; quia actus visionis potest stare cum habitu fidei; quando fides non est supernacanea, vt in Paulo, & Moyse, qui ad tempus videntes; & vt Scotus ait *in 4. d. 49. citata*, quasi horaria visione videntes, debuerunt exinde visione priuati; postquam id temporis proprios credulitatis, ac spei actus elicere; fuitque obinde ijs non superflua fides, ac spes, in Christo autem è contra, in quo visio perpetua, sicut & possessio fuit; fuisset consequenter habitus spei, & fidei superfluus.

43 Secundum obiectum enerua, dicendo vtique exornari intellectum fide tanquam perfectibilem ab infusa perfectione: verum ipsa responsionem propositio commodat, nam si ornat, & perficit, ergo suoptè ingenio inornatus, ac perfectibilis est intellectus: è conuerso si intellectus ornatus est, ac perfectus hac eius ornatione, ac perfectione non eget: est igitur (vno verbo) fides perfectio, sed intellectus imperfecti, est perfectio quasi imperfectionem supplens; quia si intellectus aliunde adiutus videret; fidei ipsius lumine non indigeret.

Obiectio ex Isaia 11,

44 At obijcies rursum de Christo circa habitum fidei Isaiæ 11. testimonium, quo innuitur fides danda Christo, vt cinctorium renum eius: & circa habitum spei, quod si in Christo actus spei conceduntur, etiam & habitus, qui est principium: Atqui spei actus non videntur à Christo negandi; nam non habuit ante mortem suam gloriam corporis; potuit ergo illã desiderare, & sperare: idem etiam de bono alieno dicendum; quia scilicet potuit Christus electis suis beatitudinem desiderare, ac desiderando sperare.

Euellitur

45 Respondeo ad authoritatem Isaiæ, fidem ibi non pro habitu infuso, sed pro fidelitate in obseruandis promissionibus intelligi. Ad obiectum de spei actibus non verentur Recentes cum Bonacina *q. 7. puncto 4.* actus hosce spei Christo concedere; non quidem ab habitu spei manantes, sed à voluntate charitate formata. At mihi videtur impossibile, actus illos verè actus spei esse, & non à potentia spe formata elicitos; alias virtutum actus confunderentur, nec essent singularum singuli actus proprij; si actus spei tanquã partiale principium potestatem facilitans elicere charitas posset, siue, & rectius; si posset voluntas actus elicere gratia adiuta, non spe formata; quamuis enim gratia sit actuum principium; at eorum principium est in ordine ad acceptationem, & meritum, itaut facilitet potentiam ad actus supernaturaliter gratiosos, hoc est acceptatos, vel acceptabiles; non autem ad actus spei, vel fidei: quare, vel illi actus veri sunt spei actus; vel non; Si primum, ergo à spe eliciti, secundum quam formata potentia promptius, ac facilius illos elicit: Si secundum, non est cur digladiemur.

Opinio Bonacinæ

Eliminatur.

46 Dicendum ergo, desiderium boni alterius, ac spem non esse verè infusæ spei actus, qui est de bono sibi commodo, non alteri, nam in diffinitione spei dicitur, quod *spes est actus desiderij boni infiniti in esse nobis bonum &c*, vbi obserua particulam illam *nobis, &c.* qua innoluitur circumstantia Cui: Vide Scotum *in 3. dist. 26. litt. L*, in *additione* docentem, quod desiderare, vel sperare alteri bonum est actus potius charitatis, vel amoris acquisiti, quã spei. Nec etiam gloriã corpori suo optabat Christus per actum spei. Primo, quia actus spei est ad bonum infinitum essentialiter, hoc est ad visionem beatificam; corpori autem accidentalis dumtaxat, vel ad summum consubstantialis debetur beatitudo; essentialis autem animo; Christi autem animo præsens erat bonum infinitum; ergo non optabile. Secundo, quia hanc etiam gloriam accidentalem, vel consubstantialem sperare Christus actu verò spei non potuit, quia suaptè natura debebat inesse; quia ex animo beatur corpus; in Christo autem per miraculum detinebatur gloria in anima, ne corpus bearet: quare concludendum spei, & fidei actus, & habitus in Christi animo nullos fuisse.

præcipua spei finitio.

47 Hactenus de infusis, nunc de acquisitis breuiter petendum. An virtutes

Noua petitio an morales in Christo virtutes acquisitæ fuerint. morales acquisitæ fuerint in Christo? Negant Thomistæ cum S. Thoma in 3. p. q. 7. art. 2. ubi solas infusas virtutes concedi in Christo à S. Doctore, contendit Medina; sed clarius in 3. dist. 33. q. 1. art. 4. S. Doctor virtutes hasce à beatis eliminauit. *Opinio S. Thomæ & Lorcæ* Consentit ex Recentibus Lorca disp. 38. num. 22. Suarez, & Vasquez, putant deberi in Christo poni virtutes morales acquisitas, quæ tamen per accidens fuerunt à Deo infusæ, ita vt exercitio actuum propriorum genitæ non fuerint; sed nec auctæ per idem actuum exercitiũ, quas in gradu heroico Deus illi largitus est. Consentit ex *Opinio Suarezij, Vasquezij, & Lugo.* parte Ioannes à Lugo disp. 21. sect. 1. num. 16. dum à Deo habitus hosce infusos, licet per accidens per exercitium actus augeri non putat, dissentit tamen aibitratus, ex ipsis actibus à Christo elicitis derelictas nouas species experimentales, quibus si Christus cognoscebat exercuisse in illis actibus, quæ experientia erat nouum motiuum inclinans ad illos actos, & proindè potuisse Christum exercitio habere maiorem facilitatem, quam Lugo habitum vocat: atque ita aliquos acquisitos in Christo habitus concedit, puta facilitates ad actus.

48 Scotus de Christo expresse nullibi, *Sententia Scoti.* sed ex his, quæ habet in 3. d. 33. littera I, loquendo de Angelis, & in eodem 3. dist. 36. littera P, loquendo de paruulis comprehensoribus, singula singulis ad rem accommodando, liquescere potest; quid illi esset in hac re de Christo dicendum, de quo circa virtutum habitus ita philosophandum, vt de cæteris comprehensoribus, ac beatis, licet cum tanta excellentiori methodo, quanta is Angelos, ac cæteros comprehensores excedit. *3. Responsum Scoti* Scotus ergo d. 36. citata, petens virtutum connexiones, & quomodo infundãtur paruulo; an in baptismate; an autem in patria, dat triplicem responsionem. Primã, non esse necessarias virtutes morales in patria, charitate sola omnium supplente vices virtutũ: Secundã, dari virtutes morales paruulo in instãte beatitatis suæ: Tertiam denique, supposito virtutes morales ad perfectionem aliquam comprehensoris spectare, nec tamen in instanti beatitudinis infundi, posse ab illis acquiri per actus; & huius tertij responsi, quod magis illi probatũ, ostendit prolixior probatio, & confirmatio doctrina eiusdem 3. dist. 33. mox adducenda, rationem reddit: quia si non appareret ratio; quare paruuli decedentes cum baptismate non possint aliqua in proprio genere scibilia addiscere, quæ ignorabant; nec ratio suppetit, quare nequeant per electiones bonas circa appetitibilia cõmoda sibi ipsis acquirere habitum inclinantem ad talem elicitionẽ: Ex qua Scoti doctrina aegnere licet ad Christum; quod si ratio non apparet, quare non potuerit acquisitam sibi parere notitiam intuitiuam actualem, sed habitualem, quam in Christo Scotus cõcedit in 3 dist. 14. q. 3. nec etiam ratio suppetit; quare nequiuerit sibi virtutes ex actibus gignere morales; quibus facilius inclinaretur ad earum elicitionẽ potestas. Rursum dist. 33. citata, constituens Angelum, sin minus infusas recepit virtutes, posse illas sibi ex actibus cõparare, in hunc modum arguit. Conuenit voluntatem, cui non necessariò cõpetit perfectionis carentia perfectionem sibi proportionatã habere; sed voluntati Angeli non necessario competit perfectionis voluntatis carentia, cum non sit necessario imperfecta: ergo conuenit illi perfectionẽ voluntatis habere: subsumendum deinde; sed velle bonum circa agibile non solum sibi, sed etiam alteri, nec tantum in ordine ad bonum diuinum, sed quatenus etiã est aliquod bonum proprium, est quædam perfectio voluntatis, estque habitus quidam moralis; ergo voluntati Angeli illam habere conuenit. Hoc idem argumentum ad Christum appone; mutatis terminis, & Scoticum de Christo placitum habebis. *Scoticum argumentum.*

49 Adde, Scotum ibi etiam in Deo rationem virtutum moralium collocare, dempta videlicet earum accidentalitate, & imperfectione, quid ergo impedit, dempta imperfectione collocari in Christo? At collocantur, inquies, sed non acquisitæ. Non tamen euincis priorem Scoti argumentationem, secundum quam ad voluntatis perfectionem reuocari videtur, quod possit sibi per actus habitus indere, quibus faciliterur ad actus alios potestas; quare non videtur mihi de mente Scoti negandæ virtutes morales acquisitæ in Christo, sicuti nec

nec scientia negatur acquisita.

50 Fateor quidem Scotum in inuehendis virtutibus moralibus in beatis, & in Angelis vtroque loco allato, problematicè locutum; fuisse tamen in affirmatiuã partem satis propensum indicat allata longiori discursu probatio. Adde quod spectat ad Christum videri magis verior affirmans pars; eo quia Angeli, & comprahensores viatores non sunt; Christus autem stat simul comprahensor, & viator.

Alia ostensio.

51 Sed & ratione alia pars hęc affirmans de virtutibus acquisitis ostenditur. Quęcumque suoptè ingenio imperfectionẽ, aut indecorum non inuoluunt, in anima Christi inuehenda sunt; de quo eodem præceptore Scoto in 3. *dist.* 13. *q.* 4. *litt.* *N*, præstat excedere, quã deficere in laude; et sic habere marte proprio, proprijsque actibus acquisitas virtutes perfectionẽ potius quam imperfectionem; decorem magis, quem dedecus in Christi animam inuehit: ergo acquisitæ virtutes non sunt à Christi anima respuendæ. Minorem probo. Actiones virtuosæ humanæ non dedecus, sed decorem in anima eliciente argumentantur, potestasque earum eliciendarum ad perfectionem potentiæ reuocatur; præstat .n. bonum posse per se habere moraliter, quã ex alieno illud fonte haurire; vnde quamuis originaliter virtutes infusæ præcellãt acquisitas; quia hæ ex creato, illæ ex increato manant principio; planè quod ad perfectionem potentiæ recipientis se habet, præcellunt acquisitæ, ad quas non solum merè passiuè, sed quoquo modo actiue se habet potestas illas scilicet ex actibus sibi comparando, & hoc loquendo de moralibus, de Theologis enim Scotus in 3. *dist.* 23. *q. vnica arguendo in oppositum*, argumento vltimo hanc propositionem constituit maximam.

Obserua egregiam doctrinã.

Ille habitus, ad quem ex naturalibus nequit homo attingere, est simpliciter perfectior quocumque habitu, quem potest attingere, & *in solutione eius litt. E*, concedit fidem infusam esse quocumque habitu acquisito perfectiorem.

Scoti verba de infusis.

52 Quod si argumentum idem vrgere velis de moralibus, lege Scotum ibi, docentem ideo infusum habitum acquisito præstare, quia est à solo Deo; ideoque spectari nobilitatem ex parte ortus, non ex parte recipientis, & subiecti; cæterum maior elucet subiecti præstantia, elaborando propria facultate habitum, quã creatum recipiendo; si vrgeas, quod forma suàptè natura nobilior nobiliori modo potentiam perficit. Non hoc petimus, sed an præcellat potestas eliciens sibi ex actibus habitus potestati non elicienti in hisce creatis; si rursum insurgas, ex hoc sequi, præstitisse Christum acquirere sibi scientiarum habitus, quam infundi; sequela falsa est, quia non decebat Christum ignorare, & quam non decuit sibi acquirere scientiam, debuit habere infusam; cæterum de virtutibus moralibus non ita; quia infusio non est necessaria; sufficiente acquisitione etiam in beatis ex eodem Scoto *loco supra citato dist.* 36. *litt.* P. Atqui ex hoc obiectum illud colles, quod tanti Aduersantes faciunt, nimirum ex positione virtutum moralium ex actibus acquisitarum in Christo sequi Christum successiuè perfectiones acquisiuisse, nec fuisse ab instanti cõceptionis complete perfectum. Insuper & ipsos habitus successiuè auctos fuisse peractos; assumite enim perfectionis nomen simpliciter; cum tamen hæc fuerit accidentalis perfectio nihil indignitatis in anima illa benedicta inducens; quæ sicuti sine imperfectione potuit proficere cognitione intuitiua experimentali, iuxta illud Lucæ 2. *Puer Iesus proficiebat ætate, & sapientia*, ita etiam in acquisitione habituum ex actibus moralibus.

Lucæ 2.

53 Hac in re teneo Fabrum in 3. *disp.* 36. *cap.* 3. *in fine*, absolutè concedentẽ, habuisse Christum habitus morales omnes modo tamen infuso, non acquisito; cuius positionis deinde immemor *disp.* 37. *cap.* 2. *num.* 15. concedit in Christo prudentiam acquisitam experimentalem. Ex his habes etiam, quid contra Recentiores oppositam tenentium positio Vasquezij, & Suarez euellitur ex doctrina 3. *sent. dist.* 17. de augmento charitatis, qua generatim ex actuum frequentia intendi probatur habitus, remanente priori realitate & quod ad Christum attinet, cum is in intuitiua cognitione, & acquisitione experimentali habituũ viator fuerit, intendi potuisse ex actibus habitus ex profectione, quam in eo concedimus facile liquet. Actiue autem Ioannis à

Fabri contradictio.

Occurritur Recentibus.

Fff 2 Lugo

Lugo doctrina reverberatur costitusns facilitatem illam esse habitum, cum facilitas sit potius modus operandi potentiæ, qui habetur per habitum, sitque quodammodo potius habitus effectus. Sed de his fusè in tractatu de virtutibus: nunc demũ de gratijs gratis datis Christo non nihil addendum. Gratiæ vocabulum in amplissima significatione sumptum significat omnem gratiam esse gratis datam; ideo enim gratiæ sibi vocabulum adsciscit, quia datur gratis, in ordine autem ad meritum vnio hypostatica rectius, quam cæteræ gratiæ gratia dicitur gratis data, ad quam nulla potuerunt merita attingere, iuxta illud toties in hoc opere inculcatum. *In rebus per tempus ortis nulla maior gratia; quam quod homo fieret Deus, Deus homo.* Ex accommodato tamen modo loquendi Scolasticorum factum est, vt gratiæ gratis datæ vocentur, quæ in aliorum vsum à Deo largitore donantur, de quibus loquens Paulus *prima Corint. cap. 2.* ait, *alij datur sermo scientiæ, alij sermo sapientiæ. alij fides, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum*, quæ vt vides nouenario numero recluduntur, & singulas in Christo constitutas, consentiunt Doctores, monentes, in hoc Christum à cæteris differre hominibus penes hæc dona, seu gratias gratis datas; quod Christo omnes, alijs aliæ, seu singulis singulæ, non omnes à Deo donatæ sunt: totaque diuersitatis ratio ex ipsa potissimum mystici corporis structura dimanat, in qua Christus est caput, cæteri membra: quare sicuti in naturalis corporis capite omnes vigent sensuum facultates, in membris vero singulis singulæ, non vero omnes; auris enim audit, non videt; videt oculus, non audit; mouetur pes, non olfacit, & sic de alijs; ita in mystici corporis capite Christo omnes vigent gratiæ gratis datæ; in alijs autem Sanctis singulis singulæ: quo fanè modo argumẽtatur Augustinus *epist. 57. ad Dardanum*.

De gratiis gratis datis.

1. Corint. cap. 2.

Hoc sacræ sigillatim ostendunt historiæ. Donum sapientiæ Marci 1. *Stupebant omnes super doctrina, & responsis eius.* Donum scientiæ Ioann. 7. *Nunquam sic locutus est homo.* Donum fidei, quo nomine fidem miraculorum, seu fiduciam intelligimus, qua prædictus firmiter assentit Deum in patrandis miraculis adfuturum Ioann. 11. *Scio, quia semper me audis.* Gratiam sanitatum Marci 6. *Quotquot tangebant eum salui fiebant.* Discretionem spirituum Ephes. 4. *Quosdam dedit Apostolos, quosdam Prophetas, &c.* Interpretationem sermonum Lucæ 24. *Interpretabatur illis in omnibus scripturis.* Operationem virtutum Lucæ 6. *Virtus de illo exibat.* Nec refert, potiora nos in quibusdam Sanctis interdum, quam in Christo legisse miracula, vt patet de Petro, cuius vmbra sanauit quosdam; vt patet de B. Patre Æmigdio Asculanæ Ciuitatis Patrono, qui per quingentos circiter passus amputatum sibi à nefario Polimio caput bijtto impositum ambabus sustulit manibus; monteque sua sponte aperto receptus, & inclusus est; de quo tumulum fecimus.

Marci 1. Ioann. 7.

Fides pro fiducia.

Ioann. 11

Marci 6. Ephes. 4. Lucæ 24. Lucæ 6.

Tabula Asculana Ionannettus in vita S. Æmigdij.

Impius Asculeam torquens Pollimius Arcem,
Præscindit sæuo Præsulis ense caput.
Ille tamen casonon cadit tramite collo;
Sed vadis capitis portitor ipse sui.
Huic dũ tota nequit dare terra cruẽta sepulchrũ,
Mons ne siste, patens porrige, scinde latus.
Vt non est alio pia sarcina digna feretro;
Sic teneat tellus intemerata caput.

Auctor in Epigrãmatibus impressis.

Non refert, inquam, tum quia id Christus prædixit. *Ioann. 14. Opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*, tum etiam, quia dè solo Christo verum erat dicere. *Virtus de illo exibat.*

54 De dono linguarum, non tam dilucidè loquuntur scripturæ; datum tamen Christo, nefas est dubitare, dum datum Apostolis, *Actorum 2.* comperimus: nec planè caruisse ijs præceptoribus asserere licet, quibus abundarunt Discipuli; an autem vsus hoc dono fuerit Christus, negat S. Thomas *q. 7. art. 7. in solut. vltimi*, nec tamen donum fetus inutile in habitu; quia non est eo vsus, quoniam non fuit opportunum. Affirmant alij, etiam Thomistæ, cum quibus Medina *in comm. illius articuli*, inclinat: Placet sententia affirmans, quam de vsu in locutione tradidit Eusebius *Hystor. Ecclesiast. lib. 1. cap. 13.* veroque si-

An donũ linguarũ fuerit in Christo qua ad vsum.

De hac Epist. quidam dubitant, sed videtur recepta esse fatemur.

milius probatur ex locutione Christi cum Cananea, Centurione, & alijs non Iudæis; quod eorum locutioni se Christus accommodauerit; de vsu verò linguarum in scriptura probatur ex Epistola Christi ad Abagarum Regem Edissenorum, quam ait Eusebius eo sermone contextam, quo posset à Rege intelligi, qui tamen Hebraicè non loquebatur.

An Christus verè Propheta.

Ambros. Hyeron. August.

55 Viget difficultas maior de gratia prophetiæ, an fuerit Christo tradita, & proinde sub litem vocatur, an Christus fuerit vere propheta; & sanè Christum verè fuisse prophetam, communis vtique opinio Scholasticorum, ac sacræ scripturæ Interpretum format; ita Ambrosius *serm. 8. in psal. 118.* Hieronymus in *cap. 1. Hieremiæ.* Augustinus *tract. 15. in Ioannem,* aliique Patres, quorum dicta fusè recitat Suarez *disp. 21. sect. 2.* Nobis vnius Augustini *loco cit.* sententia sit satis. Hæc sunt igitur Augustini verba locum illum Ioannis interpretantis, de samaritica muliere, *Domine, vt video Propheta es tu. Prophetam Dominum putabat, erat quidem, & propheta, nam de se ipso ait, non est propheta sine honore, nisi in patria sua, item de illo dictum est ad Moisen, prophetam eis suscitabo de fratribus eorum similem tui similem idest ad formam carnis, non ad eminentiam maiestatis, ergo inuenimus Dominum Iesum dictum prophetam.* Hæc Augustinus, cui subscripserunt optimæ notæ Scholastici omnes cum S. Thoma *in 3. p. q. 7. art. 8.* easdem cum Augustino auctoritates Deuteronomij 18. & *Ioann. 4.* & *Matth. 13.* enucleantes.

Opinio Abulensis negãs Christum prophetam, quibus argumentis fulciatur.

56 Ceterum ab hac Patrum, ac Scolasticorum communi sententia defecisse parum visus est Abulensis *q. 64. in cap. 11. lib. Num.* dum planè negauit Christum esse Prophetam, tum quia Christus erat Deus, Deus autem propheta dici nequit; tum quia vt homo Christus beatus erat, beati autem non sunt Prophetæ; tum etiam quia prophetæ cognitionem habent obscuram; Christus non ita; tum demum, quia si Ioannes Christi Præco non Propheta, sed plusquam Propheta vocatur; quantò magis Christus non Propheta, sed plusquam Propheta dicetur? Colligit ex his Abulensis, Christum non Prophetam, sed plusquam Prophetã dicendũ. Quod si passim in Euangelio vocetur Christus Propheta, factum putat Abulensis ex gentium inscitia, quæ Christum non aliter, præterquam vt Prophetam vocitabantur; vnde Euangelia non, quid Christus esset, sed quid gentes putarent Christum esse narrant; populi autem vtique Christum solum habantur esse Prophetam.

Censura auctorum in sententia Abulensis.

57 Hanc Abulensis sententiam Medina erroris insimulat; vndè *in comment. 3. q. 7. 3. part. ante solutionem argumentorum* ait, *ex dictis patet quantum errauerit Abulensis dicens Christum non fuisse verè prophetam.* Alij ætatis nostræ Theologi Abulensis sententiã temerariã iudicant, vt videre est apud Turrianum *p. 1. select. disp. Theol. eius. 25. dub. 3.* Ipse etiam Turrianus bis Abulensis opinionem ad censuram vocat *ibi;* semel *cens. Theol. cent. 1. dub. 73.* iterum (nequid non deesset ad censuram) *cens. 4. dub. 39.* vtrobique autem refert in Hispania aliquos putasse illam non carere temeritate, sed sibi sat esse dicere, esse improbabilem.

Turriani dictorum multiplicatio.

Obseruat. significatio vocis propheta

Medina, Salmeronus, Turrianus, Cãtapetrẽsis Mendoza

58 Quid ex Scoti sententia dicendum, mox aperiam. Interim ne in nomine fiat difficultas, vt planè vocalis indicatur controuersia à Ioanne de Lugo *disp. 16. sect. 7.* quid sibi Propheta vocabulũ velit explanandum est; quam rem fusè prosequitur Medina *loco citato,* Salmeronus *tom. 1. prolego 9. & tom. 3. tract. 17.* Turrianus *disp. 25. citata dub. 1.* Cantapetrensis *lib. 4. cap. 1. Hypotyp.* Mendoza *3. tom. in lib. Regum cap. 9. num. 9.* & alij; nos breuiter hoc loco obseruamus, confundi hæc nomina in scripturis. *Vates, Propheta, videns.* Et de videnti quidem testimonio est auctoritas *1. lib. Regum cap. 9. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns &c.* eiusque satis dilucida vtriusque vocabuli confusi ratio; siquidem mentis oculo videbant, quæ nondum in esse posita sensu oculi videre poterant homines, quibus vaticinabantur; & proinde ab interna mentis visione, non ab externo corporis visu videntes appellabantur; cur autem dicerentur videntes, etiam si per modum corulocationis loquente Deo illis, secreta reuelata panderent, vt propterea audientes potius, aut loquentes, quam videntes dici debuerint; factum puta *1. Reg. 9.*

vt optimè obseruauit Mendoza loco citato, vt ostenderetur, ita propheticam cognitionem mentalibus alijs cognitionibus anteponendam; quemadmodum visio inter cæteros præeminet sensus, et à philosopho doctore in vestibulo metaphys. one igitur prophetæ à Deo inspirata; & mentis oculo percepta loquuntur, videntes appellati sunt. Vatis autem nomen in vniuersa Ezechielis prophetia frequentissimum est, *Vaticinare fili hominis &c.* dicti sunt autem *Vates*; quasi *fates*, non tam à *fando*; quã à fatidica pronunciando, quod nomen ad poetas etiam translatum est, non tam à viendis carminibus (viere namque carmina est nectere connectere, ac vincire) vt ait Varro *lib. 4. de latina lingua*; quam ab ipso, quo ad concinnanda carmina, interno quasi furore, ac spiritu aguntur; & quoniam interno spiritu prophetæ locuti sunt, idcirco commune sic loquentibus fuit vatis, ac prophetæ vocabulum: non est tamen silentio obuoluendum tam vatis, quam videntis nomen, latius patere vocabulo prophetæ; sunt enim videntes, & non prophetæ; neque ab allata videntis interpretatione latum vnquam discedo, secundum quam visio mentalis dumtaxat attenditur, secundum quam beatorum mentes, quę Deũ, Deique arcena prospiciunt, videntes vtique, sed non prophetæ dicuntur: sunt & vates, qui non prophetæ, vt de poetis patet.

Vatis nomen vnde.

Varro.

59 Nec refert Paulum *cap. 1. Epistola ad Titum*, aetas quoque appellasse prophetas, ait enim de Epimenide Cretense locutus: *Dixit quidam ex illis proprius illorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri, &c. Testimonium hoc verum est.* Hæc Paulus, qui & prophetię nomen, & veritatis approbationem in Epimenidem inuehit. Non refert inquam, nam vel ironicè locutus est Paulus, qui propterea Epimenidem non absolutè prophetam, sed propriũ Cretensium prophetam nuncupauit, vt innueret, loco prophetæ à Cretensibus habitum, quamuis propheta non esset; vel Poetæ illi vocabulum prophetæ impinxisse, ex quo loquens de patrijs suo tempore vitijs, quasi diuinando: in posteros eadem agnouerit exinde Paulus Epimenidis testimonium probat, quasi diuinauerit futura Cretensium vitia.

Ad Tit. 1.

60 Secundo, missa vatis, ac videntis voce, germana nominis prophetæ significatio inspicienda est. Est ergo prophetæ vocabulum Græcum latino factum à nomine *prophitis*, quod à verbo Græco; *prophiteua*, ortum habet; iuxta igitur multiplicem græci nominis, ac verbi significationem, multiplex latino græci vocabuli prophetæ significatum nanciscimur. Est autem verbi illius significatio triplex; nam quandoque significat interpretari; interdum futura prædicere, ac vaticinari; plerumque laudes ipsas diuinas concinere; secundum postremum hunc sensum *1. lib. Regum* Saul prophetasse legitur; atque ibi mentio turbæ prophetarum de monte descendentium cum psalterio, tympano, tibia, & cithara prophetantium; hoc est, diuinas laudes quatruplici musico instrumento modulantium; secundum prius significatum *Exodi. 7.* Deus constituit, Moysem Deum Phereonis, & Aaronem fratrem Prophetam suum; hoc est, internuncium, & Interpretem; ex quo Moyses lingua laborabat. Hac etiam acceptione apud Veteres, veritatis quiq; Interpretes, & Phanorum Antistites, & Oraculorum Internuncij Prophetæ nuncupabantur: immò secundum hanc significationem *Eccl. 40.* ossa Elisei prophetasse dicuntur à Iesu filio Sydrach; quia, videlicet, ad eorum tactum immissam Latrunculi cadauer statim reuixit; ex quo ossa illa quodam modo dictæ sunt prophetasse; hoc est, declarasse, ac interpretata fuisse Dei mentem de non patentando alios cum Eliseo famulo Dei. Proprius, ac verius significatum nominis Prophetæ apud Scripturas, & Scolasticos est dè eo, qui futura vaticinando prædicit.

Prophitis

1. Reg.

Exodi 7.

61 Non eo inficias, alicubi in Scripturis prophetiæ vocem ad insaniam, & ad deliramenta referri; quo sensu *1. lib. Regũ cap. 18.* Saul à malo spiritu inuasus prophetasse legitur in medio domus, psallẽte Dauide: id tamen per tropum factum puto; quiâ spiritu furoris in Dauidem ità agebatur Saul, vt Spiritu Sancto agũtur Prophetæ, qui quodam modo furere videntur, vt patet *Actor. 2.* de Apostolis in die Pentecostes, quos musto madidos arbitrabantur Iudæi: nisi velimus

mus prophetiæ vocabulũ ibi etiam prò diuinarum laudum concentu sumeretur, fieri enim poterat, videlicet malo spiritu agerecur in Dauidem Saul, diuinas tamen Dauide pulsante musicum instrumentum sua manu laudes concineret. Sed de hisce significatis alibi; his dumtaxat ad agnoscendam in Christo prophetiæ secundum singula directa significata gratiam, actumque delibatis, ex his quid ad prophetandum requiratur, indagandum est.

61 De hac re modicum, sed sensatè Scotus in 1. *dist.* 16. *extremis ferè Verbis*, apertè docet, sensibilia ad prophetiã veram nihil conferre, non enim Prophetæ, quæ enarrabant, ex sensibilibus hauriebant, sed ex forti imaginatione, ac quod caput est, ex diuina reuelatione, ea ructabant, quæ dictabat Spiritus; porrò imaginationem etiam fortem quoquo modo requisitam, edocet Scotus Augustinum citans *In* 12. *de Genesi*, vbi fusè satis raptum Pauli interpretaturus, modum prophetãdi effatur, monens Prophetam dici, qui visiones habuit; magis Prophetam, qui visionis extat interpres, maximè Prophetã, qui pollet vtroque dono, visionis scilicet, ac Interpretis; ad visionem autem aliquod sensibile nanciscitur in imaginatione, vt Prophetæ exinde imaginarij dici queant. Ex hac Scoti, & Augustini doctrina non obscurè educitur, nullo habitu Prophetas vaticinatos, alioquin in eorum semper potestate fuisse vaticinium, sed ex Deo reuelante per modum actus vaticinia in eis concedi, serenata quodã modo imaginatione distracta à sensibilibus: porrò hanc serenationem, ac à sensibilibus, vt ita dicam, distractionem facilè indicauit ad prophetandum quoquomodo requiri Eliseus Prophetes 4. *Reg. c.* 3. psaltem accersisse præcipiens, vt animum ex hiscè sensibilibus perturbationi commotum ad recipiendum diuinæ reuelationis lumen musico pulsato instrumento tranquillaret, & ad imagines recipiendas suauitate disponeret: Ex alio etiam capite secundum Scoti doctrinã elicimus, nõ per modũ habitus vaticinatos fuisse Prophetas: sed, vt aiunt, per modum actus; quia scilicet, futurorum contingentium prædictio nõ, nisi ex eorum cognitione pendet: at Prophetæ neutiquam futura habitualiter cognoscebant; singularium enim futurorum species nulli infusæ sunt, nec eorum veritatem intueri poterant in Diuina Essentia, cuius visione nondum fruebantur, quià viatores erant: si quæ ergo futura prædicebant, spiritu Dei reuelante dicebant, & lumine Diuino per modum actus, non per modum habitus illustrati

Augustinus 12. *de Gen.*

4. *Reg.* 3

63 Cæterum de Christi scientia *d.* 14. loquens Scotus, quamquam negat infusas illi omnium singularium futurorũ species, ait Christi animam omnia vidisse in Verbo, quæ Verbum videt; ex ea igitur clara beatifica animæ Christi visione habebat in sua potestate futurorum prædictionem, & Prophetiam; & exindè diuerso modo in Christo, & in alijs prophetia statuitur, sicuti Christus diuerso modo se habet in visione ab alijs; erat enim simul viator, & comprehensor; quà comprehensor præuidebat in Essentia Diuina futurorum euentum; qua viator prædicebat: vt comprehensor, quæ procul erant à viatoribus agnoscebat; vt viator cæteris viatoribus occulta pandebat.

64 Ex quo patet, in via Scoti Christum nedum fuisse prophetam, sed cæteris prophetis eo præstitisse magis, quo illi futura per reuelationem solummodo cognita prædicebant hominibus: Christus autem vt per claram visionem in Verbo cognita; vt exinde rectè putaret Abulensis Christum plusquam prophetam.

65 Quia verò ex parte prophetiam à Christo negat, reprehenditur, conclamantibus erga ipsum scripturis passim Christum prophetam concinentibus, quibus non facilè quadrat Abulensis responsum, non talem fuisse Christum, sed talem fuisse de Christo populi sensum; cum pluribus in locis Christus ipsemet se prophetam vocet, vt patet Lucæ 13, & *Ioannis* 4. quibus Christus testimonium perhibuit, quod propheta in sua patria honorem non habet; immò testimonium illud Deuteronomij 18. *Prophetam sicut te; &c.* de Christo palam Interpretãtur in Actibus Apostolorum Stephanus, & Petrus, & ex ipsa nominis significatione probatur. Propheta interpretantẽ sonat; en tibi Christus *Luca* 34. scripturarum Interpres.

Occurritur Abulensi.

Luca 13

Ioann. 4.

Christum fuisse prophetam ostenditur.

Luca 24

Inter-

Interpretabatur eis scripturas, &c. Propheta laudum diuinarum recitatorem denotat, en tibi Christus in oratione per
Lucæ 6. noctans *Lucæ* 6. en hymnum concinens
Matt. 26 *Matth.* 26. & *Marci* 14. Propheta fu-
Marci 14 turorum præsagitorem significat; en Christus prædicit Hierosolimitanum
Lucæ 16 excidium *Lucæ* 16. dum videns ciuitatem fleuit super illam, vt mille alias prædictiones mittam.

66 Nec Abulensis obiecta nos perturbant: siquidem diluitur primum concedendo Christum, qua homo erat, non qua Deus, fuisse prophetam. Diluitur secundum: Concedendo beatos tantum non esse prophetas, sed Christus & beatus erat, & viator: ideirco verè propheta. Diluè tertium negando, ob curitatem ad intrinsecum prophetiæ spectare, cum accidat illi ratione status prophetarum, qui genericè viatores erant solum: Christus autem, ex quo comprehensor etiam fuit, obscuritatem in prophetia nactus non est; quia, vt diximus, alij ex reuelatione futura agnoscentes, Christus in *Verbo* videns prædicebat. Postremo denique argumento toto concesso, ad summum sequitur Christum, vel Protoprophetam, vel plusquam prophetam nuncupandum; cum hoc tamen negatur non fuisse prophetam. Quid est enim aliud esse plusquam prophetam, nisi esse prophetam & quid vltra?

Atque hæc de vniuerso capite, ac disputatione de gratia Christi, quam ipse nobis impartiri dignetur, qui singulis à Patre luminum donatus fuit gratiarum culminibus.

AMEN.

VERBO INCARNATO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTIS OMNIBVS LAVS, HONOR, ET GLORIA.

FINIS.

INDEX

Rerum, quæ in hoc Opere De Verbi Incarnatione Continentur.

Prior Numerus Disputationem, secundus capita, tertius numerum indicat.

A

a Actus

INDEX

Appe-

INDEX

a a Chri-

INDEX

& aliud

Communicatio Idiomatum.

Compositum, Compositio.

Concilium.

Concretum.

Confortatio.

Creatio, Creatura.

I N D E X

D

Defectus.

Dependentia.

Deus, Deitas, Diuinitas.

Distinctio.

Dolor.

Donum.

Duo.

E

Effectus.

Ens.

Ens

Eucharistia

Exemplum.

Existentia.

F

Factio.

Filiatio, Filius.

Fomes.

Forma.

Fi-

pre-

INDEX

per-

Chri-

I N D E X

F I N I S.

L A V S D E O.